



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Cap. Libri Quinti sunt XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

poris momento, quo est concepta, fuit vna cum gratia, & sanctitate: gratia autem simul cum peccato originis esse non potest, nullum igitur temporis punctum intercessit, quo Beatissima Virgo fuerit sine gratia, iustitia, & sanctitate. Obijcies, eo temporis momento erat naturalis filia Adæ, ergo peccato infecta. Respondeo, futura erat proculdubio vna cum peccato, nisi Dei gratia, & sanctitate repletur. Deinde oppones; Prius ordine naturæ, & generationis traxit ex Adamo naturam, & ex naturæ conditione gratiam non habebat, ergo suscepit naturam gratia denudatam. Respondeo, negari non posse, quin natura humana prius ordine generationis existeret, quam gratiam suscipiat, aut habeat; sed in eo temporis momento non habet, nisi quæ ipsi naturaliter conueniunt, & proinde nec gratiam habet ex se, nec peccatum, sed solum naturæ dotes, vires, facultates, & conditiones; alioqui enim gratia esset, aut peccatum ex natura. Cum deinde concluditur, ergo tunc erat B. Virgo gratia priuata; id nego, quia ea ratione natura humana suscepta, licet ex se sine gratia sit, priuata tamen gratia non est; quoniam natura sicut ex se gratiam non habet, ita nec eam ex se habere debet. Et cum obijcitur, Erat filia Adæ, ergo gratia priuata, quam habere deberet. Respondeo, solum inde colligi, ex vi conceptionis fore eam peccatum originis contracturam, nisi seruetur per acceptam à Deo gratiam, & sanctitatem. Et proinde differt Beatissima Virgo ab eo, qui à solo Deo creatur: hic enim homo ex vi, & conditione, qua incipit esse in rerum natura, peccatum contrahere non potest; quod quidem peccatum haud dubie Virgo suscepisset, nisi gratia præueniens obtulisset. Item obijcies, cum Apostolo dicente: *In Adam omnes peccauerunt.* Respondeo, omnes homines ex vi conceptionis peccatum originis contrahere, nisi diuinitus seruentur. Vnde omnes peccauerunt, quia omnes ex eo suscipiunt, & trahunt peccatum, vel saltem ipsa generatione communi contraherent, nisi essent diuina gratia, & charitate donati. Demum oppones; Quoniam igitur modo Beatissima Virgo fuit redempta per Christum, si expers, & immunis peccati originis fuit? Respondeo illam indignissime redemptione, quia contractura omnino erat hoc peccatum; at fuisse liberaliter redemptam eximio Christi Domini beneficio, quia fuit singulari Dei gratia, & charitate exornata, antequam peccatum originale contraheret. Ac de hac quidem questione hæc dicta sufficiant.

(.)



IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESU, INSTITUTE NVM MORALIVM, LIBER V. DE LEGIBVS ET CONSTITUTIONIBVS.

LEGIBVS ciuitates, & populi gubernantur, actiones humane diriguntur; quibus aut permittuntur, aut puniuntur, aut imperantur, aut vetantur: Et ideo de ipsis disputare nos oportet; cum lex sit certa quadam norma, & regula rerum agendarum, fundamentum libertatis, fons, mens, & consilium æquitatis. Ac primum de lege Humana, postea verò de Naturali, ac Diuina breuiter differemus.

CAPVT PRIMVM.

Vnde Lex dicatur, & quid sit.

NIMADVERTENDVM est in Iure Canonico extare Titulum de Constitutionibus, qui est secundus ordine in Decretalibus, & in Sexto: & in Digestis libro primo Titulus tertius est de Legibus, & Senatus consultis; & Titulus quartus de Constitutionibus principum; & in Codice lib. 1. Titulus 17. est de Legibus, & Constitutionibus. Theologi in Tertio distinctione 37. pauca quadam de Legibus tradiderunt, de quibus tamen S. Thomas vberius, & fufius disputauit. 1. 2. a. quæst. 90. vsque ad 108.

Primo queritur, Vnde sit dicta Lex? Respondeo dictam esse latine iuxta quorundam sententiam à legendo, hoc est, deligendo: nam verbum legendi significat etiam teste Varrone deligere; eo quod lex sit certa norma, & regula deligendi rectum: vel quod sit multorum consultatione, & cõsensione delecta: Vel quod ex multis, quæ possent constitui, vna lex sit ad id, quod factio opus est, delecta. Nam, vt ait Cicero, *lex est recti præceptio, prauique depulsio: eo quod recta deligat, contrariaque rejiciat.* Vt alij volunt, lex dicta est à legendo, eo quod sit scripto tradita, vt nota sit omnibus, & ab omnibus obseruata. Leges enim tabulis incisæ parieti affigebantur, vt à populo legerentur. Secundum alios, lex dicta est à ligando, eo quod is, qui legem fert, subiectos ita obstringat, vt agere cogat iuxta id, quod sua lege constituit: nam lege condita populi tenentur. Græcè lex dicitur *νόμος*, dicitur τὸν πειθεῖν, quod est, tribuere, vt inquit

Var. lib. 5. de ling. lat.

Cic. libr. 2. de natura Deorum. Ista. libr. 5. Et hym. ca. 3. Cnc. lex. dist. 1.

Cic. libr. 1. de legib.

Cicero,

תורה
יה
אורייתא
תורה

Cicero, eò quod lex suum ius cuique tribuat. Hebraicè dicta est, thora, ab Hebræo verbo iarah, quod est docere, quia scilicet lex doceat quid sit agendum, quid fugiendum, ut lex dicta sit thora. Hebraicè, quasi Latine doctrina, institutio, præscriptio. Chaldaicè dicta est, vraieta, à verbo vr, quod significat illuminare, nimirum, quod lex veluti splendor, & lux vniuersos illuminet dirigendo. Iuxta multa itaque legis officia, ea varijs nominibus est appellata.

Secundò quæritur, Quot modis Legis nomen accipiatur? **Respondeo** multipliciter accipi: **Primo**, Lex quarumlibet doctrinarum præcepta, & quamlibet conventionem, & conditionem significat. **Secundò** idem valet, quod ius, id est, iussum; unde, sicut ius ipsum diuiditur in legem naturalem, diuinam, & humanam. **Tertiò** strictius, ac pressius accipitur, ut est idem, quod ius scriptum, quod à consuetudine differt; quæ non est scriptum ius. Præterea, lex hoc modo sumpta aliquid accipitur, ut est quodlibet ius scriptum, hoc est, ius sine iussum cuiuslibet Magistratus, aut Principis, vel alterius potestatem habentis, siue sit ius Canonicum, & Ecclesiasticum, siue Civile: & tunc lex comprehendit omnia iura Ecclesiastica, & Civilia. Et hæc civilia, vel sunt totius populi, id est, Senatorum, Patritiorum, & omnium civium leges: vel Plebiscita, vel Senatus consulta, vel Principum constitutiones, siue rescripta, vel Magistratum edicta, vel prudentum responsa. **Secundò modo** accipitur, prout à Canone, id est, Ecclesiastica constitutione, seu decreto distinguitur: & tunc lex solum est ius scriptum Civile: qua ratione Legistas vocat vulgus iuris civilis doctores, & interpretes: Canonistas verò, Iuris Pontificij, & Ecclesiastici enarratores peritos. **Tertiò modo** sumitur lex, prout est ius scriptum civile, distinctum à Plebiscitis, Senatus consultis, Principum decretis, Magistratum edictis, & responsis prudentum: & sic usurpatur distinctione 2. cap. Constant, & cap. lex, & institut. De iure naturali, Gentium, & civili. s. constat, & l. Necessarium. s. Ita in ciuitate. ff. de origine iuris. Nam lex est populi iussum rogante Magistratu; hoc est, Senatorio, & populo iubente constitutum. Instituit. de iure naturali, Gentium, & civili. s. lex est, vbi habetur: Lex est, quod populus Romanus Senatorio Magistratu (veluti Consule) interrogante constituebat. Attentius Capito apud Gellium libr. 10. cap. 20. ait: Legem esse generale iussum populi rogante Magistratu; olim enim populo Romano coacto Consul rogabat, quod constituendum esset: & populus iubebat, ac decernebat quid fieri lege oportebat: & huiusmodi iussum constitutum, lex appellabatur. Plebiscitum verò erat Plebis statutum, nam sciscere est statueri: ea igitur quæ Plebs suo suffragio sine Patribus, Senatoribus scilicet, & patritijs viris, plebis magistratu vt potè Tribuno rogante iubebat, Plebiscita vocabantur, vt ait Gellius libr. 10. cap. 20. & in institut. loco citato. Porro Plebs à Populo differt, tanquam pars à toto: nam appellatio Populi, vniuersi ciues, & Romanorum ordines significantur, connumeratis etiam Patritijs, & Senatoribus. Gellius libro 10. capitulo 20. & l. Plebs. ff. de Verborum significatione. Senatus consultum, erat Senatus statutum, quod coactus

Senatus iubebat, sine comitijs, & sine villo plebis, aut populi suffragio: quoniam Cæsarum, & Imperatorum potentia factum est, vt penes Senatum, vice populi, leges condendi esset auctoritas. Postea verò constituto imperio, populus omnem suam potestatem in Imperatorem transtulit; & quicquid Imperator per epistolam constituebat, vel cognoscens decernebat, vel edicto iubebat, dici coepit constitutio, hoc est, Principis Placitum, Decretum, & iussum. Instit. de iure naturali, Gentium, & civili. s. sed eo quod. Magistratum edictum dicitur, quodlibet Prætoris iussum sine populi, vel plebis suffragio. Instit. de iure gentium, Naturali, & civili. s. Prætorum, & l. Necessarium. s. eo dem tempore. ff. de orig. iuris, & l. Ius civile. s. Ius Prætorum. ff. de Iustitia, & iure. Edicebant autem omnes Magistratus, non modo Prætores, aut Ediles Curules, sed & Consules, Censores, & Tribuni plebis, vt constat ex Gellio libr. 15. cap. 11. vbi edicunt Censores: Ex Cicerone Verrina quarta, vbi edicunt Tribuni plebis; & ex oratione Sextiana, vbi edicit Consul. Prætores verò edicebant, quia in alium referebant, quomodo anno suo ius dicturi essent. Erant enim Prætores, annui magistratus, & quia variabant in edictis annuis, quæ populo, vel prouinciæ proponebant, statutum est, ne amplius variarent pro libito, vt eorum edictum esset perpetuum. Responsa prudentum erant sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum fuerat de iure respondere: nam antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura, & leges publica auctoritate à Principe, vel Republica concessa interpretarentur: quibus ab Imperatoribus ius respondendi datum est, qui propterea Iurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiæ, & opiniones eam auctoritatem habebant, vt Iudici ab eorum responsis, recedere minime liceret. Quæ omnia habentur in Instit. De iure naturali, Gentium, & civili. s. Responsa. Sed quod dicitur, minime Iudici licere recedere à responsis prudentum, intelligitur, temere scilicet, aut facile, aut postquam responsa eiusmodi vim legis habere ceperunt, tacito populi consensu, vel auctoritate Cæsarum Imperatorum: & ex huiusmodi prudentum responsis totum Civile ius Pandectarum, siue Digestorum constatum est.

Tertiò quæritur, Qua in re lex à statuto differat, & à sanctione. **Respondeo,** legem esse, Principis supremi, veluti Imperatoris, Regis, & Romani Pontificis, aut totius populi constitutionem: statutum verò esse inferiorum Principum, aut Ciuitatum, & populorum in Principis potestate, & ditione degentium: Sanctio verò est lex, quæ certam poenam, præsertim capitis irrogat non obtemperantibus; l. Sanctio. ff. de panis, & Glossa distinct. 2. cap. Rhodia. Sed præterea, & strictius Principum civilium iura, & constitutiones dicuntur leges. Romanorum verò Pontificum decreta, vocantur Constitutiones potius, quam leges.

Quartò quæritur, Quanam fuerit legum, & scripti iuris origo? **Respondeo,** Demofthenem, Ciceronem, Platonem, & Plutarchum scriptum reliquisse, legem, esse diuinum inuentum, & donum; & propterea omnes legislatores patrios Deos suarum legum auctores dixisse. Cæ-

terum,

rerum, si legum in uouerunt origines, & initia inquirere uelimus, ea sunt aeterna, diuinaque ratio, & rerum omnium, quae natura constant, certa providentia, dispositio, cura, & gubernatio naturalis rebus omnibus ingeneratus instinctus, quo suae actiones praestant, & ad fines sibi propósitos diriguntur: denique mens, & ratio humana. Ex his quattuor initijs, & fontibus, leges apud omnes nationes promanarunt, & propterea iure gentium, aut naturali simul esse ceperunt ciuitates, & populi, Reges, & Principes, Magistratus, & Iudices, & Leges: haec omnia tuenda, conseruanda quae iustitiae, & communis Reipublicae salutis, & pacis, constituta sunt. Ciuitates quidem, ut mutuo societatis foedere, & uinculo sese homines tuerentur, & mutuis obsequijs, & officijs iuuantur. Reges, ut populi aduersus hostes protegerentur: Magistratus, & Iudices, ut imbecilliores contra opulentiorum potentiam defenderentur: ut boni, & innocentes absoluerentur, contra uero fontes, & improbi meritis supplicijs plecterentur: leges uero, ut tanquam perpetui Iudices semper una, eademque uoce loquentes, ad aequalitatem uniuersa reuocarent. Si uero legum, & scripti iuris Romani initium inuestigemus, id egregie tradit Pomponius in *l. Necessarium, ff. De origine iuris*, & *omnium Magistratum*, his uerbis: Initio ciuitatis Romanae populus sine certa lege, sine certo iure primum agere cepit, omniaque nati, & matris Regis gubernabantur. Sic ille Iurifconsultus, qui quidem hoc ideo dicit, quia Populus Romanus sine certa lege, & iure uidebat, hoc est, sine certis legibus scriptis, sed solum more aequitatis, & rationis praescripto: hoc enim modo ceteri etiam populi, cum primum coacti sunt, regi ceperunt: Postea, inquit, aucta ciuitate, traditur, Romulum in triginta partes populum diuisisse, quas Curias appellauit: propterea quod tunc Reipublicae curam, per sententias earum expediebat, & ita leges quasdam Curias, ipse ad populum tulit, & ualerunt ceteri sequentes reges. Sic ibi. *Constat ex historijs*, uniuersum populum Romanum à Romulo in tres partes primum diuisum, quas tribus appellauit, & singulis praefectos fuisse, qui ob id dicti sunt Tribuni. Singulas uero Tribus secundo diuisas in decem partes, quas uocauit Curias, & proinde fuisse triginta, & singulis praefectos esse assignatos, qui dicti sunt Curiones: singulas quoque Curias in Decurias distributas, quarum Praefecti appellati sunt Decuriones: Hos uero omnes Praepositos Populi Romani suffragijs uirtutum in comitijs Curiatas fuisse creatos. Subiungit Pomponius leges à Romulo, & ceteris Regibus ad populum latas, Curiarum sententijs & suffragijs fuisse conscriptas, in libro Sexti Papyrii, uiri principalis, tempore Tarquinij Prisci Demarati filij: & eum librum appellauit Ius civile Papyrianum: non quia Papyrius de suo ibi quicquam adiecerit, sed quia leges sine ullo ordine latas, & sparsas in unum uolumen redegerit. *Exactis*, inquit, *Regibus, iterum capiti populus Romanus incerto magis iure, quam scripto iuri: hoc est, iterum gubernari coepit more, aequitate, & ratione naturali: postea uero, quia Plebs conqueerebatur de uimia Patrum potentia, eo quod Magistratus ab ipsis creabantur, & leges ferebantur, uidelicet in comitijs Centuriatis,*

in quibus patrum suffragia ualebant, capiti petere, ut Legati in Graeciam mitterentur, qui inde leges deferrent ad optimam Reipublicae gubernationem peruenientes: missi sunt tres legati, qui peracto triennio redeuntes, reuenerunt incisas in decem tabulis lignis Solonis, & Draconis Legislatorum Atheniensium leges, quas in tabulis decem aeneis perscriptas pro Rostris Romanis proposuerunt, ut possent ab omnibus perspicui, & legi. Sed quia rumor erat in ciuitate, oportere aliquam in his legibus addi, suppleri, mutari, & corrigi: ideo decem uiri sunt electi, quibus eo anno datum est summum ius in ciuitate, ut, & leges corrigerent, & interpretarentur, nec uia fieret ab eis pronocatio: qui sequenti anno duas alias tabulas ad decem adiecerunt, unde appellatae sunt leges duodecim tabularum.

His legibus laici capiti desiderari, & peti earum interpretati, & proinde ceperunt consuli prudentes, qui consulti responsa dabant: quae deinde Iudicibus, & Magistratibus litigentes proponebant, secundum quae Iudices, sententias in causis pronuntiabant. Atque hinc orta sunt, quae uocantur responsa prudentium.

Eodem etiam tempore, inquit Pomponius, legis actiones introduci ceperunt, ut in causis, ac libris quibuslibet, qua ratione ius sum iueretur, quo pacto aduersario in foro responderet, quo modo illum uinceret, & causam obtineret. Omnium tamen huiusmodi legitimarum actionum, quae erant populo in causis necessariae, interpretatio erat penes Collegium Pontificum, ex quibus constituebatur unus, qui singulis quibusque annis praesert priuatis. Postea uero cum Appius Claudius in formam redigisset has legis actiones, Gn. Flavius Scriba eius, & Libertinus surreptum librum populo tradidit: qui liber inde appellatur Ius Flavianum, cui de suo Gn. Flavius nihil adiecit. Post multum temporis spatium Sex. Aelius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui uocatur Ius Aelianum. Item, cum sepe plebs (ut est natura leuis, & inconstans) à Patribus discederet, de eis nimirum conquestra, tandem obtinuit, ut sine Patribus ipsa quoque leges ferret, quae una cum populo Patres ipsos teneret, & huiusmodi leges appellantur Plebiscita: quae primum quidem Tribuno plebis rogante, & plebe iubente constituebantur, Senatores tamen minime adstringebant: deinde uero lege Publilia, Horatia & Hortensia factum est, ut Senatores quoque, & uniuersum populum tenerent. Insuper, quia Reipublicae administratio, & cura penes senatum erat, introduci coepit, ut quicquid Senatus constituisset, obseruaretur tanquam lex ab omnibus, quoniam ratum habebatur à populo.

Porro Pomponius in *l. Necessarium, ff. de origine iuris, §. Deinde*, & Iustinianus *inst. de iure naturali, Genium & Civile*, aiunt, propter ciuium copiam, populi potestatem esse ad Senatum translata: Sed uerius est, id factum esse Caesarum astutia, & calliditate, & potentia, qui ut eam tuerentur, Senatus potestatem auxerunt. Ait enim Tacitus libro primo: Tum primum à Campo Martio comitia ad Patres translatae sunt: nam ad eam diem, etsi potissima Principis arbitrio, at quaedam tribunos studijs fiebant, neque populus ademptum inuestigari nisi inani rumore: Suetonius in Caesare: Comitia cum populo partem esset, ut exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus uellet, pronuntiarentur: pro altera parte, quos ipse dedisset. Idem in Tibertio: Neque tam paruum quicquam, neque tam magnum publici,

publici, priuatiq; negocij fuit, de quo non ad Patres conscriptos referretur. Idem in Caligula: *Tenuit, inquit, & comitorum more reuocato, suffragia populo reddere.* Ex his constat Cæsarium potentia, populi potestatem esse ad Senatum translatam, & ob id Senatum iura, & leges populo dedisse, quæ dicuntur Senatus consulta.

Præterea, est etiam more introductum, ut quæ iura Prætores reddebant, obseruarentur pariter ab omnibus: & ea iura dicta sunt edicta Prætorum: quæ, quia sicut Senatus consulta, & Plebiscita, experunt omnes ciues tenere, & ligare, dicta sunt leges. Tandem populus omnem suam potestatem, & auctoritatem in Imperatorem transtulit: potestas autem ferendarum legum erat penes populum, idem est in Imperatorem ducta, & transfusa. Sicque Imperatorum iussa, Constitutiones, & leges dici ceperunt. Atque hæc quidem est, qualem breuiter descripsi, totius Iuris ciuilis origo.

Quintò queritur, Quot modis lex diuidatur? Respondeo, multis modis.

Primò quidè diuiditur à S. Thoma, in quatuor quasi species, & partes; in legem æternam, naturalem, Humanam, & diuinam. Aeterna sumitur, aut fufius, & latius, aut pressius, & strictius. Latius sumpta est mens, & ratio diuina, quæ cuncta sapienter, & rectè disposita, constanti, & certo ordine gubernat, ut constitutos, ac præfixos sibi fines assequantur: cui legi vniuersa, quæ sunt ex nihilo condita, subiiciuntur. Pressius verò, lex est ratio diuina, recta, & bona præcipiens, praua, & mala prohibens: & ab hac vna lege vniuersæ aliæ leges, scilicet, naturalis, & humana proficiuntur: & hoc modo sumpta est, cum dixit Augustinus: *Peccatum est concupitum, dictum, vel factum contra legem æternam:* quoniam quicquid iuste humana lex, vel naturalis vetat, aut imperat, id quoque lex Dei æterna præcipit, & prohibet. **Naturalis lex,** est rectæ rationis præscriptum in bonis agendis, malisq; fugiendis. **Humana lex,** est certi alicuius hominis potestatem habentis iussum, quod est, vel Canonicum, & Ecclesiasticum, quod consistit in rebus ad bonam Ecclesiarum administrationem pertinentibus; vel Ciuile, quod constat ex rebus, quæ ad ciuilem Reipublicæ gubernationem attinent. **Diuina lex,** est quam Deus per seipsum ad homines tulit. Atque hæc quidem duplex est, Vetus, & Nova. Vetus triplicis generis præcepta continebat, **Cæremonialia** videlicet de rebus sacris ad diuinum cultum pertinentibus: **Iudicialia,** quæ erant de rebus ciuilibus, ad rectam populi curam, & administrationem spectantibus; & **Moralia** quæ erant ad singulorum mores, iuxta rationis præscriptum componendos. **Lex noua** constat quadruplicis generis præceptis: habet enim præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum.

Secundò diuiditur Lex, sicut & ipsum Ius, in legem naturæ, gentium, & ciuilem. **Lex naturæ** est id, quod ratio hominis naturaliter præscribit; cuius tamen aliquod quasi vestigium est quoque in animantibus, vel cæteris etiam rebus: qui est instinctus à natura infusus; qualia hæc sunt, quæ sequuntur: Vim vi repellere: seipsum tueri sibi salutaria querere, & curare: noxia, contra-

riaque fugere, & vitare: prolem generare, educare, & alere. **Lex gentium** est, quod ratio naturalis præcipit, vel prohibet; hoc est, quod recta ratio omnes gentes docet: cuius vestigium nullum est in brutis animantibus, qualia sunt religio, & cultus Dei, honor, vel obedientia parentibus præstanda, ac cætera Decalogi præcepta. Hæc lege sunt introducta rerum dominia, bella, captiuitates, seruitutes hominum: constituti reges, creati magistratus, sancitæ leges, ciuitates fundatæ, & erectæ, legati, fœdera, commercia, & contractus depositi, mutui, & commodati, locati, & conducti, empti, & venditi, pignoris, societatis. **Ciuilis lex,** quæ est Ius ciuile scriptum, constat sex partibus: Legibus nempe, Plebiscitis, Senatus consultis, Edictis Prætorum, Constitutionibus Principum, Responis prudentum: *vt colligitur ex l. Ius ciuile, ff. de Institit., & Iure, & ex l. Necessarium, ff. de origine Iuris, §. Ita in ciuitate, & insit. de iure naturali, Gentium, & Ciuili, §. Constat autem.* Quamuis in l. Necessarium, septem partes connumerentur: quoniam sex prædictis adijcitur alia, videlicet, legis actiones, & in l. Ius gentium, ff. de Pæcis §. Prætor, solum recensentur quinque partes, vbi responsa prudentum prætermittuntur: de quibus omnibus infra separatim agemus.

Tertiò diuiditur lex ratione administrationis, qua Respublica gubernatur. Aut enim gubernatio est **Democratia,** quæ est penes populum vniuersum: aut est **Aristocratia,** cum pauci, & optimates gubernant: aut **Monarchia,** cum solum vnus rerum potius dominatur, qui est regius principatus: aut est gubernatio ex his omnibus mixta. Leges igitur, aut sunt totius populi auctoritate conditæ, aut paucorum, & optimatum consilio, & gubernatione constitutæ; aut vnus Regis, aut Principis potestate sancitæ.

Quartò, diuiditur à tabulis, in quibus scriptæ, vel incisæ sunt: quales fuere apud Romanos duodecim tabularum leges, & apud Græcos præsertim Athenienses, decem tabularum, quæ fuerunt Draconis, & Solonis; hæc fuerunt in tabulis ligneis, illæ in tabulis æreis descriptæ: sic suas leges Carthaginienses in tabulis eburneis conscripserunt: & Moyses diuinas leges in duab; tabulis lapideis digito Dei scriptas accepit. Exo. 31.

Quintò diuiditur ab eo, quod imperatur, aut vetatur: sic apud Romanos fuerunt leges Agrariæ ab agris, Sumptuariæ, à sumptibus; Frumentariæ, à frumeto; Pœnebræ, à scenore & vris; Munerales, à muneribus; Ambitus, & Maiestatis, & aliæ id genus plurimæ.

Sextò diuiditur lex ex loco, vbi ferebantur: ex auctoritate eius, à quo promulgabantur: ex modo quo sanciebantur: vnde aliæ sunt leges Curiatæ, aliæ Centuriatæ, aliæ Tribunitiæ, aliæ Consulares, aliæ Sacratæ. Curiatæ sunt quæ in comitijs Curiatis; Centuriatæ quæ in comitijs Centuriatis; Tribunitiæ quæ in comitijs Tributis ferebantur, vel quæ à Tribuno plebis promulgabantur, vel quæ rogante Tribuno plebis, & iubente plebe sine Senatoribus codebantur, quæ alio nomine Plebiscita vocantur. Consulares verò dicebantur, quæ à Consulibus promulgabantur, vel quarum consules auctores erant, iubente tamen, & decernente populo: Sacratæ verò, quæ in loco sa-

S. Tho. 2. 2.
q. 71. a. 1. 2.
c. 3.

Lib. 12. com.
tra Faustū
cap. 27.

cro editæ fuerunt, quibus teste L. i. lib. 2. sanc-
tum erat, vt si quis aduersus eas fecisset, facer ali-
cui Deorum cum familia, pecuniâque esset.

Apud Romanos porro tria erant Comitiorum
genera; Curiata, Cæturata, Tributa. Comitia di-
cebantur, quia vniuersi ciues coibant, vel ad ma-
gistratus creandos, vel ad leges sanciendo, vel
ad res, belli pacisue decernendas. Hæc enim tria
ad vniuersum populum pertinebant. Cum autem
conuocati Ciues curiatim, hoc est, per curias di-
uisi suffragium ferebant, dicebantur comitia Cu-
riata. In Cæturatis verò suffragia centuriatim
populus ferebat, in Tributis tributim. Est autem
ab Romulo illud sanè, & sagaciter inuentum, &
prudenter constitutum, quod alij quoque reges
eum infecuti seruarunt, vt vixit omnes suffra-
gium eadem vi, eodemque iure ferrent. Populus
quidem fuerat in triginta Curias diuisus; ac quo-
ties ad tria, quæ diximus, comitia coibant, curia-
tim colligebantur suffragia, & tantundem, teste
Dionysio, valebat pauperimi, quantum ditissi-
mi calculus: cumq; pauci essent diuites præ mul-
titudine pauperum, vincebantur suffragijs, quæ
populus ferebat per curias: quisque in sua Curia
suffragium inibat, & quicquid pluribus curijs vi-
sum erat, id ratû, & firmû habebatur: & ideo hæc
comitia Curiata vocabantur, & leges in eiusmodi
comitijs constitutz, Curiatz leges dicebantur.
Hoc institutum ab Romulo primum in Romanâ
Republicam introductum; deinceps à sequen-
tibus regibus seruatum est.

Primus autem Ser. Tullius sex gradus suffra-
giorum fecit, & pro Curiatis Centuriata comi-
tia introduxit, vt neq; exclusus quisquam suffra-
gio videretur, & vis omnis penes primores ciui-
tatis esset. Distinxit enim populum in sex classes,
iuxta æstimationem bonorum, & facultatum cu-
iusque: & classes in centurias diuisit; ita vt ditissi-
mum quemque prima classis contineret, vlti-
ma tenuissimum quemque: & in prima classe o-
ctoginta centuriæ peditum, & decem, & octo e-
quitum conferentur: quæ etiam in classe, teste Li-
uio, erant duæ quoq; fabrorum Centuriæ, & pro-
inde prima classis constabat Senatoribus, & Pa-
tritijjs viris, qui centum millibus æris censabantur.
Secunda classis continebat viginti centuri-
as, decem seniorum, decem iuniorum, quorum
census erat septuaginta quoq; millium æris. Ter-
tia classis erat cælus quinquaginta millium æris,
& constabat centurijs viginti, decem seniorum,
& decem iuniorum. Quartæ erat census viginti-
quinque millium æris, & in ea erant viginti cen-
turiæ, decem seniorum, & decem iuniorum. In
quinta classe census erat vndecim millium æris,
& continebat triginta centurias, quindecim senio-
rum, & quindecim iuniorum. Aditæ sunt tres a-
liæ centuriæ, eodem teste L. i. lib. 2. Tibicinû, & Cor-
nicinam. Opificum Census autè minor vndecim
millib; reliquam ciuium multitudinem habuit,
quæ erat maior populi copia, quam in vnam Cæ-
turiam redegit à militia, & tributo immunem, ac
liberam: & hæc erat sexta classis. Centuriæ itaq;
non solum censu, sed ætate etiam censabantur.
Fecit enim Rex alias Centurias seniorû, qui qua-
dragesimum quintum annum excedebant, alias
iuniorum à decimo septimo anno vsque ad qua-

dragesimum. In comitijs igitur centuriatis ciues
suffragia ferebant, prout censu, & ætate distin-
cti: & ita ciues primæ classis, prima suffragia in-
nibant. Quibus consentientibus reliquæ classes
ad suffragia minimè vocabantur: sed id decerne-
batur, quod visum fuerat primæ classis centurijs:
quæ sæpe vincebant: his verò variantibus ad suf-
fragia vocabantur cæturiz secundæ classis: quod
si nec tunc quidem calculi conuenirent; tertia
classis vocabatur, & deinceps quarta: idque fie-
bat, donec septem, & nonaginta centuriarum
conuenirent suffragia. Vnde cum in curiatis comi-
tijs ante Seru. Tullium paria suffragia essent
pauperum, & locupletum: quia pauperes plures
erant, pauci verò locupletes, omnia tunc tempo-
ris erant in magistratibus creandis, & legibus
ferendis, & bello ac pace decernenda, penes pau-
perum potestatem: ac proinde in huiusmodi comi-
tijs plebs, non Senatores valebant: id cum fu-
tulisset Seru. Tullius, factum est, vt in comitijs
centuriatis Senatores, & Patritij valerent, non
plebs. Id verò Plebs ægreferens, à Patribus seces-
sit, & non solum magistratus proprios creauit,
sed etiam leges constituit, & comitia sine Sena-
toribus. Et hæc comitia dicebantur Tributa; &
leges, Plebiscita. Et quia à Tribunis plebis pro-
mulgabatur, Tribunitiæ leges vocabantur. Tan-
dem id obtinuit plebs, vt plebiscitis suis Senato-
res quoque tenerentur: inde Plebiscita leges di-
ci cœperunt, eo quod vniuersos ciues penitus al-
ligarent.

Dionys. 4.
Polyb. li. 6.

Cap. I I.

Aliz questiones de eadem re
diluntur.

PRIMO quaeritur, An lex sit Rationis, an vo-
luntatis? Duæ sunt inter Theologos senten-
tiæ; prima legem ait ad voluntatem pertinere;
ita vt nihil aliud sit nisi voluntas Principis ciui-
bus, & populis sibi subiectis proposita, & denun-
ciata. Sic opinantur Henr. quodlib. 9. q. 6. Bonau. 3.
dist. 17. ar. 1. q. 1. nu. 12. Scot. 3. d. 36. q. 1. ar. 2. Dur. 2. d. 2. 4.
q. 2. & d. 37. q. 2. Gabr. 2. d. 39. q. 1. ar. 2. nu. 3. Almain.
tract. 3. Mor. ca. 2. Maior. 3. d. 33. q. 7. Medi. q. 2. de oratio.
Cast. de lege pena. lib. 1. cap. 1. Probant hoc auctorita-
te B. Anselmi libro de conceptu Virginis, cap. 4. Dein-
dè, quia Imperare, est mouere, & impellere ad a-
gendum, sed voluntas est quæ mouet ceteras ho-
minis vires, & facultates ad opus faciendum. Itè,
quia imperantis est mouere dicendo, fac, vel, ne
facias; at huiusmodi actus intellectus, & rationis
esse non potest. Postremò, quia in l. 1. ff. de Constitu-
tionib; Principum legitur. Quod Principi placuit, legis ha-
bet vigorem: & Instit. De iure Naturali, Gentium, & Ci-
uili, §. consuet., dicitur: Principum placita, & arbitria esse
leges, & constitutiones.

Secunda opinio docet, Legem esse Rationis:
quod tradidit S. Tho. 1. 2. q. 90. ar. 1. Richar. 3. d. 33. ar.
2. q. 6. ad 3. & alio in loco S. Tho. 1. 2. q. 17. ar. 1. gene-
ratim scripsit, Imperium esse actû Rationis: quæ
opinio mihi magis probatur, secundum quam
Lex est actus rationis, quo Princeps suis ciuibus
denunciat, ac proponit voluntatem eos compellentem,
ad aliquid faciendum, vel fugiendum. Aristoteles enim ait, lib. 10. Eth. c. 9. legem esse ad gæ,

id est, rationem siue sermonem à prudentia mente, vel intellectu profectum. Cicero *lib. 1. de legib.* testatur legem esse rationem à diuina mente constitutam, quæ recta suadet, vel imperat, prohibet, & contraria. Præterea, Lex, est certa norma, regula, & lux rerum agenda: est illuminatrix, & directrix populorum, sapiens gubernatrix ciuitatum, magistra vitæ, præceptrix æquitatis. Postremo, legis est præscribere, quid faciendum, quid fugiendum: at ratio præscribit, non voluntas: legis est cuncta ordinare: sed ratio, non voluntas ordinat. hæc itaque omnia rationi per se; non voluntati conueniunt. Animaduertendum tamen est, ita legem esse rationis, vt contineat etiam voluntatem mouentem ac obligantem sibi alios. Nam tria ad legem requiruntur, scilicet motus, & impulsus voluntatis, non qualiscumq; sed Principis obligantis subditos sibi ciues; & mentis præscriptum res agendas ordinans, & denunciatio Rationis, motum & impulsum Voluntatis proponens, & patefaciens: Ex quibus tribus prima opinio censet esse in lege præcipuum voluntatis impulsus, & motum per rationem præscriptum, & denunciatum. *Secunda* verò sententia ait, præcipuum in lege esse rationis præscriptum impulsus voluntatis denunciatus, quod probabilius videtur, & verius.

Argumenta verò contrariæ opinionis facili negotio diluuntur: nam ad primum respondeo, nouum non esse, res per causas definiiri: quare Anselmus cum dixit Imperium esse voluntatis actum, causam explicuit, non formam: Imperium enim natura, & vi sua est rationis præscriptum denunciatus, quod voluntas volendo, aut nolendo præcipit, aut vetat. Ad secundum argumentum, Respondeo, legem mouere, & impellere per id, quod habet à sua causa, & origine, at per formam esse rationis, quæ faciendâ præscribit, atq; denunciatur: ratio enim est, quæ præscribit, hoc vel illud est faciendum; hoc vel illud est fugiendum: & hoc rationis præscriptum, est lex. Ad tertium respondeo, Imperium, siue præceptum legis esse rationis actum, quo denunciatur quid sit agendum, quid fugiendum. Et sicut Prudentis præceptum, siue præscriptum non est, fac, vel, ne facias, sed iudicium rationis, scilicet, faciendum est, aut non faciendum: sic etiam legis imperium est, hoc agendum est, illud vitandum. Quartum argumentum obijciatur: Quod Principi placuit, habet legis vigorem: verum est, sed hoc nimirum, cum est per rationem ciuium promulgatum, & denunciatum. Item, placita, & arbitria Principum sunt leges, scilicet, vbi denunciantur: & certè Iurisconsultus in his legem per causam, non per formam definiuit.

Secundo quaeritur, An lex sit habitus, an actus? Nam vis ipsa, & facultas animæ esse non potest, ergo necesse est, vt sit habitus, vel actus; at videtur esse habitus: quoniam omni actu cessante lex permanet, etiam cum dormimus, leges extrat, qui bus tenemur. S. Thomas, respondet nec actum esse, nec habitum, sed quiddam per rationis actum constitutum, quod dicitur rationis præscriptum, siue principis iussum, prout ratio iubet, aut prohibet, aut princeps vetat, aut imperat.

Ceterum simplicius, & facilius dicitur potest, aut enim loquimur de lege scripta; aut de naturali:

si de scripta, est id, quod Princeps, vel Respublica iubet, quod aut scripto traditur, aut ciuium verbo denuntiatur, & inde memoriæ impressum in hæret. Si de naturali loquamur, lex est id, quod ratio ipsa naturalis iubet, vel prohibet, quodque aliquando actu est, aliquando verò habitu manet in mente, conceptis & retentis rerum agenda imaginibus, & simulacris: ante omnem verò actum, & habitum lex naturalis elucet; quatenus lex dici potest ipsa Rationis facultas, legis seminarium, fons, causa, & origo. Lex naturalis sepius vocatur ipsum naturalis rationis lumen, quo bona, & honesta, praua item, & mala perspicimus, & discernimus, quo agenda & fugienda diiudicamus. Item, legem naturalem appellamus ipsa prima rerum agenda, & fugienda principia; bonum est amplectendum, malum est fugiendum: quod tibi non vis, alteri ne feceris: quæ sunt per se nota, & ex quibus alia iura deducuntur.

Tertio quaeritur, Quid sit lex? Papinianus in l. *Lex est, ff. de legib.* Demosthenem secutus ita definit: *Lex est, inquit, commune præceptum, virorum prudentium consultum; delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio; spouio denique Respublice communitatis.* Quæ definitione, quatuor legis propria officia exprimuntur. Debet enim lex coli, & seruari ab omnibus generatim: debet quoque prudentium virorum consilio sanciri, & promulgari: supplicia ite malefactoris: præmia verò beneficis proponere. Marcianus in l. *nam & Demosthenes, ff. de legi. Chryssipi Stoici definitionem commendat. Lex, inquit, est diuinarum humanarumque rerum regina, lux, Princeps, & præses bonis, & malis, & regula iustarum, quæ docet agenda, & fugienda comperit.* Cicero verò legem definire tentauit libro primo de legibus: *Lex, ait, est summaratio iustitiae in natura: item ibidem, rectam rationem, & à numine deorum tractam, legem appellat, recta imperantem & contraria prohibentem, & lib. 1. de natu. Deorum, inquit: Lex est recti præceptum, prauitque depulsio.* Rursum lib. 1. de legib. *Lex, est æternum quiddam, quod vniuersum mundum regit, ac temperat.* Item, *sapientia, & ratio ad inuendum & probandum idonea.* Sed his definitionibus Tullianis videtur lex naturalis, & æterna describi, non humana & scripta. Apud Gellium, quem quidam Agellium appellant, Capito Iurisconsultus: *Lex, inquit, est generale iussum populi, aut plebis, rogante Magistratu.* Hæc autem definitio solum conuenit legibus à Romano populo, vel plebe constitutis. *Lex est, inquit, alij, inuentio, & donum Dei, & communis constitutio ciuitatis, & correptio vtriusque errorum.*

Theologi, Gabriel, Almainus, & Maior Gesonem secuti definiunt ad hunc modum: *Lex est signum verum, angelo, vel homini denuncians præscriptum alicuius obligans ad aliquid agendum, vel fugiendum. Dicitur (Signum verum) quia quod falsum est, vim legis habere non potest: nam si conscientia errans suo nos præcepto compellit ad aliquid faciendum, non per se; sed ex accidente habet, nempe ex ignorantia, qua decepti putamus teneri nos lege. Dicitur (obligans) quoniam ad legem non satis est si velit Princeps, vt ciues quippiam efficiant; sed etiam necesse est, vt velit eos sua lege, quam decernerit, adstringi & obligari ad naturam, & rationem legis pertinere, vt vim habeat obligandi: si nos non teneat, & alliget,*

S. Th. 1. 2.
q. 90. ar. 1.
ad 2. & q.
94. ar. 1.

Gal. 1. 1.
mod. 1.
cap. 1.

Gal. 1. 1.
17. q. 1. 1.
Almainus.
Maur. 1.
lib. 1. 1.

Lex non

lex non est. An verò leges, quæ poenales vocantur conscientiam, & animam ligent, & an leges consilium dantes, vel aliquid permittentis sint propriæ, & simpliciter leges, dicemus inferius.

Quartò queritur, An ad legis substantiam, ratione, & vim scriptura pertineat? quod est querere, An oporteat legem humanam esse scriptam, vt nos liget, ac teneat, & quæstio intelligitur tantum de lege, quæ est à consuetudine, vim legis habente, distincta, & intelligitur, an vim legis sine scriptura habeat etiam in foro iudiciali. **Hanc** quæstionem latè pertractarunt Felinus, & Aug. Beroius: pressè verò, & paucis Panormitanus in Rubrica de constitutionibus. Sunt duæ opinioniones: prima affirmat scripturam requiri ad legem humanam. Sic Albericus, Salicetus, Glossa, & Archidiaconus citati à Felino, & Beroio. Immo hanc opinionem esse communem Iuris ciuili interpretum, tradit Beroius. Secunda opinio negat ad legis substantiam scripturam esse necessariam, sed sufficere si tantum testibus comprobetur. Sic Ioann. Andreas, Speculator, Antonius Imola, Abbas, quos referunt Felinus, & Beroius; & communem esse inter Canonici iuris doctores, ait idem Beroius. Cui sententiæ magis accedo, tanquam probabiliori. In foro itaque conscientie, immò etiam iudiciali ad substantiam vel rationem legis humanæ scriptura minimè requiritur, satis est, si aliud cõstet, saltem iure canonico communi: nam multæ leges primò fuerunt vsu receptæ, deinde verò scripto mandata, leges item primo cõduntur, feruntur ad populum, voce publica promulgantur, deinde verò in scripturam rediguntur, vt ex scripto legantur ab omnibus. Præterea, cap. in istis. dist. habetur: Tunc leges constituuntur, cum solemniter promulgantur. Sed sæpè fit, vt lex primò publicè promulgetur, deinde verò literis consignetur. **Accedit**, quòd dicitur in cap. Consuetudo, dist. 1. *Consuetudo pro lege suscipitur, cum desit lex. Nec differit scripturam, an ratione consistat: quoniam ratio legem commendat.* Hæc ibi. Et capitula, Institutionis, vigesima quinta, questione secunda, legimus. Institutionis nostræ decreta, siue quæ scripto decernimus, siue quæ in nostra presentia videntur esse disposita. Et capit. 1. de Iureiurando in 6. scriptum est: Nisi inramenta, si autem, & consuetudines Ecclesiarum, scripta, aut non scripta inuincibiliter obseruare, &c. Ex quo efficitur, vt etiam in foro iudiciali ad legis substantiam, scriptura iure canonico minimè necessaria sit. Immo in iure etiam ciuili cõmuni, non videtur scriptura requiri: nam Instit. de Iure Naturali, Gentium, & Ciuili, §. sed, & quod consuetudinem est. *Quodcumque Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edito præcepit, legem esse constat.*

Verum contra hæc obijciuntur nonnulla: **Primum** est, quòd ca. lex dist. 1. ex Isidoro refertur: Lex, est consuetudo scripta. Augustin⁹ Beroius laborat plurimum in hoc argumento diluendo. Sed facilius est dicere, Isidorum locutum fuisse de eo, quòd in legibus sæpè contingit. frequenter enim, ac vt plurimum scripto mandantur; non tamen inde conficitur, vt ad legis substantiam scriptura pertineat. **Secundò** obijciuntur: Lex à consuetudine differt: quòd consuetudo est ius non scriptum, ergo Lex, vt à consuetudine distincta, est ius scriptum. **Respondeo**, hoc legem à consuetudine differre,

quòd consuetudo approbata vim legis habeat, ita vt cõsuetudo per se nunquam sit ius scriptum; at verò Lex plerumq; in scripto consistit. **Tertio** obijciunt nonnulli, Instit. de Iure Naturali, Gentium, & Ciuili, §. constat: sic haberi, Ius scriptum, aut non scriptum, consistit: scriptum autem, est lex, Plebiscitum, Senatus consultum, Principum placita, Magistratum edicta, Responsa prudentum, Et §. sine scripto, subiungitur: Sine scripto ius venit, quòd vsus comprobauit. Et dist. 1. cap. Ius generale, dicitur: Ius autem legibus constat, aut moribus. Et deinde sequitur: lex, est consuetudo scripta: Mos, est longa consuetudo ex moribus vniuersum tantummodo tractata. Et cap. Consuetudo, concluditur: *Quæ in scriptis redacta est, vocatur consuetudo, lex siue ius: quæ verò in scriptis redacta non est, consuetudo appellatur.* Respondeo, hæc omnia ideo esse dicta, vt intelligeremus, hoc inter consuetudinem, & legem distare, quòd consuetudo vsu tantum, non scripto constat; at verò lex sæpè scripto constat. Postremò obijciunt, quòd in l. Romanum, c. de legibus legitur. Si in posterum noua Lex statuatur, eam ab omnibus præceribus tractari debere: & si vniuersis placuerit, tunc dicitur & collectis omnibus recitari: & cum omnes consenserint, in sacra imperatoris consistorio recitari. Et subiungitur, non aliter in posterum legem promulgandam, nisi fuerit prædicta forma seruata. **Respondeo**, in ea lege nihil cõtineri, quo probetur, scripturam ad legis substantiam esse necessariam, nisi quatenus scribebatur, vt ex scripto coram omnibus recitaretur, & esset omnibus nota.

Quintò queritur, An sit necessaria scriptura ad substantiam, & rationem Priuilegij, & facultatis à Principe concessa (Hanc quæstionem fusè quoque tractarunt Felinus, & Augustinus Beroius in Rubrica de Constitutionibus; breuiter autem perstrinxit Abbas in cap. cum nostram, de rescriptis. De hoc sunt duæ opinioniones, prima ait scripturam requiri, ita vt omnis facultas à Principe concessa ante scripturam, vi & robore careat. Qui sint huius opinionis auctores referunt Felinus, & Beroius. Secunda opinio tradit, omnè facultatem, & Priuilegium solo verbo à Principe concessum esse perfectum, & proinde quamlibet facultatem à Romano Pontifice datam, vim habere statim atque supplicationi, quam vocant, hoc est, petitioni signatæ & ipsi oblata, respondet Pontifex sub scripto verbo, Placet, vel fiat. **Hanc** sententiam sequuntur Panormitanus, Felinus, Beroius, & Baldus in l. vltima, c. de legibus, & Glossa cap. Institutionis 25. quæst. 2. Ex quo deducit Abbas, & Baldus; Si Romanus Pontifex solo verbo compellaret Titium Episcopum, vel Abbatem, continuo ea sola compellatione Titius esset creatus Episcopus, vel Abbas, hoc est, eo ipso iurisdictionis potestatem, non tamen ordinis acciperet; aiuntque hanc esse opinionem communem, præsertim Pontificij iuris interpretum. Et probant ex capit. Institutionis, 25. quæst. 2. & Clemens. Dudum, §. Nos enim. De sepulchris.

In hac controuersia annotandum est, hanc iuris canonici doctorum sententiam intelligi debere secundum commune ius Canonicum, aut Ciuile, quoniam ex more, & consuetudine, vel peculiari statuto, vel vsu saltem Curie Romanæ potest aliud esse introductum. Secundo sciendum quoque est, Beneficiorum, id est, Clericorum Beneficiū Ecclesiasticum habentium, inter alias

obligationes, quib⁹ sunt Ecclesiæ obligati, vnam hanc esse, vt post Beneficium obtentum concessu & munere Romani Pontificis, decreto, & lege compellantur ad litterarum Pontificiarum expeditionem, quotiescunque Beneficium Ecclesiasticum est à Romano Pontifice collatum, confirmatum, vel vnitum. Vnde inter Extrauagantes communes de electione extat constitutio edita à Bonifacio, huius nominis octauo, quæ incipit. In iunctæ, in qua præcipitur, vt si Episcopatus, vel Superiores Abbatia, vel Prioratus fuerint à sede Apostolica collati, confirmati, vel vniti, nemo possit ante litteras expeditas possessionem apprehendere: alioqui totum sit irritum. Et quia huiusmodi constitutio in vniuersum non loquitur de omnibus Beneficijs; ideo, qui successere, Pontifices idem ius protendisse legimus ad omnia quoque Beneficia inferiora. Extat Pauli Tertij constitutio, quæ incipit: *Cum nobis*, alia Iulij Tertij, quæ incipit, *Sanctissimis*: in quibus Pontificum Constitutionibus comprehenduntur omnia inferiora Beneficia sedis Apostolicæ concessu impetrata. Extat item alia à Iulio secundo edita, cuius initium est, *Romani Pontificis*, quæ complectitur omnes Episcopatus, Abbatias, Prioratus siue in Titulum, siue in Commendam, siue in administrationem datos. Et ex Constitutione Iulij secundi citata constat ad omnia Beneficia, quæcunque sint à sede Apostolica accepta, vel per collationem, vt vocâr, vel per confirmationem, vel vniônem, vel dispensationem de retinendis Beneficijs post promotionem ad alia Beneficia, requiri litteras expeditas, ita vt qui sine huiusmodi litteris, Beneficia apprehenderint pro intrusis, & violentis possessoribus habeantur, nec faciant fructus suos, sed in conscientia ad restituendum ipso iure adigantur: nec iurari queant Regula Cancellariæ, de Annali, bienniali, trienniali uel possessore; & ipso iure priuantur Beneficijs obtentis, quorum possessionem apprehenderunt ante litteras Apostolicas, & inhabiles redduntur ad alia beneficia consequenda. Ex quo perspicitur, nullam vim habere, quod docet Nauarrus in *e. accepta de restit. spoliat. Opposi. d. nu. 2.4.* reprehendens Felinum, & alios, asserentes, huiusmodi Beneficiarios ante litteras expeditas Beneficia apprehedentes, esse pro intrusis habendos. Nam quamuis sententia Nauarri id negans vera sit secundum commune ius, & secundum prædictam Bonifacij constitutionem, quæ incipit, In iunctæ, non tamè iuxta nouum Pontificiarum constitutionum ius, & secundum morem in Romana curia receptum.

Tertio animaduertendum est, aliud esse de Beneficijs Ordinariorum concessu, & auctoritate collatis. Nam si quis post impetratum beneficium Ordinarij auctoritate, ante litteras expeditas Beneficij possessionem adeptus fuerit, nullus iuris poenis afficitur, quia supradictæ Pontificiæ constitutiones solum loquuntur de Beneficijs à Romano Pontifice impetratis.

Quarto sciendum, extare Regulam. 25. ordine Cancellariæ, vt Gratia Apostolica informis censetur, id est, imperfecta ante litteras expeditas, & ne iudicetur iuxta formam supplicationum, signatarum, super quibuslibet impetrationibus, & concessionibus subscripto verbo Placet,

vel fiat, ex quo quidam deducunt, omnes impetrationes, & facultates Pontificias robore carere, ante litterarum expeditionem. Alij verius existimant, quod ait Felinus in *cap. Cognoscentes de Constitutionibus nu. 6.* exceptis causis beneficiarijs, impetrationes Apostolicas absque litteris expeditis, in foro quidem conscientie vim habere, licet in foro iudiciali robore careant. Regulam porò Cancellariæ citatam, de foro tantummodo iudiciali esse intelligendam: in ipsa enim Regula legitur: Vt non iudicetur, quibus verbis innuitur sermonem esse de foro iudiciali tantummodo, ego tamè arbitror id esse tenendum, quod in hac parte, curiæ Romanæ vsus habuerit.

Quinto sciendum est, ad facultatem non referendi in Beneficijs curam animarum habentibus requiri præter iustam causam etiam facultatem impetratam, ab Ordinario in scriptis ex Tridentino Concilio *sessio. 23. ca. 5.*

Sexto est animaduertendum, Glossam in *ca. de censibus in 6. verbo; In scriptis*, enumerare triginta quattuor casus, in quibus ex iure scriptura requiritur, quos in præsentia silentio prætermitto, cum facile apud Glossam legi possint.

Ex his omnibus colligitur, quid sit dicendum de multis priuilegijs, facultatibus, indulgijs, & dispensationibus, vt vocant, quæ passim à Pontifice Romano impetrantur: Vt si alicui facultas conceditur eligendi Presbyteri, qui possit eius confessiones excipere, vel ingrediendi claustra sacrarum puellarum, vel virginum, vel faciendi, & offerendi hoc, aut alio modo sacrosanctum Missæ sacrificium, vel non seruandi ieiunium temporibus ab Ecclesiâ indictis; vel suscipiendi sacros ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel iuris interstitijs minime obseruatis, hæc & id genus Pontificiæ facultates, vim habere videntur in foro conscientie, statim atque eas Romanus Pontifex concesserit subscripto verbo Placet, vel, Fiat.

Vltimo queritur, An ad substantiam, & rationem legis requiratur, vt teneat ac liget conscientiam? quod est querere, An si lex neminem aliger, legis vim, & naturam habeat? Respondeo non habere. alioqui enim consilia Christi Domini in Euangelio data, leges & præcepta fuissent: Murum date: Orate pro persequentibus, & calumnantibus vos: Si quis te perculserit in dextram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Obijcies, communem esse sententiam Canonici iuris interpretum, quam docet Felinus, legem consulentem tantum bono ciuium, quam consultoriam appellant, esse legem, licet ea nemo teneatur obtrictus. Item, iuris Ciuilis doctores in *l. legis virum, ff. de legibus*, communi consensu tradunt, legis aliquando esse consilium dare, & aliquæ tum in iure Ciuili, tum Canonico leges continentur, quæ tantum nobis consilium dant, obligationem non inducunt. Respondeo, legem vocari consilium, quia legis similitudinem, & modum obtineat, non tamen quia præcipiat aliquid, & iubeat: consilium enim proprie dicitur, ac docet, quod est ipsi cum lege commune, non tamen imperat, & ligat, quod est proprium legis. Proinde consilia ab iurisconsultis, nomine quidem non re, & substantia leges appellantur, & tanquam

normæ quædam, & regulæ directrices in agendo inter leges recensentur. vnde de quavis notum fit nobis, vt ait Gab. 3. d. 37. q. 1. ar. 1. n. 1. velle Principem, vt aliquid faciamus, lege minimè tenemur, nisi velit nos obligare.

Quæres, An Lex, cuius contemptor, aut violator pœnæ reus tantum est, non culpæ, vim & rationem legis obtineat? quod est quærere, An Lex, quæ non obtemperantem quamuis à culpa liberum, pœnæ tamen obstrictum tenet, sit propriè Lex? quidam aiunt non esse propriè legem, sed conuentionem inter Principem legislatorem, & subditos initam, vt pœnam luere debeant non obediens, licet culpam minimè contraxerint: at probabilior est sententiâ eorum, qui putant esse verè, & propriè legem; quoniam licet non ita liget conscientiam, vt qui eam non implet sese culpa obstringat, sic tamen ligat, vt contemptor, aut violator ipsius pœnam debeat sustinere, & id quidem nõ est ex voluntate, qua subditi sese pœnæ subiecerunt, sed auctoritate legislatoris, non obtemperantes adigentes ad pœnam perferendam: ad legis autem rationem satis est, si hoc aut illo modo liget, ac teneat ciues Principi subiectos.

Quæres deindè, An quando Religiosorum Institutum decernit in vniuersum, ne regulæ, & Constitutiones conscientiam ligent, hoc modo: Nolumus per aliquod nostrum statutum aliquem obligare ad culpam, ab ea generali Constitutione intelligere oporteat exceptum esse statutum illud speciale, quo superiori apertissimis verbis ostendit se obligationem inducere ad pœnâ perferendam, dicendo: Volumus, & declaramus, vt Constitutiones nostræ non obligent ad culpam, sed ad pœnam subeundam. Caietanus cum quæreret, an reus non seruans statutum obligans ad pœnam nõ ad culpam, peccatum incurrat, si pœnam non dederit, Respondet: Vbi eiusmodi generale statutum est de nõ obligando ad culpam, qualia sunt, inquit, statuta Dominicanæ instituti, nullam culpam contrahi, quamuis quis pœnam statuto irrogatam non soluat. Sicut enim, ait, non peccat, si quis statutum de silentio seruando perfringat; sic nec culpa vlla se maculat, si penam ob silentium violatum, vi statuti debitam non luat. Quod probat, quia generalis est Constitutio, ne Dominicanæ ordinis statuta obligationem inducant contrahendi culpâ: sed species sub genere continentur, & qui totum dicit, nihil excludit: ergo silentij contemptor, sicut violando silentium non peccat, ita nec peccat, si pœnam violati silentij non perferat. Alphonsus Castrensis Caietanum confutat eo vno argumento, quod S. Thomas apertè testatur Dominicanos, licet in nullam culpam incurrant vi suarum Constitutionum, si eas non seruent, compelli tamen ad pœnam perfoluendam. Item, statuti cõditor apertè dicit se obligare ad pœnam, quamuis culpam non contrahant, qui statutis nõ parent, & obtemperant: at vbi obligatio est, ibi præceptum esse oportet, & præcepti, ac obligationis omisio in culpa est. Obijcies; Vbi culpa non præcessit, pœna non debetur: pœna enim ob culpam irrogatur. Item, statuto non parens pœnam luere debet, vi ipsius statuti; ac statutum apertè habet, culpæ reos non esse, qui ipsum nõ seruant:

ergo nec vlla culpa tenentur, qui statutum violant, & pœnam non soluant. Respondeo, posse quemlibet sese alteri obligare ad pœnam luendam, quamuis nihil delinquat. Item, superior ius & potestatem habet obligandi inferiorem sibi subiectum ad pœnam sustinendam, etiamsi non deliquerit: nam pœna potest constitui sine peccato, dummodo iusta causa subsit. vnde regula iuris in 6. habet. sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus: & pœnam propriè acceptam esse peccati effectum, at fufius, & latius sumpta pœna vocatur, quicquid molestum, & acerbum quis absque vlla etiam culpa cogitur sustinere. Hæc opinio mihi magis probatur: nam S. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 1. ait, tale statutum non obligat ad culpam, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam. Nec obstat, quod Caietanus opponit speciale statutum cum generali pugnare, si est obligatio ad pœnam subeundam. Nam generale statutum, quo dicitur: Nolumus nostras Constitutiones ad culpam obligare, intelligitur ea excepta Constitutione, in qua conditor eius exprimit se obligare ad pœnâ statuto irrogatam patiendam, quamuis nulla sit, in violatione statuti, culpa contracta.

Cap. III.

De promulgatione ad legis substantiam, & rationem necessaria.

PRIMO quæritur, An Promulgatio ad legis naturam, & substantiam sit necessaria? Respondeo, ex communi omnium, tum Ciuili, tum Canonici iuris interpretum, & Theologorum sententiâ, eam requiri: quod naturalis ratio manifestè conuincit. Nam lex, est iussum populi, Principis vel alterius potestatem habentis ciuibus patefactum, ac denunciatum; at non potest iussum alteri esse notum, nisi ei sit indicatum, & promulgatum. Item, ex iure Canonico constat promulgationem ad legem opus esse. Nam in cap. In istis, distinct. 4. dicitur: Leges instituantur, cum promulgantur. Præterea, idem est in iure ciuili constitutum: nam in c. de legibus, l. leges, habetur: Leges sacratissimæ, que constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent. Et in Authentica, Vt factæ nouæ Constitutiones, decernitur tunc valere leges, ex quo in commune factæ sunt manifestæ. Olim apud Romanos primum lex à Magistratu scribatur domi suæ priuatim, & de ea cum viris prudentibus consultabatur: ne lex absurdi, vel incommodi aliquid cõtineret. Deindè, Magistratus in comitijs curiatis, vel Centuriatis, vel Tributis populum, aut plebem rogabat his verbis: Velitis, iubeatis hoc aut illud constitui. Populus, vel plebs si improbabat, respondebat, A, id est, Antiquo, quasi diceret, Antiqua probò, noua non item: si probabat, respondebat: V. R. id est, Vti rogas, quasi diceret, Probo, & decerno vti rogas: & hæc apud scriptores Romanos dicebatur Rogatio legis. Postea Magistratu rogante, Populo vel plebe iubente, & decernente, hoc vel illud statui debere, Lex ipsa scripta promulgabatur trinis nundinis, hoc est, publicè proponebatur: nam, vt ait Festus, promulgari idem est, quod proponi, vt proposita

in publico loco legi posset ab his, qui in Urbem ex agris, ac rusticis tribubus, ac municipijs veniebant. Nundinae dicebantur rusticorum feriae, quibus nono quoque die intermisso ruris labore, quo per octo dies opera faciebant, in Urbem mercandi, & vendendi gratia conueniebant. Unde leges triduo die promulgari dicebantur, hoc est, tribus continuis nundinis. & lege Licinia, & Didia statutum est, ut trinis nundinis proposita Lex esset, antequam ferretur ad populum, & in tabulis aeneis incidere post tertias nundinas. Nam ipso nundinarum die ferre legem non licebat teste Macrobo, lib. 1. Saturna. ca. 16. Magistratus in eum locum, ubi legem laturus erat, populum convocabat. Ibi cum legum praeco subiiciente scriba recitasset, is qui legem promulgaret, populo suadebat, ut rogationem, & legem acciperet, & deinde ceteri, vel suadebant, vel dissuadebant: & tandem si quis tribunus plebis vellet intercedere, hoc est, impedire, ne lex statueretur, id faciebat: tandem Promulgata lex, in aere incisa ad populum ferebatur pro rostris. Si roges, an aliquando Lex absque promulgatione vim, & auctoritatem habeat; ex his, quae dicta haec sunt, colligit Navar. conf. 1. de constit. nu. 3. sequutus Decium cap. 1. de postulatio. nu. 19. Falsam esse Abbatis sententiam in cap. 1. De postulatio. nu. 10. Constitutionem ligari etiam antequam publice promulgetur, dummodo, inquit, solemniter fuerit edita, in publico populi conventu; quod si non sit solemniter lata, non alligari, donec publice promulgetur, quod probat ex eo, quod eo capite definitur, constitutio, cum solemniter editur, aut publice promulgatur. Sed haec Abbatis opinio cum communi omnium sententia pugnare videtur: & certe S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 4. & Theologi in 3. d. 37. ad rationem legis promulgationem requirunt.

Secundo queritur, Qualis debeat esse promulgatio legis, ut legitima censeatur? quod est querere, ubinam oporteat legem promulgari; & promulgata Lex quando ciues omnes incipiat alligare? Respondeo, ex iure Civili Authentica supra citata, manifeste constare, legibus promulgatis omnes teneri post duos menses a solenni, & publica promulgatione. Et deinde subiungitur, legem promulgari debere in singulis prouincijs. Ergo lex incipit omnes ligare post duos menses elapsos ab ea, in singulis prouincijs publice promulgata. Unde communis est iuris civilis, & Canonici doctorum, & Theologorum opinio, particularibus populorum, ciuitatum, aut inferiorum Principum statutis omnes teneri, statim atque in ipso populo, Republica, vel curia Principis promulgantur: quoniam huiusmodi populi, Ciuitatum, aut Principum iurisdictio solet esse perangusta: neque enim ita ampla, & late patet atque supremi Principis potestas. Quare leges Imperatoriae, vel Regiae, cum ad diuersos populos, & prouincias ferantur, promulgari solent, & debent in singulis prouincijs, nisi aliud ipsi Imperatores, vel Reges decreuerint. Conuenit quoque inter omnes, Quotiescumque lex supremi Principis certum tempus constituit, a quo incipiat ciues adstringere, statim ab eo tempore, & non ante, ciues ea lege obligari: & propterea Authentica supra citata, solummodo intelligitur de legibus supremi Principis, & quae certum tempus non expriment. Ex quo ef-

ficatur, ut si lex Imperatoria, vel Regia ita feratur: Volumus hac nostra sanctione, post tres menses, aut sic: Volumus statim atque fuerit haec lex in nostra curia publice promulgata, omnes teneri: iudicandi sit omnes ea lege alligari post tres menses, aut statim iuxta praescripta legis verba, & secundum tempus in ea lege decretum.

Tertio queritur, An Romani Pontificis Constitutiones, quae Bullae Pontificiae, aut Diplomaticae vocantur, nec in corpore iuris continentur, requirant iure communi duorum mensium spatium, & promulgationem in singulis prouincijs: ita ut non antea incipiant omnes tenere, & ligare: An vero statim, ut in Curia Romana, solenni more propositae denunciantur, omnes obstringant, etiam antequam in singulis prouincijs promulgentur? Duas opiniones inuenio, prima docet iure communi, non sufficere promulgationem in Curia Romana publicam & solennem, nisi etiam in singulis prouincijs promulgentur. Item, non ligare, nisi post duos menses exactos a promulgatione in prouincijs. Abbas in ca. Cognoscetes, de Constitution. n. 7. primum dubitat, sed tandem huic sententiae videtur accedere: quamuis in cap. Nonerit de sententia excommunic. oppositum dixerit: Sic etiam Antoni Butrius, Ioannes Imola, Ioannes Lignanus, Cardinalis Zabarella in ca. Cognoscetes, de constitutionibus, nu. 4. q. 6. qui tamen oppositum tradit in Proximo Clementinae, verbo, Vniuersitari, q. 4. Sic etiam Felinus, & Berouius, in ca. Cognoscetes, de constit. Hanc sententiam inter Theologos secuti sunt, Sor. lib. 1. de iust. q. 1. ar. 4. vers. as. vero de summo Pontifice Angel. lex. q. 12. & Med. 1. 2. q. 90. a. 4. vers. sed queritur, qui citat etiam Caietanum, sed falso. Probat etiam multis. Primum, quia eadem videtur esse ratio de Pontificijs, quae est de Imperatorijs Constitutionibus: nam ius civile, ubi iuri Canonico non aduersatur, seruari ab Ecclesia solet, ut deducitur ex ca. 2. de Noni operis nunciacione, ubi dicitur: sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum Canonum statuta, Constitutionibus Principum adiutantur. Idem habetur in c. si in adiutorio, d. 10. & ibi Glossa ait: ubi de iure Canonum, leges citari possunt: sed ius Civile in hac re non est iuri canonico contrarium, ergo seruari debet. Item, Lex ideo dicitur communis, quia ubique promulgatur, ut ubique sit nota. Deinde, quia in c. Cum infirmus, de penitentijs, & remissionibus, plane statuitur, lege Medicos non teneri, nisi postquam eam Praelati promulgauerint, & c. Propositi, d. 32. habetur: Si ad aliquos forma Ecclesiastica videri, quae ab Episcopo Siricio ad omnes prouincias commouit, non probatur peruenisse, ignorantibus venia non negatur. Præterea, c. Quod dicitur, d. 16. decernitur non posse excusari ignorantiam, cum Sardienfe Concilium ab omni Ecclesia fuerit receptum. Item, quia nimis onerosum est, ut statim atque Pontificiae leges Romae promulgantur, omnes Christiani nominis, & religionis, per vniuersum terrarum orbem sparsas prouincias alligent.

Secunda opinio docet, iure ipso communi sufficere promulgationem in Curia Romana publicam. Sic Ioannes Monachus in c. in Generali, de Regulis iuris in 6. Franchus super data, in sexto. n. 13. & Henr. in ca. cognoscetes, de constit. Paul. de Eleza in proximo Clem. 10. Andre. cum Gloss. super data, Sexti. vers. anno quarto. Reg. c. 2. de constit. Anch. c. 2. de constit. Sy. Lex. q. 6.

Rosell. lex. nu. 8. Gome. de regul. Cancellaria in proba. q. 2. l. d. e. f. Nauar. consil. 1. de consil. q. 4. num. 14. & sequent. & q. 9. nu. 32. Quod probant, quia alioqui Decretalibus, & Sexto, Clementinis, & Extrauagantibus non teneremur, quia nunquam sunt in prouincijs promulgata. Deinde, quia contrarium est in more positum. Nam Regula Cancellariae in Prouincijs non promulgantur, & tamen iuxta earum prescriptum, caute omnes ad quoslibet Christi cultores, qui in toto terrarum orbe versantur, pertinentes definiuntur. Accedit his, quod nusquam ius Canonicum statuitur, ut Pontificiae constitutiones in singulis prouincijs promulgentur: nec iure civili Romani Pontifices tenentur. Item, Pontificiae Constitutiones, quae uocantur Bullae in Coena Domini, non solent nisi Romae publicari; & tamen secundum eas ubique iudiciales sententiae pronuntiantur. Postremo, quia alioqui Concilij Tridentini Decreta, non ubique omnes ligarent, cum non sint adhuc in singulis prouincijs promulgata.

In hac quaestione distinguendum esse, quidam existimant. Si enim, inquit, ius scriptum sequamur, prima opinio magis est iuri consentanea; si autem secundum consuetudinem usum receptam loquamur, secunda opinio est uerior, ac ita amplectenda. Unde primae opinionis auctores secundum ius scriptum loquuntur: Auctores uero secundae sententiae, secundum morem, & consuetudinem approbatam. Antonius enim Butrius, Ioannes Imola, Felinus, & Franchus, qui primam sententiam sequi uidentur, subiungunt aliter esse dicendum secundum consuetudinem: & Nauarrus, qui secundam sententiam tuetur, aperte docet, primam opinionem magis cum iure scripto congruere, secundam uero esse tenendam propter consuetudinem usum confirmatam, sed ego non uideo quo pacto prima opinio magis cum scripto iure conueniat: nam uel intelligit ius civile, uel canonicum: si civile, Pontificiae constitutiones non sunt ad ius civile contrahendae: si canonici, certe nullum extat, quod magis pro prima sententia faciat, quam pro secunda. Et reuera consuetudine receptum est, ut quauis nulla sit in prouincijs publica denunciatio, iudicetur secundum pontificias constitutiones in Romana Curia promulgatas: ac propterea primae sententiae argumenta facile diluantur.

Ad primum respondeo, licet non uideatur esse iuris communis, ut Pontificiae constitutiones statim, ut in Romana Curia promulgantur, omnes ubique teneant, sed more, & consuetudine receptum esse uidemus, ut sola sufficiat promulgatio Romae, ritu, & more solenni facta, ut omnes ubique alligentur.

Ad secundum respondeo, id, quod habetur in cap. Cum infirmitas, esse speciale illius constitutionis ius, non tamen esse ius generaliter constitutum.

Ad tertium respondeo, graue nimis non esse, ut statim omnes teneantur. Nam qui legem rite promulgatam bona fide absque culpa ignorant iustam exculationem habent, si contra fecerint. Ut hanc igitur controversiam plene dirimam, in primis sciendum est, Caietanum pro prima opinione non facere 1. 2. q. 90. art. 4. ut falso quidam

putarunt, quoniam solum dicit haec uerba, *quod si Romae noua Lex promulgatur, nec curia ipsa procurat, ut promulgatio ad Ecclesias Cathedrales denentur: nec prelati, qui ibi sunt, infirmant ius Ecclesiae, accusari nec apud Deum, nec apud homines ignorantia possunt absentes nescire*: Quibus uerbis significat Caietanus constitutiones Pontificias Romae publice promulgatas, omnes ubique obligare, & tenere, sed ignorantes eas iustam exculationem habere, quoniam nesciunt, sint necne promulgatae. Item, Sotus loco citato, ideo putat necessariam esse promulgationem constitutionis Pontificiae in prouincijs, quia creditur, inquit, Pontifex non aliter uelle obligare omnes, & ubique nisi constitutio in prouincijs promulgatur. ergo si uis, & more nobis constat Pontificem uelle obligare ubique, suis constitutionibus Romae publice promulgatis, non est cur aliquis dicat generatim Sotum docuisse, Pontificias constitutiones non ubique obligare nisi in prouincijs singulis promulgatur. Praeterea, Animaduertendum est, ad Constitutiones Pontificias, quae continentur in iure, uel quae sunt ubique more usque receptae, opus non esse promulgationem in prouincijs: quales sunt leges contentae in Decreto Gratiani, aut in Decretalibus, aut in Sexto, Clementinis, & Extrauagantibus, quae corpus iuris efficiunt. Praeterea, in constitutionibus Pontificijs, quae antiquo usu Romae tantum proponi, & denunciari solent, & non alibi, non est necessaria promulgatio in prouincijs: cuiusmodi sunt constitutiones, quae continentur in Regulis Cancellariae, & in constitutione, quae dicitur Bulla in Coena Domini, & quae Romae publice recitari, & promulgari in hebdomada sancta solet. Item, in his constitutionibus, in quibus Pontifex exprimit uelle se, ut omnes teneantur ea lege ex eo tempore, quo fuerit Romae solenni more promulgata, non requiritur alia promulgatio in prouincijs: Et in hoc Sotus, etiam cum secunda opinione consentit. Unde Tridentinae Synodi decreta, quae pertinent ad reformationem, & ius Canonicum, coeperunt omnes adstringere Kalendis Maij, anno 1564. Sic enim declarauit Pius Quartus, in sua constitutione, qua eam Synodum confirmauit, quae incipit: *Sicut & sacrorum*. Postremo, iuxta quorundam sententiam annotandum est: De alijs Pontificijs constitutionibus, quae nouae quotidie sancuntur, in foro conscientiae, si quis tequeretur primam Soti, Angeli, & Panormitani opinionem, posset à peccato aliquando excusari, ut affirmare quosdam nonnunquam audui, eo quod probabili aliquorum Doctorum sententia sese tueri queat, licet in iudiciali foro damnetur. Ego tamen eorum excusationem accipiendam esse non arbitror, nisi quando Pontificiae constitutiones, usum receptae non sunt, quae vim, & auctoritatem, aut non retinent, aut non sumunt: non quia in prouincijs promulgatae non sint, sed quia consuetudine sunt abrogatae, uel usum non receptae. non enim uideo, quo pacto sit probabilis Angeli in hac parte sententia, cum nullum sit canonicum ius, quod requirat, & postulet, ut Pontificiae constitutiones, in prouincijs singulis promulgentur: nec probabiliter credi potest, quod Sotus existimauit, non aliter Pontificem uelle, ut ipsius constitutiones vim habeant ubique obligandi: ideo dixit Ioannes

Monachus Pontificem pedes plumbeos habere, nec posse per provincias discurrere, sed immobilem dare, ut cuncti alij moveantur.

Quartò quæritur, An constitutio Canonica liget statim post duos menses à promulgatione exactos? Glossa in cap. Proposuiti, dist. 52. ver. Non probatur: docet secundum leges siue ius civile, Canonicas constitutiones obligare statim post duos menses à promulgatione elapsos: at secundum Canones nõ ligare ante sex menses à promulgatione transactos: sed hæc opinio merito cõmuni consensu rejicitur, ut aiunt, Abbas, Felinus, Berouius in cap. cognoscetes, de constitutionibus.

Quintò quæritur, An priuilegia suam vim, & auctoritatem habere incipiant, cum primùm conceduntur à Principe, An verò postquã nota sunt ei, cui conceduntur. Dux sunt opiniones: prima docet à die notitiæ, non à die priuilegij dati, acquiri ius ei, in quem priuilegium confertur. Sic Glossa, sic Ioannes Monachus, Ioan. Andreas, Ancharanus, Dominicus in cap. 1. de concess. prebend. in 6. Sic etiam Cardinalis, Abbas, Decius, Albericus, & Iafon, quos omnes citant, & sequuntur Felinus, & Berouius, in c. cognoscetes, de constitut. eo quod beneficium, priuilegium, & fauor auctoritate Principis cum alicui conceditur, videtur dari tacita conditione, si ipse illud ratum, & acceptum habeat. Opinio secunda tradit, à die dati priuilegij, statim ante notitiã acquiri ius absentis, cui conceditur priuilegium, sic Bartolus, Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Paulus, Vitalinus, quos in medium producant Felinus, & Berouius, loco citato: nam legatum acquiritur absentis. *l. Magis puto, §. Fundum, ff. de rebus eorum qui sub tutel. & l. Legatum ita, ff. de legat. 2. & l. cum pater, §. furdo, ff. de legat. 2.* libertas quoque statim acquiritur, si seruus absens ex testamento Domini manumittitur, & restituitur deportati statim absentis acquiritur: ergo & priuilegium; nam gratia æquiparantur legatis. In Decisione 14. part. 2. num. 2. definitum, aut iudicatum est in Rota, priuilegium impetratum per nuncium, vel procuratorem, vel literas ad id missas statim vim suam transferre ad absentem, à die quo datum est, quamuis illud ipse repudiare queat, cum rescierit sibi datum: vt si Titium absentem Princeps in suum familiarem admitrat. Item si tibi absentis conceditur priuilegium, vt sis à tributo, vel alio onere immunis, ac liber. Item, si tibi conceditur ne possis ab Episcopo poena aliqua puniri. Vnde communis est ciuili, & Canonici iuris interpretum opinio, quam referunt Ioannes Imola, & Felinus, in cap. Cognoscetes, de constitutionibus, statim suam vim Priuilegia sumere, à die quo sunt auctoritate Principis concessa: citatq; Felinus, Innocentium, Hostiensis, Archidiaconum, Abbatem, Ioannem Andream, Geminianum, & alios plures. Verùm nonnulli, hanc sententiam intelligunt hoc sensu; Priuilegium confestim atque est à Principe concessum absentis, & ignorantis, vim suam habere, ita vt nequeat reuocari ante consensum eius, cui conceditur, qui absens, & ignorans continuò, acquirat ius ad rem, non tamen acquirat semper ius in re: ad hoc enim comparandum requiritur consensus absentis, quo acceptum, & ratum habeat priuilegium sibi concessum: uti deducitur ex ca-

pite: Si tibi absentis, de prebendis in 6. quod & annotauit Decius in cap. cognoscetes, de Constitutionibus. Ceterum, in eo capite solum agitur de beneficio Ecclesiastico, quod Ordinarius in absentem clericum confert. Non video cur Princeps supremus non possit reuocare priuilegium, quod absentis, & ignorantis concedit, antequam priuilegiarius per se, vel procuratorem, vel nuncium, vel literas ratum, & acceptum habeat. Duo ex Doctõribus colliguntur: vnum est, quãdo princeps nutu suo, & motu priuilegium concedit alicui absentis, & ignorantis, prodest illi, à die quo datum est, in eo, in quo alius potest priuilegiario nocere, vt si Romanus Pontifex concedat Titio, ne in eum Episcopus possit anathematis sententiam ferre: vel si rex concedat Caio, ne cogi possit tributa soluere, nec in carcerem mitti, nec torquari, nõ tamen prodest absolutè in cæteris, nisi postquam priuilegiarius confenserit. Alterum est, quando quis auctoritate Principis impetrat priuilegium per literas ad id missas, vel nuncium, aut procuratorem ad id destinatũ, gaudet priuilegio à die, quo datum est, secus verò quando absens, & ignorans aliter impetrat, tunc enim eo non gaudet, donec ad ipsum peruenerit. Sed de hac questione iterũ agam inferius, cum de priuilegijs disputabo.

Sextò quæritur, An leges abrogantes priuilegia, aut facultates, habeant suam vim statim, vt latae sunt, an vero postquam solummodo denunciatae, aut notæ fuerint ijs, quibus erant priuilegia, & facultates concessæ? communis est quoque ciuili, & Pontificij iuris doctorum sententia, vt constat ex Felino, & Abbate, non habere vim quousq; denunciatae fuerint ijs, quorum priuilegia, & facultates erant. Idem quoque tradidit Sotus. Sed sciendum est, aliquando priuilegium cõcedi certo loco pio, vel Collegio, vel Seminario adolefcentium, aut sodalitati, huc Confraternitati, quam vocant, aut toti diocesi: aliquando toti certo regno, cui subiacent multæ provincie; aliquando certo populo, aliquando certo homini priuato. Quæritur ergo quomodo de his omnibus, sit communis sententia intelligenda. Respondo, Si priuilegium est priuato homini datum, non intelligitur sublatum donec lex id abrogans sit ipsi denunciata, vel manifesta. Si verò priuilegium concessum fuerit ob certi pij loci, Seminario, vel Collegij commodum, non desinit, quousq; lex id tollens, sit denunciata, vel nota Collegio, vel ijs qui ipsi præsent, & curam eius habent. Quòd si priuilegij beneficium sit in totam Diocesim, vel Provinciam collatum, non finitur, donec abrogatio sit in Metropoli denunciata, vel scita. Si priuilegium sit in totum regnum collatum, non videtur extinctũ, donec eius abrogatio in his locis sit nota, quæ sunt capita prouinciarum. Appellatione denunciationis, accipimus notitiã certam, qua priuilegij abrogatio sit illi nota, cuius est priuilegium. Ex his colligitur, acta valere Procuratoris absentis, & ignorantis, donec reuocatio sit ipsi nota, Felin. in c. ex parte Decani, de rescript. Gloss. in c. vlt. de procura. ver. ignorarent. in 6. & colligitur ex l. si forte præses. ff. de offi. præsi. si forte præses prouincie manifestauerit, vel tutorem dederit prius quam cognouerit successorem aduenisse, erunt hæc rata. & ex l. Si mandatum. ff. manda. si mandassem tibi, vt fundum emeret. post

scripsit

scripsisse ne emeret, u. antequam scias me venisse emissis, mandavi tibi obligatus ero. Sic ibi. At procurator ad nuptias contrahendas, si reuocatus à Domino cōtraxerit, irritum est, quod facit, etiam si ignoret se esse reuocatum. l. si punitur. ff. de ritu nupti. & c. vi. de procura. in 6. Constat etiam firma acta executoris, Nuncij, vel Legati Apostolici, quouſq; certior sit factus, se esse à Pontifice reuocatum. Calderi. conf. 4. de offi. legati. Quæ item facit Vicarius donec sciverit se esse reuocatum. Calderi. ibidem. Præterea colligitur, Indulgentias (quæ sunt peccatorum condonationes) non finiri, donec de earum reuocatione certiores facti sint illi, quib⁹ fuerint Pontificum beneficio concessæ, præterquam cum suspenduntur accessu anni quinquagesimi, siue vicefimi quinti, in extrau. quemadmodum. de pœni. c. remiss. inter communes.

Septimò quæritur, An nouæ constitutiones, quæ abrogant antiquas, incipiant vim, & auctoritatem habere statim atque sunt ad populum late arque promulgatæ? Quidam è iunioribus doctuerunt, huiusmodi leges, quæ derogant antiquis ante iam latis, vim suam habere, quamprimum fuerit interior Principis voluntas, qua velit, leges à se ante iam latis nullam vim retinere: quod est dicere, legem antiquam cessare statim, vt Princeps vult eam esse abrogatam. Id inde probant illi, quòd lex neminem tenet, & alligat nisi ex voluntate Principis, ergo quando desinit Principis voluntas, finitur, ac desinit quoque tota vis legis. At enim longè verius est, leges eiusmodi, quæ tollunt alias, incipere suam vim habere statim, vt sunt legitime promulgatæ. V. G. ante Concilium Tridentinum, omnis sacerdos, etiam minimè approbatus ad confessiones peccatorum audiendas, poterat more, & consuetudine excipere confessiones aliorum sacerdotum: sed in concilio Trident. sess. 23. cap. 15. de Reformatione, constitutum est, vt nullus etiam regularis possit audire confessiones secularium, etiam sacerdotum: neque ad id idoneus reputetur, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem accipiat. Priuilegijs quibuscunque non obstantibus. Vnde si quis Sacerdos post promulgationem Concilij Tridentini, audiret confessiones peccatorum, cum non sit aliqui approbatus ad eas excipiendas, posset quidem à culpa excusari, sed absolutio esset irrita, & proinde repetenda. Item, ponamus aliquod esse peccatum, cui ex Constitutione Pontificia sit excommunicatio constituta: & deinde alia constitutione Pontificia abrogetur excommunicatio; tunc si incidat quis in id peccati, post eam censuram abrogatam excommunicatione non afficitur. Si tamen ante derogationem in peccatum incurrerat, excommunicationis vinculo tenetur, quoniam abrogatio ad excommunicationem præteritam trahi, & protendi non potest. **ROGABIS,** Quid sit dicendum, si illa excommunicatio erat Pontifici reseruata, at deinde alia Constitutione tollitur prorsus reseruatio? Respondeo, post reseruationem sublatam, excommunicationem quidem manere, sed non esse amplius reseruata. **QUÆRES** etiam, Quid dicemus, si antequam reseruatio medio tollatur, incidat quis in excommunicationem, & post reseruationem per legem re-

remota petit absolutionem, an is possit absolui quemlibet Sacerdotem approbatum ad confessiones pœnitentiæ audiendas? Quibusdam videtur in vniuersum absolui posse, quia excommunicatio nunc temporis, quando quis ad sacram peccatorum confessionem accedit, amplius reseruata non est Pontifici, licet esset ante reseruata, quando fuit peccatum admissum. Sufficit autem, si modo cum quis à peccato, & censura absoluitur, excommunicatio amplius reseruata nō sit. Alijs verò hoc non probatur absolute, & simpliciter. Nam distinguunt in hunc modum: aut reseruatio tollitur solum in peccatis, quæ in futurum committuntur, & tunc ab excommunicatione reseruata, quæ contrahitur antequam reseruatio tollatur, nequit absolui quilibet legitimus Confessarius, quia reseruatio, inquit, nō est sublata in delictis ante commissis: aut reseruatio tollitur simpliciter etiam in delictis ante patris, & tunc quilibet Confessarius idoneus potest absolui, etiam si excommunicatio erat reseruata tempore, quo fuit delictum admissum: quoniam Constitutio, quæ reseruationem tollit, ad præterita peccata potest extendi.

Quòd si quæras ab illis, quado constitutio, quæ tollit reseruationem, ad præterita trahatur? Respondent, tunc trahi, cum constitutio sequens statuit, ne amplius excommunicatio etiā ante contracta Pontifici sit reseruata: quando vero constitutio sequens solum omittit excommunicationem reseruata, non numerans eam inter excommunicationes reseruatas, aut non numerans inter excommunicationes, ea constitutio nō trahitur, inquit, ad præterita. Exemplum vniuersum sit. Pius V. in Constitutione, publicè legi & recitari solita in die Cœnæ Dominicæ, Anathemate percussit eos, qui haberent, aut legerent libros Magorum, etiam si heretici non essent, & voluit eam Excommunicationem esse Pontifici reseruata: postea verò Gregorius XIII. & alij, qui successerunt Pontifices, eam Excommunicationem omiserunt nihil de ea statuentes. Hæc Constitutio Gregorij XIII. & aliorum Pontificum ad præterita non trahitur, & ideo, si quis incidat tempore Pij V. in eam Excommunicationem, non poterit absolui nunc per quemlibet approbatum Confessarium: quoniam adhuc reseruata est. Præterea, Sixtus V. Excommunicationem, tulit in eos, qui abortum aliquo modo faciendum curassent, & eam Pontifici reseruauit: sed Gregorius XIII. eam sustulit, & statuit ne amplius ea Excommunicatio, videlicet etiam ante contracta, esset Pontifici reseruata: hæc constitutio ad præterita protenditur; ita vt ij, qui tempore Sexti V. abortum faciendum curarunt, quamuis in excommunicationem reseruata incurrerint, possint nunc post tempus Gregorij XIII. absolui ab ea per quemlibet legitimum Confessarium. **Cæterum dicendum** puro, quando unquam Constitutio sequens decernit, ne excommunicatio sit amplius reseruata, potest ab ea absolui Confessarius legitimus, & idoneus: quoniam hæc constitutio, non hoc ipso trahitur ad præterita facta, sed absolutionem ab excommunicatione liberam relinquit: & statuit de absolutione futura post ipsam constitutionem, ne sit reseruata: quod perinde est ac si constitutio

diceret:

diceret : antea absoluere non poterat, nunc potes : & Confessarius qui nunc absoluit, non absoluit ab Excommunicatione referuata : & cum dicimus, casum hunc, vel illum, peccatum hoc vel illud, censuram hanc vel aliam esse referuatam, nihil aliud significare volumus, nisi absolutionem esse referuatam : ergo si cum absoluitur quis, absolutio non est referuata, certè iure, & tuta conscientia absoluitur, nec refert, quòd fuerit antea excommunicatio referuata : quoniam is, qui incidit in excommunicationem referuatam, non absoluitur tunc, cum incurrit in eam, sed absoluitur postquam excommunicatio referuata esse desijt.

*Quòd queritur, An promulgata lege, & duobus mensibus nondum elapsis, ab eius promulgatione, scientes eam promulgatam eo ipso, statim ea lege adstringantur, ante duos menses exactos, & questio proponitur de lege veniens, quæ nullum certum tempus constituit, quo incipiat populum sibi obligare. Duas video esse opiniones, Prima est communis Ciuiliis, & Canonici iuris interpretum, vt constat ex Abbate ca. 2. de Postulat. Prælatorum, & Felino in cap. Cognoscentes de Constitutionibus num. 7. Versic. secundo limita. statim omnes scientes teneri lege ante duos menses elapsos, quando lex tempus nullum constituit, quo incipiat omnes in vniuersum ciues alligare. Et in hanc sententiam citat Felinus plures vtriusque iuris doctores. Sic Gloss. in c. hoc consultiissimo. de reb. Eccles. non alienan. in 6. verb. hactenus, & c. cum singula. de præb. in 6. verb. peruenierit. Bart. in l. omnes populi. ff. de iusti. & iur. q. 7. Bald. Hostien. Paul. Cardin. Imola. Dominicus quos refert, & sequitur Felinus loco citato. Sic etiam Abbas in c. cognoscentes. de constitut. nu. 7. & c. 1. de postula. præla. nu. 11. Ioannes Ligna. in c. cognoscentes, de constit. Sic etiam Syluest. verbo. lex. q. 6. ad finem. Angel. lex. q. 12. Rosel. lex. nu. 7. Secunda opinio docet, quando lex nullum tempus præscribit, quo Princeps ciues incipit obstringere, scientes legem promulgatam, ea nequaquam ligari ante duorum mensium tempus exactum. Sic Antonius Butrius, Decius, & Paulus Eleazarus, & Francus quos citat, & sequitur Nauarrus in cons. 1. de constitut. n. 17. quam probat Primo. Nam ex Authentica; vt noue facte Constitutiones. §. 1. collat. 6. videtur planè deduci tempus duorum mensium definiri, & cõstitui, vt post eorum elapsum incipiant populares omnes lege teneri, & adstringi. Rursus, duorum mensium tempus, tacitè, & implicite constitui videtur, veluti induciarum tempus, quo Princeps liberos à lege ciues relinquit. Præterea, hoc duorum mensium tempus cõstitutum tacitè intelligitur, vt vno eodemque tempore omnes æqualiter incipiant lege alligari, & non hi priusquàm alij. **SI QVÆRA S,** quid si lex Principis certum tempus constituit, an scientes, ea lege teneantur ante illud tempus elapsum. Respondet proculdubio non teneri in foro conscientie. de hoc enim inter se auctores non dissident, nec dubitari potest, quin lex ante certum illud tempus populum non teneat, quia idcirco certum tempus præscribitur, vt ab eo tempore lege obligemur, non ante. Aut enim lex sic fertur, Nolumus ante duos menses hac lege subditos alligari, & hæc non obligat: Aut fertur sic, Volumus post duos menses exactos hac lege vni-*

uersos astringi : Aut sic, Volumus, vt post duos menses cuncti incipiant hac lege teneri; & siue hoc, siue illo modo ponatur, non habet vim obligandi ante certum tempus constitutum, vt docet idem Nauarrus. de consuet. cons. 1. q. 4. nu. 19. Hoc autem sciendum est, primam sententiam, quam dixi esse communem, in iudicio apud ipsos magistratus, & iudices plurimum valere : vnde in foro exteriori, vt annotauit Nauarrus, consuetudine est receptum, præsertim Romæ, vt omnes cõtra legem promulgatam, quæ nullum certum tempus constituit, scienter agentes, etiam si nondum sint duos menses elapsi à promulgatione, secundum eam iudicentur, & puniantur, nisi iustam suæ ignorantie excusationem habeant.

Ex his apparet quid sit dicendum secundum Nauarrum in multis, quæ possunt accidere, V. G. sit lata lex, vt frumenti modius certò quodà pretio vendatur, & non maior, & in ea nullum certum, & definitum tempus præscribatur, ex quo incipiat omnes tenere, Titius sciens legem promulgatam ante elapsos duos menses, plus vèdidit frumenti modium, nimirum iusto pretio ante legem consueto, non compellitur secundum Nauarrum in foro conscientie Titius ad restituendum incrementum pretij lege taxati, quamuis in foro iudiciali compelli possit, auctoritate, & sententia Iudicis ad restituendum id, quod amplius accepit. Constat enim apud omnes, si lex certum tempus designet, ex quo legislator velit ciues teneri, non obligari ea lege etià in iudicio, ante constitutum tempus scientes. At contra Nauarrum obijciens id, quod, in cap. Eum qui, de Regulis iuris, in sexto dicitur, eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet; & ex c. Cui coningat, de officio Iudicis delegati. Regula generalis elicitur: frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus: ergo si Titius legem promulgatam nouerit etià ante tempus lege præscriptum, eo ipso obligatur, siquidem opus non est, vt certior fiat. Respondet ex his locis nihil sumpta argumenta concludere. Non enim in vniuersum id, quod de vno ius decernit, est ad similia trahendum. Vnde dux prædictæ iuris Regule: licet in certis quibusdam rerum euentibus locum habeat, non tamen generaliter in omnibus. Lex enim neminem adstringit, ac tenet, nisi ex voluntate legislatoris: at verò ante duos menses exactos à promulgatione non est Principis voluntas, vt Ciuitates ac populi lege teneantur. Deinde, oppones contra eundem Nauarrum, scientes promulgatam legem, & non obtemperantes, in foro iudiciali condemnantur, & puniuntur tamen contra eam fecerint ante duos menses elapsos, ergo lege promulgata, neque exactis duobus mensibus scientes ligantur. Respondet, non idem esse de foro iudiciali, quod est de foro conscientie. Urgebis: Quando forum iudiciale non ducitur solis coiectionis, quæ præsumptiones vocantur, fori quoque conscientie, cum eo oportet conuenire. Respondet, in re hæc, de qua nunc agimus, potest forum conscientie à iudiciali discrepare, etiam potest, vt sit in foro iudiciali mos introductus puniendi scientes: quam cõsuetudinem possunt Iudices tuta conscientia retinere. Item, fieri potest, vt in foro iudiciali Magistratus, & Iudices primam opinionem sequantur, quæ cum sit communi

Ciuis, & Canonici iuris interpretum consensione comprobata, tunc in iudicio seruatur: & contra eiusmodi legem facientes, quamuis non delinquant, nihilominus poenae legis subijciuntur, quia huic periculo, & damno, sese obiecerunt. Profecto licet admodum probabilis sit opinio secunda, quam est Nauarrus sequutus: verior tamen prima opinio videtur, quae communi omnium consensu recepta est: nam si Princeps legem condit, & publice promulgat, & nullum tempus certum constituit, ex quo velit ut incipiat obligare, eo ipso velle videtur, ut simpliciter, & statim facientes teneat ac liget. Si dicas, cur igitur duorum mensium spatium datur. Respondeo, ut toto eo temporis spatio iudices ignorantium excusationem, ut probabilem, & iustam accipere possint. Si roges, an opinionem secundam tuta conscientia sequi possimus. Respondeo, quamuis prima opinio in foro iudiciali sit amplectenda, in foro tamen interiori tuta conscientia secunda teneri potest: nam Imola in capitulo secundo de consuetudine, & Franchus super d. ita in sexto, n. 11. aiunt, eam etiam secundum iura posse defendi.

Nono quaeritur, An lex afficiat ignorantes post tempus elapsum ab eius promulgatione? Abbas in capitulo cognoscens, de constitutionibus nu. 6. docet legem non affici ignorantes. Sic etiam Felinus. Idem tradit Glossa, in eo loco: immo haec est communis vtriusque iuris doctorum sententia. Sotus & quidam iuniores ipsum secuti, reprehendunt iurisperitos, eo quod asserant post tempus promulgationis exactum legibus non teneri ignorantes: Ipsi vero contra censent ignorantes obstringi, & alligari, quia propter ignorantiam excusantur a culpa, ergo etiam lege tenebantur. alioqui enim si non erant lege adstricti, non est, cur excusari dicantur.

Ceterum nihil est, quod in hac parte iurisperiti reprehendi merito queant: non enim aiunt ignorantes, non ligari legibus, sed, non affici, quod est diuersum.

Animaduertendum est, legibus tria contineri: Primum quidem lex obstringit conscientiam: ita ut lege ipsa compellatur quisque ad parendum ei, & seruandam eam: & legis contemptor, sit secundum conscientiam reus violatae legis. Secundo, Lex poenam irrogat delinquentibus. Tertio, solet lex actus aliter factos rescindere. Quod attinet ad primum, Ignorantes legem bona fide, in foro conscientiae liberi sunt a culpa; quod si ignorantia fuerit affectata vel crassa, quam vocant, in foro quidem conscientiae contra legem facientes iustam excusationem non habent, in foro vero exteriori datur actio, quoniam admittitur probatio, & exceptio ignorantiae, ut docet Abbas in capitulo cognoscens de constitutionibus nu. 9. Quod attinet ad poenam legibus constitutam, ignorantes bona fide, & probabiliter liberi sunt, & immunes a poena: nam propter culpam poena quis afficitur: ergo qui culpa caret, poenam sustinere non cogitur. Si vero ignorantia sit crassa, poena legis afficitur in foro iudiciali, qui contra legem delinquit: si autem ignorantia orta sit ex culpa leui, vel leuissima, in eo foro violator legis arbitrio iudicis, non autem poena legis ordinaria puniatur. Quod ad tertium legis actum pertinet, a-

nimaduertere oportet, inter Canonici, & Ciuili iuris interpretes, quaestionem esse, an cum lex iure ipso rescindit, quod fuerit contra eam factum, sit poena, an potius damnum. Mihi certe probatur id, quod docet Abbas, non esse proprie poenam, sed damnum, ut proinde mirum non sit, si quis legem etiam ignorans, & contra eam faciens, huiusmodi damnum incurrat: quare elapso tempore promulgatae legis, ignorantes, quum eorum ignorantia est bona fide probabilis, & iusta, excusantur quidem a peccato, & poena legis, si qua tamen fecerint, contra legem ea rescindentem, irrita sunt etiam secundum conscientiam. Clarebit exemplo quod dicimus: Sit lex praescribens, non valere certum quendam contractum post duos menses ab eius promulgatione: tunc si Titius contractum ea lege interdictum inierit, bona fide per ignorantiam, liber est a culpa, & a poena, irritus tamen & inanis erit contra eam legem initus contractus, & in foro conscientiae si quid lucri sibi acquisierit ex eo contractu, restituere omnino debet.

Cap. III.

An oporteat legem usu recipi, ut ea omnes teneantur.

Questio est inter Theologos, An lex promulgata, si moribus videntur recepta non fuerit, ciues teneat? Haec quaestionem tractauerunt Pontificij iuris doctores, praesertim Felinus, cap. 1. de Treuga, & Pace, cap. In istis, dist. 4. quaestionem autem mouet, quia non videtur ad vim legis necessarium, ut vti recipiatur: nam populus condendi leges, auctoritatem non habet, quando est Principi subiectus, in quem suam, quam habebat, transtulerit potestatem: ergo si Princeps ad populum legem aliquam ferat, eo ipso eum sibi obstringit, & obligat, & proinde peccat populus ea lege non vtens. Rursus, Princeps promulgata semel lege, iuste potest populum adigere ad legis obseruationem, & iure etiam in eos animaduertere, qui legem perfringunt: ergo populus lege non vtens delinquit: alioqui enim ex vtraque parte tum populi, tum Principis iustum bellum esset, quod fieri nequit. Si enim Princeps iure legem constituit, promulgat, & compellit ad obseruationem eius, ac punit delinquentes, sequitur, ut Populus ius non habeat contra legem faciendi.

Nihilominus communis est Canonici, & Ciuili iuris interpretum opinio, ut testantur Abbas, & Felinus, cap. 1. de Treuga, & Pace, legem vti non receptam vi carere, quamuis sit auctoritate Principis constituta, & legitime promulgata: quae sententia, & iuri canonico, & Ciuili est consentanea. Nam in cap. In istis, dist. 4. perspicue Gratianus ait: leges institui cum promulgantur: approbantur, cum moribus videntur recipiuntur. Hoc idem docent ibi Archidiaconus, Dominicus, Praepositus, & Turrecremata: idem tradunt cap. 1. de Treuga, & Pace, Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas. Item, in l. de quibus, ff. de legibus dicitur: Nam cum ipse leges nulla ex alia causa non teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt: Et paulo inferius: Illud receptum est, quod leges non solum iussu legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum,

per de

per desuetudinem abrogentur. Porro hæc communis opinio locum habet siue lex vfu recepta non fit ab ijs, qui sciunt eam esse latam, & promulgatam, siue ab ijs, qui id ignorant, vt probat Nauar. *consil. 1. de consil. q. 6. nu. 25.*

Annotandum est, magnum esse discrimen inter hæc duo: legem non vfu receptam ciues non tenere, & ligare, & legem semel vfu receptam consuetudine contraria abrogari. Non vsum legis auctores appellant Desuetudinem, in *1. De quibus ff. de legibus, & ca. 1. De Treug. & Pace, & dist. 4. cap. In istis.* Secundum verò vocare solent consuetudinem legi contrariam. Desuetudo, vel non vsum legis est, quando promulgata lege, & elapso promulgationis tempore populus perseverat in faciendis, quod facitare ante legem solebat, & de hoc Non vsum, siue desuetudine legis, in præsentia disputamus.

Secundò scire oportet iuxta quorundam sententiam, inter leges Imperatorias, aut quorumlibet aliorum ciuilium Principum, & Pontificias, hanc esse differentiam: quod illæ tolli possunt per desuetudinem siue non vsum, hæc verò non item. Aiunt enim, in desuetudine legis à ciuili Principe latæ, adesse tacitum Principis consensum, & propterea legem desinere, hoc tamen de Pontificijs constitutionibus dici non posse. quod probant, quia Principum secularium leges hæc conditione tacita ferri videtur, vt vim habeant, si vfu fuerint receptæ; sin minus, vi careant, nam vt habetur in Institut. de iure Naturali, gentium, & Ciuili, §. Sed & quòd, *Populus transfuit suam potestatem in Principem:* ergo Princeps non obligat sibi populum, nisi ex tacito ipsius populi consensu: at verò Romanus Pontifex suam potestatem proximè accepit à Christo Domino, & proindè suis legibus Christianum populum adstringit absq; vilo ipsius populi tacito consensu, sed sola Christi Domini auctoritate accepta, ceteri Ecclesiarum Præsules suis statutis plebes sibi commissas alligant Romani Pontificis auctoritate. Sed hæc differentia nihil facit ad rem, quoniam, vt dixi, iure etiam Canonico constitutum est, vt leges Ecclesiasticæ vim non habeant, nisi fuerint vfu receptæ. Et *cap. vlt. de consuetud.* aperte dicitur, tolli leges consuetudine rationabili, & præscripta: sicut ergo abrogantur semel receptæ constitutiones per vsum contrarium, sic impediuntur, ne vim habeant per desuetudinem, quia vfu non recipiuntur.

Ad obiectiones verò initio propositas respondeo, legem promulgatam, & vfu minimè receptam extingui, & desinere, non quod populus ius habeat tollèdi leges à Principe sancitas, sed quia leges cum instituuntur, & promulgantur, ea conditione conduntur, vt omnes teneant, si vfu recipiantur; sin minus, neminem ligent.

Secundò queritur, An vt lex vfu non recepta vi sua careat, expressus Principis consensus necessario requiratur? *Quidam* senserunt (quos refert Dominicus *cap. In istis, dist. 4.*) requiri expressum Principis cõsensum, quod scilicet Princeps dicat, scribat, vel innuat desuetudinem legis se tolerare. At *verius mihi videtur*, quod docent Abbas, & Felinus *cap. 1. de Treug. & Pace.* Dominicus in *cap. in istis, dist. 4.* sufficere tacitum Principis

consensum: cui sententiæ Baldus accedit, quem illi citant. *Quæres* quidnam requiratur vt tacitus Principis cõsensu adesse probabiliter credatur? Respondent quidam permoti auctoritate Abb. in *ca. 1. de Treug. Zabarel. in prom. clem. Ioan. Andr. 1. de Treug. Syluest. Ver. Lex, q. 6. vers. 4.* requiri scienciam Principis, hoc est, vt Princeps nouerit legem vfu non recipi, & nihilominus toleret, cui tamen possit cõmodè punire non seruantes legem. Probabilius tamè Dominicus *dist. 4. c. in istis, §. legem.* Felinus *cap. 1. de Treug. nu. 13. vers. considera secundo, vbi* citat Calderinũ, Imolam, & Antonium Butrium, & hos sequutus Nauar. *consil. 1. de consil. quest. 5. num. 25.* opinantur tacitum Principis consensum esse ipsam tacitam conditionem, qua leges ponuntur. nam hoc ipso, quod leges feruntur, eo pacto condi videntur, vt omnes obstringant, si vfu recipiantur, & proindè non requiri Principis scienciam: sufficit enim hæc implicita conditio, qua leges initio sancuntur. Item, Princeps statim atque legem constituit, & promulgat, potest ministros adhibere, qui populum compellant ad obseruationem legis: ad hoc enim habet ius & potestatem, quod si non faciat, & ob id lex vfu minimè recipiatur, sibi imputet, non populo; & propterea, eo ipso, tacitè consentit: Siquidem potest cõmodè efficere, vt lex vfu recipiatur, nec id faciendum curat.

Tertiò queritur, Quando lex censeri possit nõ vfu recepta? Respondeo, cum Felino, Dominico, & Nauarro, non sufficere, si quidam legem ferent, alij verò non feruent. Tunc itaque lex dicitur vfu recepta, quando tota communitas, vel maior pars eam obseruat, & proindè minor pars cũ contra legem facit, delinquit, ac peccat. Si igitur lex lata fuerit ad certum populum, & totus populus, vel maior pars ipsi paruerit, recepta vfu censetur. Eadem ratio est, quando lex ad certam Prouinciam, vel Regiõem, vel Collegium fertur. Quare ea lex non est vfu recepta contra quam vel tota Respublica, vel eius maior pars facit. At verò multæ leges Pontificiæ, Imperatoriæ, aut Regiæ sunt, quæ licet à maiori Prouinciarum parte, vfu receptæ sint, in alijs tamen Prouincijs vim nõ habent, quoniam in illis non sunt vfu approbatæ. Videmus multos Canones in Italia, Hispania, & alijs Prouincijs vfu receptos, qui tamen in Gallia, vel Germania, vel Polonia, nullius sunt firmamenti, & auctoritatis: quia ibi non sunt vfu recepti, vel saltem, quia eos consuetudo abrogauit: Item, quando variæ ac multæ Prouinciæ, vni Principi subiectæ sunt, diuersarum gentium; sipe diuersis moribus, ritibus, caeremonijs, & legibus vtuntur, ac proindè tunc non sufficit, si legem maior pars Prouinciarũ recipiat, vt in alijs quoque Prouincijs vfu recepta habeatur.

Quartò queritur, An vt lex per non vsum vi, & auctoritate careat, necessaria sit aliqua præscriptio, vt vocant recentiores legum, & canonici iuris interpretes? *Quidam* opinantur præscriptionis tempus esse decennium, quod in iure ciuili longum tempus vocatur: Et in hoc nõ vsum, vel desuetudinem à Consuetudine legi contraria differre, quòd cõsuetudo, vt legem vfu receptam aboleat, & abroget; debet continuari vsque ad

quad ra.

quadraginta annorum spatium; at verò non vsus legis siue defuetudo, vt vim, & auctoritatem habeat, satis est si vsque ad decennium continuetur, vt testatur Couarru. libro secundo *Varia. resolut. cap. 16.* ex Imola, Felino *cap. 1. de Treug. & Pace. nu. 13.* Calderi. Abbate, & Iason. & alijs, quos ibi citat, & sequitur. Et sufficit decennium, vt defuetudo vim habeat, hoc est, vt Canon, vel lex per decennium vsu, & more nõ recepta, vi, & auctoritate careat, etiam Principe ignorante ipsam defuetudinem: vt docent Felinus Imola, & Couarruias, vna cum Calderino, Abbate, & alijs. Sic etiam docet Nauar. *de constitut. conf. 1. q. 5. nu. 2. 4.*

Porro quidam alij sentiunt leges ciuiles, & quæcunque statuta Municipalia, per non vsu siue defuetudinem decennij tempore confirmatam vim amittere; Canonicas verò Constitutiones, non nisi per defuetudinem quadraginta annorum spatio continuatam finiri. Alij verò sentiunt, ad defuetudinem nullam requiri præscriptionem: quamuis ad consuetudinem contra legem præscriptio sit necessaria.

Dicendum iuxta primam sententiam mihi videtur, legem saltem Canonicam vsu receptam, per consuetudinem contrariam non tolli, nisi ea consuetudo per quadraginta annos confirmata continuataque sit; quamuis legem ciuilem consuetudo contraria, decennij tempore possit auferre: **lex** verò promulgata quæcunque sit, Canonica siue Ciuilis, vi & potestate non caret per defuetudinem, nisi illa per decennium fuerit continuata. **Ex quo** efficitur, vt Princeps habeat intra decennium ius, & potestatem adigendi poenis etiam constitutis, populam ad seruandam legem legitime promulgatam: nec opus est intra id tempus, vt legem denuo constituat, etiam si non fuerit recepta, quia cum non sit ante decennium per defuetudinem sublata, sufficit, si Princeps imperet populo, ne contra eam faciat. Si tamen non vsus, siue defuetudo continuetur per decennium, lex amplius non valet, nec iure potest Princeps punire ciues non implentes legem, nisi legem redintegret, ac renouet. **QVAERES**, quam igitur vim habeat ante decennium defuetudo siue non vsus? **Respondeo**, vim habere impediendi, ne promulgata lex incipiat valere non enim abrogat legem, cum nondum ea cæperit vim habere; sed impedit, ne valeat: ita tamen impedit intra decennium, vt intra id tempus possit lex vsu recipi, & possit quoque Princeps populam compellere ad recipiendam eam.

Quintò quaeritur, Quid discriminis sit inter defuetudinem siue non vsu legis, & consuetudinem legi contrariam? **Respondeo**, testantibus Dominico in *cap. 1. in istis. §. leges, ad finem. dist. 4.* Felino in *cap. 1. de Treug. & Pace. nu. 12.* *versicul. Intelligite quæris.* Nauar. *conf. 1. de constitut. quæst. 5. nu. 2. 4.* primò ea differre, quòd primi, qui consuetudinem contra legem inducunt, delinquant, nisi ex aliquo accidenti excusentur: & successores non peccant, quia bona fide possunt legem negligere secuti primos, qui contra legem fecerunt. At verò quando lex non est vsu recepta, etiam primi, qui frangunt, non peccant, id sciente legislatore, & non puniente, cum possit comòde punire, quamuis peccent ignorante Principe defuetudinem,

aut sciente, & non puniente, quia punire comòde nequit, vt docent Imola, Felinus, & Couarruias, & Nauarrus, *locis citatis*, quoniam bona fide moueri queunt, vt præter, aut contra legem agant, quia vident legem nondum esse vsu receptam; cum videant principem non punire, cum possit. & hoc solùm potest eos à culpa excusare præter alias causas. **Secundò**, contra legem receptam consuetudo per errorem, aut ignorantiam introducta præscriptionis vim habere non potest: nam consuetudo introduci non potest, nisi ab ijs qui possunt & volunt eam introducere, vt suo loco dicitur: at verò lex vsu non recepta, vim & potestatem habet, etiam si per errorem, vel ignorantiam ipse, Non vsus, vel defuetudo introducatur, vt tradidit Nauarrus. **Tertiò**, Consuetudo legi contraria vim, & auctoritatem non obtinet, nisi per præscriptionem continuata: & præscriptionis tempus, non incipit à primis, qui peccant, consuetudinem contra legem inducentes; sed à successoribus, qui primos bona fide sequentes, in cõsuetudine ante iam capta perseverant. Et interrumpi potest præscriptio, quæ interrupta nequit amplius continuari, sed erit alia, quæ denuo inceperit, si iterum renouetur. **At verò** non vsus siue defuetudo, statim ab initio vim incipit habere in primis lege non vten- tibus; & statim desinit, si lex incipit seruari. **Quartò**, consuetudo legem tollit, & abrogat, quæ erat vsu recepta, & omnes obstringebat. Defuetudo verò siue, Non vsus, legem non tollit, sed impedit, ne vim, auctoritatem, & potestatem assumat. Nam quamuis lex sit instituta, & promulgata, nõ tamen ciues alligat, donec vsu recipiatur: ergo per Non vsu, siue Defuetudinem lex minime abrogatur, sed impeditur, ne vi sua populam teneat, vt Abbas, & Felinus, *locis supra citatis* tradiderunt.

Sextò quaeritur, quam vim habeat Defuetudo, siue Non vsus contra legem, legislatore sciente, & non puniente, cum possit. **Respondeo**: Tunc Non vsu siue defuetudinem potius habere vim abrogandi legem, quoniam hoc ipso, quod scit legislator defuetudinem, siue non vsu, nec puni- tum, cum possit, tacite videtur legem abrogare. **Item**, duo actus, vel tres sufficiunt contra legem, quando fiunt legislatore sciente, & non puniente cum possit, vt tradit Abbas loco citato. **At verò** ad Non vsu siue defuetudinem requiritur decennium, vt ante iam dixi: videlicet cum legislator nihil nouit de ijs, qui legem non seruant.

Septimò quaeritur, Quomodo intelligi debeat defuetudo, vel non vsus legis? **Respondeo**: quancumque casus legis non accidit, non censetur non vsus, siue Defuetudo, etiam si per centum, vel mille annos lex non seruetur, quod idem est, ac si cum iuris vtriusque doctoribus dicas, appellatione non vsus, vel Defuetudinis nõ accipi actus simpliciter negatiuos. **Pono exemplum**: si per centum annos nullus natus est hermaphroditus, & propterea populus vsus non est lege aliquid constituyente, vtputa *l. in ærius. ff. de stat. hominum*, vbi decernitur hermaphroditum magis eius sexus æstimandum, qui in eo præualet: talis nõ vsus vel defuetudo nihil inducit cõtra legem, quia est actus simpliciter in negatione consistens. **Quare**

Desuetudo siue non vsus is accipitur, quo casus legis accedit, & tamen lex non impletur à tota communitate, vel maiori eius parte. Et hinc liquet, quomodo intelligendum sit, quod docent Ioannes Andreas in c. Ioannes de clerici coning, & Felinus c. 1. de Treug. & Pace, videlicet legem non tolli per non vsum, hoc est, nihil continentem contra legem, vt rectè dicit Nauar. conf. 1. de const. q. 6. nu. 25.

Quod quæritur, Quando priuilegium impetratum à Principe amittatur per non vsum? **R**espondeo, si per decennium priuilegium non vtatur, illud nos videmur amittere. l. 1. ff. de Nundinis. dicitur. Nundinis impetratis à Principe nõ vtendo, qui meruit, decennij tempore vsum amittit. Hæc ibi. Vt si ciuitas, vel populus impetrasset facultatem celebrandi nundinas, & per decennium eas non fecisset: Item, si Princeps ciuitati vel populo concessisset priuilegium scholas erigendi ob studium literarium generale, & decennij tempore non erexisset, priuilegium perdidisset. Præterea, si quispiam beneficio Principis liber esset, & immunis à tributis pendendis, vel solvendis decimis, vel militibus hospicio excipiendis, priuilegium amitteret per non vsum, aut contrarium actum. At sciedum est oportere desuetudinem, vel non vsum esse voluntarium: nam si sit necessarius, priuilegium non amittitur; Verbi Gratia, si quis non est vsus priuilegio, quia non potuit, aut quia se occasio non obtulit, l. 1. ff. de facijs, §. vltimo, & l. sequenti, ff. de seruitutibus rusticorum prædiorum, vbi habetur, nõ amitti seruitutem mihi debitam de aqua ducenda in fundum meum, si ideo nõ vtor, quia fons exaruit: item, si aliqua ciuitas obligata sit Principi, ita vt compellatur ad militum exercitum cogendum, quando Princeps cogit, & centum annorum tempore Princeps non cogit, non desinit ciuitas esse obligata, eo quod occasio non se obtulit. Item, si Princeps non vocauit populos sibi obligatos ad certum aliquid faciendum, quia alij quorum ministerium, & opera sibi sufficit, præsto fuerunt, nequit Principi tribui desidia, & negligentia, si non vocauerit populos sibi ad id deuinctos. Vnde ciuis libertatem non recuperat contra dominum, si Dominus non vtatur eius ministerio, & obsequio, quia nunquam fuit oblata occasio, in qua esset opus vti. Præterea, vt priuilegium amittatur per non vsum, siue desuetudinem necesse est, vt simpliciter detur facultas aliquid faciendi. Nam si princeps Titio priuilegium concesserit, vt eo possit vti, si velit, aut non vti, prout sibi libuerit, non perdit illud, etiamsi multo tempore eo Titius non vtatur. Vt si Imperator, vel Rex facultatem concederet Caio extruendi molendinum in communi, & publico flumine, eo adiecto, vt faciat, aut non faciat, vt sibi libuerit, non idcirco quod molendinum non extruit, Caius priuilegio suo cadit. At verò si quis facultatem impetret à Romano Pontifice Missæ sacrificium faciendi, & offerendi, tempore, aut loco sacris interdicto, & decennij spatio sacrum non faciat, priuilegium amittit, quia est simpliciter data facultas, vt sacrificare queat, non autem vt immolet, aut non immolet arbitrato suo. Pari ratione, si quis Principis arbitrio priuilegium impetrauerit, ne coram Iudice ordinario conueniri possit, & sinat se conueniri, aut iudicari, & ab eius sen-

tentia ad principem non prouocet, suum priuilegium deperdit.

Cap. V.

Qualis debeat esse Lex.

Primo quæritur, Quot & quæ requirantur, vt iusta sit lex? **R**espondeo, in hac re non esse Isidori regulam contemnendam, monentem, vt lex sit honesta, iusta, & eorum, quibus imponitur, moribus accommodata, vt fert natura hominum & patriæ consuetudo: loco & tempori conueniens, necessaria, vtilis, manifesta: hoc est, non obscura, non captiosa, ob nullum priuatum commodum, sed communem ciuium salutem, & utilitatem conscripta. Hæc ille; à quibus non longè absunt, quæ scripsit Quintilianus: lib. 2. cap. 4. *Vt iustum leges, inquit, aut in verbis, aut in rebus est. In verbis quæritur, an satis significant, an sit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in populum ferri debeat, an in singulos homines: maxime verò commone est quætere, An sit honesta, an vtilis. Nec ignoro plures fieri à plerisque partes: sed nos iustum, piuum, religiofum, ceteraque his similia honesto complectimur. Iusti tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa queritur, vt digna ne pœna, vel præmio sit: aut de modo præmij pœnæque. Quæ tam maior quam minor culpa potest. Vtilitas interim natura discernitur, interim tempore. Quædam an obtineri possint, ambigi solet: ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere. Hæc Fabius dilucidè de viris virtutibus legis. Ifoocrates in Panathenæico iudat leges, quæ sunt faciles cogniti, clare, manifestæ, vtilis, inter sese congruentes, ad publica, non ad priuata comoda constitutæ.*

Sed in hac re duo potissimum consideranda esse videntur: **primum**, An leges, de quibus ferendis agimus, de totius Reipublicæ salute, & utilitate sanciantur, an verò vnum atque alterum articulum contineat: nam in illo primo legisserem oportet omnia genera rerumpublicarum, omnes qualiscunque populi mutationis, & conseruationis modos diligenter perscrutari, Cives & totam Rempublicam probe nosse, & ad illum statum perducere, qui ad bene viuendum quam maxime accedit, & quantum humano ingenio, & prouidentia fieri potest, quam diutissime in bono populus conseruetur. Quæ omnia, Aristotelis præcepta sunt. lib. 1. Rheio. capit. 4. lib. 3. Polit. capitulo septimo. libro quarto, capitulo primo. libro quinto, capitulo 9. & lib. 6. cap. 5. & lib. 7. cap. 2. lib. 10. capitulo 9. Eibico.

Secundò quæritur, An leges oporteat omnes ad virtutem referri. **R**espondeo: omnes, quam maxime fieri potest, esse debere virtutum officijs accommodatas: quoniam ex hoc ciuium salus, Reipublicæ incolumitas, libertas, pax, concordia, gloria, decus, & rerum omnium abundantia nascitur, ac pendet. Quo fit, vt eorum non sit probanda sententia, qui putant leges potissimum esse constitutas, vt earum metu hominum comprimitur audacia. Contra enim Plato lib. 1. de legibus, & Cic. lib. de legibus. legis putant esse per suadere, nõ autè omnia vi ac minis cogere. Et Diod. lib. 1. de rebus Barbarorum leges reprehendit, quæ magis punire, quàm docere videantur: & Xenophon lib. 1. de curi vi-

ta, Perfarum instituta plurimum laudat, quod non, ut ceteri, de penis criminibus ex lege constitutendis solliciti sint; sed multo magis caueant, ne qua apud ipsos crimina perpetrentur.

Animaduertendum est, leges quæ aliquid fieri præcipiunt, id in aliquo virtutis officio reponere, etiam si alioqui non esset ex natura sua per se bonum: Ut cum Ecclesia ieiunia certis temporibus indicit, ea ad Temperantiam referuntur: fructuum decimam partem solum sacerdotibus lege imperat, id ad Iustitiam pertinet: sic etiam cum Principes iubent, sibi pendere tributa. Item, præcipit Ecclesia, ut in diebus festis singuli fideles, & pij Christi cultores Missæ sacrificio interfint. Itæ, ut presbyteri certis quibusdam caeremonijs Sacramenta ministrent. Prohibet templa, vasa, altaria, & res alias pollui, aut à laicis tangi, tractari: Hæc omnia ad Religionem, & diuinum cultum spectant.

Tertio queritur, An legis sit vitia prohibere? Respondeo, esse, præsertim ea, quibus Iustitia ciuium violatur, incolumitati, & communi Reipublicæ saluti nocetur; pax, concordia, societas, & amicitia humana dissoluitur. Ut rectè Demosthenes dixerit, & refertur. l. 1. c. 2. ff. de legib. legis esse coercere delicta, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur. Scire tamen oportet, legis humanæ non esse omnia ea mala vetare, quæ prohibet ratio naturalis: leges enim aliquando permittunt mala, ut grauiora, & deteriora alia, vel plura deuitentur; Permittunt, verbi causa, leuiora vsuras, ut à longè maioribus vsuris ciues abstineant; concubinarum, & meretricis, ut adulteria, & alia his turpiora crimina caueantur.

Quarto queritur, An legis sit benefacta præmijs afficere: & contra, malefacta penis debitis punire? Respondeo, esse, ne impunita crimina delinquendi cupiditatem, & audaciam improbis, ac perditis hominibus addant, & augeant. Vnde Cicero lib. 3. de legib. merito scripsit: Noxæ poenam parè esse debere, & in suo vitio oportere quemque plecti; ita ut vis à teri illata, capitis poena: avaritia, pecuniæ multa: ambitio, & immodica honorum cupiditas, ignominia, & dedecore sanciantur. Platone etiã teste lib. 9. de legib. ut ciues ad bene agendum alliciantur, oportet quoque legibus præmia benefactis constitui; & idcirco milites, quorum strenua opera, duces & imperatores victoriam consequuntur, muneribus, & præmijs donare Respublica consuevit. Itæ, Nobilibus immunitas multorum onerum dari à Principibus solet. Præterea, Magistratibus atque Iudicibus, ne illi ob quæstum, & lucrum potestatem exercent, & iura reddant & sententias pronunciant; stipendia debita tribuuntur. Denique, ut ait Cicero in epist. ad M. Brutum, his duabus rebus præmio, & poena Respublicam in officio contineri, Solon & Plato docuerunt. Extat Martiani elegans admonitio in l. respiciendum. ff. de penis, in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debere: in grauioribus penis seueritatem legum aliquo benignitatis temperamento leniendam, mitigandam, & exequendam.

Quinto queritur, Quot & quinam sint legis actus? Respondeo, quatuor enumerari à Modestino Iurifconsulto. in l. legis virtus. ff. de legib. vbi ait:

Legis virtus hæc est; Imperare, Vetare, Permittere, Punire. Imperat Lex, ut cum iubet Lex Iulia, de Adulterijs, Accusantem, & Accusatum, & aduocatos esse præsentem, quando serui torquentur in causa adulterij. Item, Præcipit Lex, ut cum iubet seruos publicari, si postulerit, ff. Quæstione, c. 5. Iubet, ff. ad legem Iuliam, de Adulterijs. Vetat verò Lex; ut cum prohibet res immobiles minorum sine decreto alienari; Item, cum prohibet, ne res Ecclesiasticæ distrahantur, l. Iubemus 2. c. de sacrosanctis Ecclesijs. Permittit Lex, qualis est illa quæ militi, etiã post sententiam uti permittit exceptionibus suis, l. 1. c. de iuris, & facti ignorantia. Punir maleficia Lex; quales sunt illæ leges, quæ poenas irrogant delictis: ut constat in toto Titulo de Penæ in Digestis, & Codice. Obijcies, Legis esse quintum actum, Confutere: Ut cum extraneis Lex consulit, ne impendant agendo querelam, in l. 1. ff. de iusticijs testamento. Item, quando consulit Lex, comodiùs esse possessorio, quàm petitorio iure rem, & causam agere, l. 1. qui, ff. de rei vindic. & consulit esse transactioni poenam addere, l. Pacto, ff. de Transa. Respondeo, Verbo Permittendi etiã verbum Confutendi contineri.

Sexto queritur, An leges oporteat ferri de his, quæ frequenter accidunt? Respondeo, ex Theophrasto, qui citatur in l. iura. ff. de legib. Quæ semel, aut bis contingunt, legislatores contemnere. l. Quoniam, ff. de legibus, c. l. Nam ad eam, ff. de legibus dicitur: Ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter, & facile, quàm quæ per raro eveniunt. Et l. Neque leges, ff. de legibus, cauetur: leges non ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendant, sed sufficit ea, quæ plerumque accidunt, continere. l. ex his, ff. de legibus, Itatur: ex his, quæ fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur.

Septimo queritur, An legum deceat esse multitudinem, & frequentiam? Respondeo, minimè, ut docuit Iocrates in Areopag. & ut ait Thucydides apud Stobæum c. 41. Arcefilaum dixisse ferit: Vbi plurimæ leges, & medicamenta forent, illic morborum, & iniustitiæ, ac criminum plurimum esse. Item, vbi plurimæ leges conduntur, facile contemni solent, eò quod ciues onerari grauius videantur. Iocrates loco citato dicebat, legum multitudinè signa esse mali status Reipublicæ, propterea quòd dum delicta quasi aggeribus coercere nitimur, leges cumulantur. Non sunt, inquit, legibus porticus implenda, sed ciuium animi iustitia, & virtute imbuendi: homines bene instituti paucis legibus facile diriguntur: improbi omnes leges facile contemnunt: bonis igitur pauca leges sufficienti: malis innumeræ satis non sunt.

Cap. VI.

De vi & potestate legis humanæ.

PRIMO queritur, An lex humana habeat vim alligandi ciuium conscientias? De hac questione illud est certum, & compertum omnibus, penes Ecclesiam esse potestatem sancienti leges, quæ hominum conscientias obstringant. Hoc enim definitum est in Concil. Constan. sess. 8. c. 15. contra Ioan. Wicleff. & Ioan. Hus, & in constitutione Pontificia Leonis X. contra Lutherum, ar. 27. idem statuitur: quod facile etiã ex scripturis colligi potest. Nam ad Rom. 13. Omnis anima, ait B. Apostolus,

potestatis sublimioribus subdita sit. Infra: *Qui potestati resistit: Dei ordinationi resistit.* (vnde deducit) *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Præterea, ibidem: *Ideo necessitate subditi estote: non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* His planè affinia tradit B. Petrus Apostolus: *subditi, inquit, estote omni humane creaturae propter Deum: siue Regi, & quæ sequuntur.* Matth. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.*

Præterea, conuenit inter omnes, penes Ecclesiam esse potestatem, & ius, condendi Canones, siue leges, & iura quæ alligent conscientias, etiam ijs in rebus, quæ scriptæ non sunt in sacris literis. Nostræ enim tempestatis Hæretici, contendunt ostendere, Ecclesiarum Praefules, ac Romanos Pontifices non posse eiusmodi leges, Canones, vel constitutiones ferre, nisi de ijs, quæ in scripturis continentur, ad maiorem, & pleniorum eorum obseruationem: Sed profectò illi apertè conuincuntur ex eo, quòd refertur Actorum 15. ubi Apostoli scripserunt ad Gentes nuper ad Deum conuersas, in hæc verba: *Videtur enim est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene ageatis.* Hoc est; vt abstineatis vos à sanguine, & ijs cibis, qui sunt Deorū simulacris immolati, & ab omnibus quoque animantibus, quæ suffocata moriuntur. Quæ tria erant quidem veteris legis præcepta, sed omnino Christi Domini morte abrogata, ea tamen Apostoli gentibus imposuerunt ad tempus, vt vnà cum Iudæis possent interim commodè societatem coire, & inter se coherere: Fornicationis autem meminerunt in ea lege, quoniam licet sit in vniuersum iure naturali damnata, erat tamen eius apud Gentes magna ignorantia. Potest igitur Ecclesia aliquid nobis præcipere, quod non sit sacris literis imperatum. Monet item Apostolus, vt obediamus præpositis nostris, & subijciamur eis, qui sunt pro nobis Deo rationem reddituri.

Præterea, consentiunt itidè omnes, posse Principem ciuilem, aut Rempubicam profanam, legibus ciuium conscientias adstringere. Nam Apostoli Paulus, & Petrus locis supracitatis in vniuersum de omni potestate tum ciuili, tum Ecclesiastica loquuntur.

Contra hæc obijciuntur nonnulla. Primò, ex B. Augustino. lib. 22. contra Faustum, ca. 27. Peccatum est factum, dictum, vel concupitum cõtra legem Dei; ergo is, qui facit contra legem humanam, non peccat. Respondeo, Peccatum esse, quia est rectæ rationi contrarium; Augustinus autem, vt omne peccatum comprehenderet, definiuit peccatum esse contra legem æternam, seu contra legem Dei, quoniam lex Dei, est æterna eius ratio, quæ per naturam suam est recta. Vndè quicquid est contra rationem naturalem, vel contra quamcunque legem humanam, est contra legem, & rectam rationem diuinam, remotè quidem, non proximè. Si enim lex humana sit, eo ipso, est quoque recta ratio aliquid iubens, vel vetans; & proximè qui legem humanam contemnit, & violat, rectæ rationi aduersatur, & eo ipso, legi quoque, & institutioni Dei, quæ in lege naturali, & humana implicite continetur. Secundò obijciuntur

d, quod 1. ad Timoth. 1. dicitur: *Iusto Lex non est posita:* ergo qui Dei beneficio iustitiam adeptus est, non est amplius humanis legibus subiectus. Respondeo, plurimum hallucinari Lutheranos interpretantes hunc Apostoli locum, ita vt dicant, iustum per fidem esse omni lege solutum, etiam naturali, & diuina: quoniam etiam cum scorto, inquit, iustus rem habeat, culpam ei Deus non imputat, hoc ipso, quod credit in Christum. Putant enim illi, omnia nostra opera esse mala, sed iustus per fidem Christi, culpæ, & damnationi minimè imputari. Præterea, vehementer errant alij quoque Hæretici docentes, iustos liberos esse ob omni humana lege; quamvis lege naturali, & diuina teneantur. Sensus itaque catholicus, & germanus eius loci esse potest triplex. Primus quidem ille, vt lex iusto non sit posita; quasi dicat, Non est lata Lex propter iustos, sed propter impios, vt coercerentur à malis, vt subiuncta Apostoli mox verba declarant: *sed iniustus, & subditus, impijs, & peccatoribus, &c. confirmatur ex illis etiam verbis ad Galat. 3. Lex propter transgressores posita est: sed quamvis sit constituta propter nocentes, semel tamen posita alligat, & tenet omnes, & bonos, & malos, iustos, & iniustos.* Accidit enim, vt etiam leges humane sint conditæ propter aliquas hominum causas, quæ frequenter eueniunt: attamen leges semel positæ omnes in vniuersum adstringunt. Secundus sensus esse potest: Lex non est posita iusto; quasi hoc velit Apostolus: iusti per Christum amplius non sunt sub lege Mosis, & veterum cæremoniarum, sub qua lege Iudæi antea concludebantur. At verò Iusti nomine, tunc accipere oportet eum qui adeptus est beneficio Dei iustitiam per Christum. Iusti enim ante Christi aduentum apud Hebræos veteri lege tenebantur. Tertius sensus est: iusto non est posita Lex, vt sub ea, nimirum tanquam sub pedagogo quodam contineatur. Nam Paulus ad Galat. 3. testatur: Iudæos esse sub lege veteri custoditos tanquam sub pedagogo, quo dirigerentur in bonis, & abducerentur à malis: donec patefacta Christi fides esset. Iusto igitur, inquit, vt significet, iusto per Christum, amplius lex, quæcunque sit illa, non est veluti pedagogus coercens, & deterrens à malo, & ad bonum impellens, quoniam spiritu charitatis per Spiritum sanctum infusa, in bonum iustus dirigitur, & à malis studijs, & actibus auocatur.

Tertiò obijciuntur dictum Apostoli ad Galatas 5. *si spiritu ducimini, non estis sub lege,* quod Hieronymus exponit in hunc modum: *liberi estis à iugo legalium cæremoniarum.* Sed mihi magis probatur Augustini sensus, qui appellatione legis, omnem legem in vniuersum intelligit, vt videtur Paulus accipere; cum ait, *Non estis sub lege,* tanquam diceret: *Non tanquam serui metu poenæ, quod bonum est, præstatis, sed spiritu charitatis: nam sub lege esse apud Paulum, est idem, quod vrgeri, premi, & adigi legis poena ad aliquid faciendum, at iustum ad bene viuendum, non poenæ metus; sed charitas allicit, inuitat, seducit, ac mouet.* Alj verò interpretantur: *Non estis sub lege, nimirum accusante, & condemnante vos, eo quòd per gratiam Christi salui facti estis, & vires*

consequuntur

consequuti estis ad bene agendum. At verò Paulus. 1. ad Cor. 9. illud sub lege, aliter accipit, cum ait: factus sum ijs, qui sub lege sum; quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrificerem. Est periphrasis qua vitatur Paulus ad ludæos nominandos. eos enim esse dicit sub lege; sicut contra, eos, qui sunt sine lege, vocat Gentes. Postremò, obijcit id, quod Deuter. 4. habetur: Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo; & Prouerb. 30. Omnis sermo Dei ignium, &c. Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris. ad Gal. 1. Sed licei nos, aut Angelus de celo Euangelizet vobis, praterquam quod Euangelizauimus vobis; anathema sit. Respondeo: illud dicitur addi, & adijci quod est Dei legi contrarium: at verò id, quod dicitur ad maiorem, & pleniorum diuinæ legis obseruationem, explicationem, minime censetur illi contrarium, quoniam ad rem, & intelligentiam ipsius legis conducit.

Secundò queritur, An lex humana possit conscientias hominum alligare, ita ut eius violatio lethalem culpam inducat? Gerson tract. de viua spiritali. lect. 4. 10. seu parte. 3. tradidit nulla lege humana, immò nec etiam naturali ita conscientias hominum teneri, ut lethale peccatum sit, si cõtra eam fiat, nisi ea lex ortum habeat à lege diuina, cuius solius violatio lethali culpæ tribuitur. Cuius auctoris sententia est aliquantulum obscura, & propterea quidam existimant eam solo nomine differre, à communi cæterorum theologorum sententia. Sotus verò lib. 1. de iust. q. 6. ar. 4. purat parum, aut nihil distingui à refutata paulò ante hæreticorum sententia. Enimuerò si rectè expendatur, cum hæresi Lutherana minimè conuenit. Gerson enim sententia est, lege humana nõ adstringi conscientiam, nisi in his, quæ constituit declarando legem diuinam, vel certò definiendo tempus, aut locum, & certas alias circumstantias, quas lex diuina absolute, & simpliciter non determinat. Si autem sint res simpliciter se aliter habentes, tunc lex humana non habet vim, & auctoritatem alligandi conscientiam. Ex quo Gerson colligit primò, præceptum ieiunii seruandi certis temporibus ab Ecclesia indicta, & colendi religiosè dies festos, & in his sacrum audiendi, & quotannis sacerdoti confitendi peccata, & in Paschate sacrosanctam Eucharistiam suscipiendi, & fructuum collectorum decimam partem Ecclesiæ ministris soluendi, & excommunicatorum consortium deuitandi, & pendendi debita Regibus atque Principibus tributa, & id genus alia, adstringere hominum cõscientias, quoniam hæc singula originem ducunt à Legge diuina. Secundo, ait, omnia præcepta Ecclesiæ, censuras, & pœnas Ecclesiasticas irrogantia in ijs rebus, quæ pertinent ad cultum, honorem, venerationem, & administrationem rerum spiritalium, habere vim alligandi conscientias. Tertio: excommunicationes, quibus Ecclesiarum Antifites homines sibi subiectos afficiunt ob peccata, in commodis ac bonis temporalibus admitta: quales, inquit, multe sunt, nullam auctoritatem habere alligandi conscientias. Hæc omnia Gerson conatur ostendere ex eo, quòd iuris diuini est absolute, & simpliciter; Diuinis obsequijs studere aliquo tempore vel loco. Et quia ius Diuinum nullum ad id cer-

tum tempus constituit, liberum reliquit, ut Ecclesiæ auctoritate statueretur. Pari modo, iuris diuini est temperato cibo, & potu uti; peccata sacerdoti cõfiteri, Ecclesiæ ministros alere, Reipublicæ Magistratus, & principes iuri. At verò Ecclesiæ, vel Respublica in his omnib, vel tempus, vel locum, vel personam, vel alias circumstantias definit. Præterea, data, inquit, est Ecclesiæ potestas contumaces arcendi à sacris, & ab Ecclesiastica communione excludendi, ab officio remouendi, dignitate priuandi, nimirum in ijs, quæ ad salutem spiritualem animarum pertinent; non autem in ijs, quæ ad lites temporales dirimendas, & terrena bona recuperanda spectant.

Verum quicquid velit sibi Gersonis opinio, communi Theologorum consensu refellitur, eorum nempe, qui post ipsum scripserunt. Eam enim refutant. Gabr. 4. d. 16. q. 3. ar. 1. not. 6. vbi citat. S. Tho. Bonau. Ioan. Andr. Dominicum, Abbat. Bartol. & ait oppositam sententiam esse irrationabilem, & periculosam. Almai. de potest. Ecclesiæ. 12. & Mai. 3. d. 37. q. 10. Adria. quodl. 2. concl. 2. Victo. relect. de potest. 4. ciu. n. 15. & seq. Sot. li. 1. de iust. q. 6. ar. 4. Castr. li. 1. de lege pena. ca. 4. & profecto iure optimo rejicitur: quia omnis lex hoc ipso, quòd est iusta, cum recta ratione conuenit, & proinde ea tenemur, & ligamur. Rursus in matrimonijs, & sponsalibus aliquos cõsanguinitatis, & affinitatis gradus Ecclesiæ interdixit, qui tamen iure diuino damnati nõ erant. Præterea, lex humana, si iusta sit, communi bono, & saluti prospicit; ergo omnis lex iusta ortum habet ab eo, saltem iure diuino, quo salutem Reipublicæ communem priuato nostro commodo præferre debemus.

Cæterum his, quæ dicta sunt, quædam obijcit Gerson: Legislator, inquit, qui nõ potest pœnam constituere, nequit aliquid imperare; ita ut eius præcepti violatio eam pœnam mereatur. Verbi causa, ciuilis Princeps, quia non potest excommunicationis pœna quempiam afficere, proinde nihil potest inbere, pœnâ excommunicationis in eos qui non paruertint, conscientia. Ecclesiarum item Antifites nequeunt capere pœnâ nocentes plebæ; & propterea statuta sancire non possunt pœnâ capitis contemnentibus irrogata. Sed nulla hominum auctoritas potest pœnam æternam imponere, aut diuina gratia quempiam spoliare; ergo non potest conscientiam ita ligare suis legibus, ut earum violatio sit lethale peccatum. Respondeo, potestatem humanam ex institutione Dei habere, ut quempiam ita teneat, & alliget, ut si contra fecerit, sit æternæ pœnæ reus; non quidem directò, proximè, & per se, sed quia potest iustam legem ferre: & Lex eo ipso, quòd est iusta, cõrecta ratione cõgruit, & proinde cum diuina quoque ratione: quo fit, ut eiusmodi legis violatio sit grauis, & proinde culpæ lethali detur, & mereatur eo ipso pœnam æternam, quam Deus ipse exposcet, ac sumet. Princeps verò ciuilis, neque per se directò, neque indirectò potest quempiam pœna excommunicationis afficere, neque Ecclesiæ Præfectus pœna capitis aliquè punire. Secunda Gersonis obiectio est: Quoniam Ecclesiæ, inquit, non potest voluntatis actus internos cognoscere, eo ipso nequit eos prohibere, aut punire: Sed potestas humana non cognoscit pœnam æternam, & proinde eam non potest imponere. Respondeo,

penam aeternam non imponi ab homine: Sed is legem iustam condit, cuius violatio culpa grauis est, eoque ipso, poena aeterna digna: hanc autem sumit Deus de ijs omnibus, qui sese lethali peccato obstrinxerunt. **Tertia obiectio:** Quemadmodum si aegrotus medicus dicat hunc, vel illum cibum esse mortiferum, aegrotus debet eo cibo abstinere, non quod medicus eius conscientiam liget, nec quod aegrotus medico id sibi imperanti, vt superiori parere cogatur; sed eo, quod quisque iure naturali debeat suam vitam tueri, & seruare: at lex humana instar medici ostendit, quid sit agendum, quid fugiendum: non autem habet vim alligandi conscientiam. **Respondeo,** exemplum à Gerfone productum nihil probare: quia medici solum est docere, quid in cibo, & potu sit salutare, quid noxium; & deinde aegrotus iure naturali compellitur noxia deuitare; at verò Legislatoris est non solum ostendere, docere eum quid sit agendum, quid vitandum, sed etiam leges iustas ferre, quæ eo ipso quod iustæ sunt, hominum alligant conscientias.

Tertio queritur, An Lex civilis à Principe, vel Republica sancita, habeat vim obstruendi conscientiam, ita vt eius violatio sit lethalis? **Respondeo,** habere vim, & potestatem, quamuis quidam id negent. Nā sine Ecclesiastica siue civilis sit lex, eo ipso quod est iusta, eiusmodi vim, & auctoritatem habet. Anima duertendum tamen est aliquas esse leges civiles, & statuta auctoritate Magistratuum inferiorum edita, quæ civium conscientias minimè ligant: non quia ad id vim, & potestatem non habeant, sed quia ratione probabiliter credimus, Legislatores non eo animo, & voluntate cōdidisse, vt tenerent, & adstringerent: quales multas esse inferius apparebit. **Obijciēs:** Magistratus civilis solum est consulere communi pacis, & tranquillitatis commodo, & salutis; ergo non habet vim alligandi cōscientiam, ita vt eius violatio sit mortifera. **Nihil** argumento concluditur: quoniam directò, & proxime, per se, Magistratus civilis solum rationem habet salutis, & boni communis; & inde efficitur, vt legem communi salutis necessariam constituat: Ex quo deinde fit, vt qui eiusmodi legem perfringit, grauiter contra rectam rationem delinquat. **Secundò opponēs:** Multæ leges civiles sunt à Iuris peritis, vel Principibus Ethnicis constitutæ, qui hominum conscientias obligare non poterant; nihil enim de lethali peccato nouerant. **Respondeo,** Vt leges hominum cōscientias teneant, & alligent, satis esse, si sint iustæ, & Republicæ salutares. **Tertio obijciēs,** Ethnicos Legislatores non eo animo, & voluntate leges sanxisse, vt conscientias ligarent. **Respondeo,** hoc esse ex accidenti; at quæstio præsens non est facti quæstio, sed Iuris: nec enim tractamus, an civiles leges conscientias obstruant, sed an habeant vim, & potestatem alligandi: ita vt alligare queant.

Quartò queritur, An lex humana poenam constituens, conscientiam ita adstringat, & teneat, vt eius violatio sit peccatum. Tres opiniones inuenio: **prima** in vniuersum docet, nullam legem civilem poenam irrogantem, ita conscientiam tenere, vt eius violatio culpa tribuatur. Ita sensit I. mol. in c. cum contingat de iureiur. Felin. in c. 1. de sponsa-

li. Calderin. quem citat Abbas in rubr. de obser. ieiun. Nau. in manual. c. 23. n. 55. **Secunda opinio** distinguit: Aut lex, inquit, quam poenalem appellant. Ecclesiastica, siue Civilis, est absolute, & simpliciter poenalis, aut mixta. Si mixta sit, ita conscientiam tenet, vt qui contra facit, culpam contrahat. Si verò sit simpliciter poenalis, violator eius nullam in culpam incurrit, poenam tamen à lege irrogatam meretur. Sic olim sensit Henricus, cui accessit Angelus, & post Angelum, Alphonsus Castrensis: id docet Henr. quodlib. 3. q. 22. Angel. in obedientia q. 1. Alphons. Cast. lib. 2. de leg. pen. c. 9. Ad quam rem plenius intelligendum, animaduertendum est, iuxta hanc opinionem, duplices esse leges poenales; alias quidem mixtas, eas nimirum, quæ primo aliquid fieri iubent, aut prohibent, & deinde poenam cōstituant in eos, qui ipsis non obtemperauerint. **Alias** verò esse simpliciter poenales, quæ nihil præcipiunt, aut vetant, sed solum poenam irrogant eis, qui certum aliquid fecerint. Sit exemplum: Potest statutum esse in Religiosorum ordinibus, vt qui fuerit locutus post certam horam, recitet quinque Psalmos: huiusmodi (inquit Henricus) statutum, est simpliciter poenale, quia nihil fieri iubet, aut prohibet. Si verò in hunc modum statuat: Præcipimus, aut prohibemus, ne quis post certam horam loquatur; quod si fuerit locutus, quinque Psalmos recitet: Statutum, est mixtum poenale, quia prohibet post certam horam loqui, & deinde loquenti poenam imponit, qua in eum animaduertitur. Sic in l. 1. c. de mendicis vult. lib. 10. Lex simpliciter poenalis constituitur in mendicantes ex otio, vel cupiditate citra egestatē. **Tertia opinio** in vniuersum ait, omnem legem humanam poenalem, siue Ecclesiasticam, siue civilem, cōscientiam constringere, ita vt eius violatio sit culpa, siue sit lex poenalis simpliciter, siue mixta. Ita S. Tho. 1. 2. q. 86. a. 4. Sor. lib. de iust. q. 6. a. 4. Mai. 3. d. 37. quæst. 16. Adria. quodlib. 2. concl. 2. Panor. in rubr. de obserua. ieiun. Archid. Ioan. And. Gemin. citati à Siluest. in obedientia un. 3. qui ita hanc sententiam probat, vt affirmet distinctionē Henrici de lege simpliciter poenali, & mixta, esse puerilem, & verbalem, vt ille ait, & non hominum sapientum: **ratio** huius opinionis est, quoniam lex eo ipso, quod iusta est, conscientiam tenet, ac ligat, nisi legis conditor aliud voluerit. Rursum, & rerum aliarum precia lege taxata, cum eo ipso iusta sint, seruari debent; ergo & leges si iustæ fuerint, violari, & perfringi contra conscientiam non possunt, nec sufficit, si dicas Principum, & Legislatorum civilium mentem non fuisse, vt leges hominum conscientias ligarent: nam satis est, si leges iustas ad populum ferant, & expressim non dicant, nolle se conscientias obstruere. Nec item satis est, si dicas, eo ipso, quo poenam tantum temporariam constituunt in eos, qui legi non paruerint, significasse, se nihil aliud voluisse, nisi vt poenam soluant; quoniam sufficit, si lex iusta sit, siue poenalis, siue secularis, eo ipso, hominum conscientias tener.

In hac cōtrouersia sanè graui, & difficili, quædam sunt omnibus comperta, quæ d. ni verò in opinione consistunt. **Primum** consistit inter Theologos, si leges, siue sint simpliciter poenales, siue mixtæ ex cōceptu, vel cū scandalo, & offensione

aliorum

aliorum violentur; lethalem esse culpam, quia ipsa legis contemptio, vel offensio aliorum per se mortiferam continet culpam. Secundò, certum illud est, & exploratum omnibus, leges Canonicas, siue Ecclesiasticas, quæ irrogant poenam excommunicationis, suspensionis, interdictionis, depositionis, degradationis, irregularitatis, aut infamiam, ita conscientiam alligant, ut earum violatio culpæ tribuatur. Hoc autem intelligitur de irregularitate, quæ ex delicto contrahitur, & de suspensione, quæ quis ob delictum afficitur. Tertiò, id etiam cuique persuasum est, nullam legem humanam ligare conscientiam, si ablic Legislatoris animus, & voluntas obligandi ciues sibi subiectos: nam ut paulò ante dixi, ad vim, & potestatem legis requiritur Legislatoris animus, quo velit ea lege sibi ciues obstringere. Quartò, similiter in eo omnes consentiunt, leges humanas, tum Canonicas, tum ciuiles, si ob solam suspitionem, vel ut aiunt, præsumptionem delicti, sint latae, non habere vim obstringendi conscientiam: præsumptio enim, siue suspitio ad forum tantum iudiciale pertinet, non conscientiam. Quintò, id etiam compertum est, & indubitarum, leges, quæ solùm sunt conuentiones, & pacta, quæ alioqui conuentionales leges appellant, nõ alligare conscientiam, ita ut eius omisso sit in vicio, & culpa. **Obijcies:** conuentiones, & pacta inter homines iura obligant conscientias; ergò & leges cum conuentione, & pacto latae. **Respondeo,** aliud esse, si conuenta, & pacto non serues; aliud si facias contra legem sub conditione latam: verbi gratia, Titius maritus reliquit bona sua Semproniam vxori ea conditione ne alteri nuberet. Semproniam verò alteri nupsit, in nubendo non peccauit, at si nupta retineat bona mariti demortui, peccat, quia conuenta violat, pactum non seruat. **Item,** conueni tecum, ut centum ex meis annuis redditibus habeas quotannis, si in Capitolium singulis annis Calendis Augusti ascenderit: si nõ ascendas, non peccas, at si conditioni non stans tibi sumas, & retineas centum quotannis ex meis annuis redditibus, peccas, quia conuenta nõ seruas. **QVÆRITUR,** quænam leges conuentiones, & pacta censentur? **Respondeo,** eas esse, quæ solent ex mutuo contrahentium consensu in contractibus apponi, & adijci. **Item,** quotiescunque aliqui legis condenda potestate carentes, inter sese de re aliqua paciscuntur, cuiusmodi sunt leges earum Sodalitatum, quæ Confraternitates vocantur, & aliquorum Collegiorum, quæ extruuntur, & dotantur ad communem multorum vitam sustentandam, aut studia literarum promouenda, tales etiam sunt testatorum conuentiones, quibus certis hominibus quædam bona ex testamento relinquunt, si certum quid effecerint; si minus, amittant ea bona. **Sextò,** illud quoque omnes consentiunt, si Legislator expressè, vel tacitè significet velle, ut lex conscientiam alliget, ita ut eius violatio sit in culpa, eo ipso, eiusmodi legem vim habere, quoniam lex humana potest conscientiam adstringere. Ergò si Legislator suam mentem, & animum declarat expressè, vel tacitè, eo ipso, conscientiam tenet, ac ligat.

Quæ verò in opinione Doctorum consistunt, duo sunt, **Primum,** An quando Legislator suam men-

tem expressè, vel tacitè non exprimit, & poenam temporariam lege constituit, eo ipso, eiusmodi lex ita conscientiam adigat ad parendum, ut eius violatio sit in culpa. **Secundum est,** An lex humana, quæ nihil fieri iubet, aut verat, sed solùm poenam decernit his verbis: si quis hoc illud fecerit, hanc illamque poenam luat, subeat, aut contrahat, ita conscientiam alliget, ut qui ei non pareat, se peccato commaculet. **De quibus duobus mihi longè probabilius videtur,** leges humanas multam, & poenam interponentes, conscientiam ligare. Nam quòd leges eos, qui illas non seruant, poenis afficiant, nõ est, quòd Legislator nolit legis violatorem culpam contrahere, sed, eo, quòd metu poenæ velit omnes in officio continere. **Nihilominus tamè si quis in his duobus opinionem contrariam sequutus fuerit, non videtur esse omnino condemnandus, cum eam sententiam graues alioqui Theologi, & canonici iuris interpretes sequantur.** Et Caietan. in sum. præceptum. vers. **Hinc etiam fit:** hanc questionem tractans, tandem concludit: *Transgressio, inquit, iuris positum humani, si non fiat ex contemptu, sed ex ignorantia quadam licet culpabili, aut ex apparenti quadam excusatione, non videtur esse lethale peccatum.* Hæc Caietanus. Præterea, multa sunt leges Regiæ, vel Imperatoriæ, multa item statuta aliorum Principum, Ciuitatum, populorum, quarum legum violatio non videtur esse peccatum, huiusmodi sunt leges de lignis communibus non cædendis, de non venando, de non piscando, de non capiendis volucribus, vel feris, de non pascendis animantibus in communibus Republicæ pascuis, de non de ferendis noctu armis, de non vtendo hoc, vel illo genere vestiti, hac, vel illa pompa funebri, & id genus aliarum constitutiones, quæ ferri ad populum solent, poena in eos, qui nõ paruerint, constituta.

Quartò queritur, Ex quibus verbis possit inferri lege humana, ita conscientiam adstringi, ut eius violator in lethalem culpam incurrat. Hæc questionem agitarunt. Anton. par. 2. tit. 4. cap. 2. Pan. in cap. nam concupiscentiam de consili. Cai. 2. 2. q. 156. ar. 9. ad 2. Syl. præceptum hum. 2. Armil. præceptum nu. 6. & 7. Tabien. lex q. 28. Nauar. in Man. cap. 23. num. 50. adde etiam Gabr. 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. nota. 7. & sentus questionis est, ex quibus verbis præcisè, & per se, etiam si nihil aliud lex ipsa contineret, colligatur eum, qui contra legem facit, lethalter peccare. In qua difficile est certam aliquam regulam præscribere. **Nihilominus tamen triplici ex capite possumus eam elicere. Primò,** ex materia eius, quod lege imperatur: **Secundò,** ex verbis, quibus lex vtitur: **Tertiò,** ex poenis, quæ lege irrogantur ijs, qui non obtemperauerint. **Primò igitur,** ex materia rei imperatæ; ut si sit res grauis, nam si leuis sit, & exigua, legis violatio lethalis esse non potest, quamuis velit Legislator, ut qui non pareat, contrahat lethale peccatum. **Poriò,** legis materia grauis, aut leuis censetur ex ratione, quæ ad salutem Republicæ communem refertur. Verbi gratia, Vrget Rem publicam fames, & penuria annonæ ciues laborant, & propterea lex fertur, ut ciues, quibus abundè suppetit annona, iusto pretio vèdant, ne populus fame pereat: tunc materia legis eiusmodi, grauis reputatur. **Similiter lege solet cõstitui, ne**

medici sciiente peste absint ab oppidis: Item vt hostili premente bello, ciues vrbs portas, & muros defendant, & contra hostes se muniant: ne idem arma ad externos deferantur: ne extra prouinciam equi extrahatur. Item materia legis magna, vel parua habetur, pro varietate virtutum, in quibus actus imperati reponuntur: Vt si lex feratur de ijs, quæ pertinent ad charitatem, aut iustitiam, pietatem, & religionem tuendam, & seruandam. Abba. in cap. clerici officia, de vit. & hone. cleric. Ioan. Andr. in c. relatum, ne clerici. vel mona. Gemi. in ca. perpetua de elect. in 6. Sylu. preceptum n. 3. Secundo, ex verbis, quibus lex vitur, deduci potest, quantum vim lex habeat. Porro in iure Canonico quedam verba sunt communia, quæ obligationem grauem non continent, cuiusmodi verba sunt, Decerno, Statuo, Innouo, Ordino. Alia item sunt, quæ absolutè, & simpliciter, nisi aliquid aliud addatur, grauem obligationem minimè significant, vt Volumus, Intendimus, Mandamus. At verbum Precipio, Iubeo, Impero, Edico, ex communi omnium sententia, grauem obligationem continent: tale etiam est verbum Prohibeo, Inhibeo, Interdico, Veto: quamuis Caietanus de ijs etiam verbis dubitet & Nauar. in man. cap. 23. num. 50. doceat, nullum esse latinum verbum, quo significetur, si solum in lege ponatur, violatorem legis humanæ lethaliter peccare. At probabilius est grauem, vt diximus, obligationem hisce verbis significari: id enim colligi videtur ex Clementina Exini. de verborum significatione. Verbum, Debet, & Teneretur, Obligetur, Caietanus, & Nauar. aiunt significare obligationem legis, cuius violatio sit lethalis, vel venialis culpa. Verum alij sentiunt his verbis obligationem contineri: verbum, Debet, in legibus grauem obligationem significare testantur: Sylu. in l. 3. c. de pigno. & in l. sepè ff. de offic. prefidis, quamquam aliquando consilium, non præceptum designat. Item hæc verba: In virtute sanctæ obedientiæ, quibus verbis ius Canonicum, & Religiosorum ordinem præfecti vt solent, grauem obligationem inducunt. Hæc item verba: Vi, aut virtute præstiti iurifurandi, aut voti facti, significant obligationem, cuius violatio sit lethalis. Eandem vim habent hæc verba: strictè Mandamus, Iniungimus, Ordinamus, Decernimus. Tertio, ex pœnis lege constitutis perspicitur grauis nec ne sit obligatio: Vt si in iure Canonico excommunicationis sententia lata, vel ferenda, & comminatoria, aut pœna depositionis, degradationis, Interdicti, infamiæ, maledictionis æternæ, vel indignationis omnipotentis Dei, statuatur. At suspensionis pœna aliquando ob venialem culpam imponitur teste Caie. in sum. suspensio. immò quando fertur interdicti sententia in vniuersitatem, Communitatem, siue Collegium, afficit etiam absentes, qui nihil peccauerunt, & præsentis pariter infantes: vt docent Ioannes Andr. & Calderinus, quos citat, & sequitur Sylu. interdictum 2. nu. 13, & Rosell. interdictum 1. nu. 6. ad finem, & colligitur ex cap. si sententia, de semen. excom. in 6. vers. cum vero. Irregularitas cum ob delictum constituitur, non nisi ex lethali peccato contrahitur: Nisi ex homicidio fiat quis irregularis,

eò quòd det operâ rei veritæ, & interdictæ: nam tunc quamuis homicidium casu sequatur ob culpam nostram leuem, vel leuissimam, multorum est opinio, irregularitatem contrahi, Syl. homicidium 2. nu. 2. & q. 23. Angel. irregularitas 1. nu. 3. & 20. Tabien. irregularitas 1. nu. 5. Abb. cap. questum, de penit. & remis. Cai. 2. 2. q. 64. a. 8. & hoc fortassis idè est, vt videtur colligi ex cap. suscepimus. c. de cetero. cap. 1. nos. de homicidio, quia contrahitur ob defectum lenitatis. In iure autem Ciuili pœna capitis, seruitutis, aut perpetui carceris, aut publicationis bonorum, aut amissionis publici ministerij, & muneris, aut infamiæ, vel amputationis membri grauem denotat obligationem.

Sextò quæritur, An lex humana habeat potestatem alligandi conscientiam cù periculo mortis? Duæ sunt opiniones: Prima ait legibus humanis obstringi conscientiam etiam cum vite discrimine. Adria. 4. de clauib. q. 4. f. o. tiana exceptio. Caie. 1. 2. q. 96. art. 4. ita sentierunt: cuius quoque sententiæ videntur esse Canonici iuris interpretes in ca. sacris, De ijs, quæ vi metusue causa sunt, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij. Eo argumento ducuntur, quod sumitur ex cap. sacris, vbi dicitur, non excusari à peccato eum, qui excommunicato sese adiungit quo cuncte metu: excusari tamen, si per vim eo vitur in vite officij. Et subiungitur ratio: quia ob nulli, inquit, metum est lethale peccatum committendum. Quasi dicat, Princeps, vel Respublica potest aliquid iubere etiam cum mortis periculo faciendum. Secunda opinio docet, legem humanam posse quidem conscientiam ligare etiam cum mortis periculo, nõquam tamen ita seuerè obligationem inducere. Sic Gab. Mai. Almai. Sor. Angel. Syl. Rosell. Nauar. supra citati lib. 1. cap. 11. questio. 1. Vera opinio sit probabilior, & verior, primo libro docui. cap. 11. questio. 1. vbi de hac tota controuersia sumus disputauimus.

Septimò quæritur, An Monachus Carthusiensis possit, & debeat vesci carnibus, vt euitet mortis periculum, quod alioqui citra dubitationem incurreret? Hæc quæstione tractauit Gerl. in tract. de abstinent. Carthuf. Mai. 4. d. 38. q. 24. Mart. in quest. de abstinent. Victo. in relect. de temperan. n. 8. attingit Medi. in tract. de ieiun. quest. 13. in 4. argumen. Ioannes Andreas in cap. consilium de obseruatione ieiuniorum. Antonius Butrius, Petrus Ancharanus, & Cardinalis in eodem cap. consilium. Occasione proposita quæstionis, Gerl. & alij quidam Theologi duo in dubium vocarunt. Primum, An liceat constitutionem edere, qua cupiam carniū vsu in vniuersum interdicatur, qualis fertur esse Carthusiensis instituti Regula. Secundum, An Monachis carniū vsu in vniuersum lege, & constitutione interdicto, liceat eas edere, certo mortis periculo imminente? Quorundam fuit opinio non posse de ea re legem generatim, & vniuersè constitui, & ea lata nihilominus iure naturali singulos compelli ad vescendum carniibus, si id ad vitam tuendam remedium necessarium iudicetur. Vtrumque probant: quia lex humana ferri nequit contra id, quod naturale ius præcipit, at iure naturali vitam tueri, & conseruare debemus, ad quâ rem vsus carniū aliquando est necessarius. Deindè, si, cum vsus carniū remedium est ad vi-

tam tuendam necessariū, Titius id negligeret, aut respueret, seipsum videretur occidere. Cōtra alij censent, & posse lege humana in viuensū carniū vsum vetari: & ea lege constituta, licere cuique, etiam cum probabili vitæ discrimine à carnibus abstinere. Eo tempore, quo Ioannes Andreas vivebat, quidam statutum Carthusiensium penitus improbant, vt iuri naturali contrarium: quam sententiam, inquit idem Andreas, quidam medicus, & philosophus insignis, vt falsam, temerariam, & hæresim sapientem, edito opusculo confutauit. Medicum, & Philosophum nominat Arnaldum Villanouanum. Sed sciendum est Arnaldum Villanouanum medicum tunc temporis, vt quorundam aliorum librorum auctorem, in quibus hæreses iam ante damnatæ continebantur, duorum iudicium sententia condemnatum fuisse in Cathalonica Aragoniæ provincia teste Eymérico in Directo. Inquisit. p. 2. q. 11. & q. 28. à quo acceperunt Bernardus Luxemburgus in Catalog. hæret. lib. 2. verbo. Arnaldus, & Præcol. de viuis, & seculi heresi. lib. 1. cap. 69.

In hac controuersia primo animaduertendum est, legem iustam eam non esse, quæ expressim prohiberet vesci carnibus, eo etiam tempore, & reum euentu, quo eiusmodi cibus esset remedium ad vitam tuendam necessariū: nam eiusmodi lex aperte cum naturali iure pugnaret. Deinde, fas esse legem statueri, qua vniuersè certo personarum generi vsu carniū interdicitur: & talis est Carthusiensium Monachorum regula: ea enim generatim tantum non speciatim carniū vsum vetat, ac tollit. Hoc autem posse iusta conscientia per legem constitui, ratio ipsa videtur ostendere, quoniam propter corporis macerationem, castigatio nemque sensuum: ad vitæ itidem ante malè actæ penitentiam salutarem agendam, & propter libidinis illecebras reprimendas, denique propter virtutum religiosarum exercitationem, licet Religiosis constitutionem, siue legem præscribere, qua carniū vsum in totum abdicetur: hoc enim non est vitæ tuendæ curam abijcere, sed virtutis, & vitæ spiritualis profectum curare. Sic enim plerique religiosè, & sanctè à vino, & alijs suauioribus, & à quocunque meliori vitæ vsu etiam morbo laborantes, ac infirma, & incommoda valetudine afflicti abstinerunt, & abstinent in perpetuum, vt in virtutis studium incumbant. Item iure, & tuta conscientia multi durius vitæ genus sectantur, & retinent, vt religiosè viuant. Obijcies contra, perindè esse, si tibi subito vitam adimas, aut paulatim diminuas. Respondeo: Quando quis hæc, & alia similia eo animo faceret, vt se paulatim vita priuaret, malè proculdubio factitaret: sibi enim mortem conscisceret. Item, si eo etiam casu hæc susciperet, quo certò, & euidenter constaret, paululum aliquando relaxari animum debere, vt vitam conferuet, benè ageret: malè itidem faceret, si ob nullum bonum finem sibi propositum hæc, & alia similia sustineret. At verò nihil mali est, si hæc quispiam faciat ob virtutis officium obeundum: tunc enim non directò, & proximè sibi vitam ex toto, vel ex parte adimit, sed se in virtutum studio, & cursu exercet. Tertio, dubitandum non est, quin iusta sit, & rationi quoque consentanea Monachorum

Carthusiensium Regula, qua in eo religiosæ vitæ instituto edendarum carniū vsus in totum est interdictus: id enim cum viuendi professione, & more suscepto maximè cōueniens est, præsertim cum non pauca mirabilia diuinitus effecta referantur, quibus talis Regula comprobatur.

His prænotatis, dicendum mihi videtur, cuiusque Monacho Carthusiensi licet carnibus abstinere etiam cum probabili vitæ discrimine, quotiescunq; id fecerit ob alicuius virtutis officium tuendum, retinendum, aut iam ante intermissum reuocandum: videlicet ad evitandum scandalū, & offensionem aliorum, ad conseruandam religiosæ disciplinæ consuetudinem, institutum, & Regulā, ne relaxatione paulatim languescat, decadat, ac pereat. Solet enim vitæ religiosæ (quæ humana fragilitas est) disciplina, sensim minui, & enervari, & sepe instituti, & Regulæ relaxatio ad casus etiam iure vetitos extenditur, & trahitur. Cuiq; item licet ob virtutis officium permittere, vt sibi ad vitæ vsus necessaria subtrahantur. Præterea, iuxta cōmunem Theologorum sententiam, licet singulis vitam periculo exponere pro amico tuendo, item fas est cuiq; tabulam in naufragio relinquere, vt patris sui, vel Principis, vel egregij viri vitam conseruet, vt Sotus docet. Victoriam sequutus. lib. 5. de iust. & iure q. 1. art. 8. ad 1. si nondum filius tabulam cœperit, cum posset eam commodè capere, licet & nobis manere in carceribus cū probabili vitæ discrimine, vt amicos tueamur: ergò licet etiam nobis à carnibus abstinere ob multa virtutum officia.

Si verò nullū sit huiusmodi virtutis opus, mihi videtur, Carthusiensem Monachum adstringis ita vt iure ipso naturali compellatur ad vescendum carniū imminente certo, & euidenti, aut etiam probabili vitæ periculo. Vt si solus sit in deserta solitudine, nec quid aliud ad edendum habeat præter carnes, & fame laboret, ac pereat, debet tunc carnes edere, ne intereat, nam in similibus alijs casibus id quoque dicimus. Exemplum sit: Præceptum mihi est, ne domo exeam; Si verò non exiero, domus incendio absumatur, debeo egredi, ne incēdar, ac peream. Item, si alius incurrat periculum incidendi in foueam, in quam lapsus interibit, nec adsit alius, qui illum possit ab eo periculo liberare, nisi ego: charitatis lege compellor ad eum eripiendum, etiam si mihi sit domo exeundum. Postremò, votum, & iusiurandum factum, aut præstitum interpretatur obligationem non parere, cum certum, & euidēs, aut sanè probabile vitæ periculum imminet: ergò lex humana vi, & potestate caret, quando impendet vitæ discrimen, nec est vllum virtutis officium, ob quod obseruari possit, ac debeat. Victoria quem sequitur Ledesma. 4. p. 2. q. 17. ar. 6. dub. 5. docet etiam in hoc casu Carthusiensem monachum tuta conscientia posse carnibus abstinere: vt legem seruet.

Cap. VII.

De potestate legis humane pœnam in reos constituentis,

Primo queritur, An lex pœnam irrogans, ita alij per in foro conscientie reos, vt pœnam ipsam

ipsam ante condemnationem criminis debeant sustinere; hoc est, an ipse reus legis poenam à seipso repetere, & sumere, siue an ipse per se tacita conscientia iure iure cogatur. Alphonsus Castrensis, vel propter hanc unam quaestionem edidit duos libros, De lege poenali. Hanc item controuersiam tractarunt Sotus libro primo de Iustitia, & Iure q. 6. art. 6. Cordubensis in suis quaestionibus lib. 1. q. 36. Couarruias de Matrimonio p. 2. cap. 6. §. 8. nu. 10. Tyraquel loco infra citando.

De hoc sunt duæ opiniones. **Prima** dicit, quodcumque lex continet poenam ipso facto, vel ipso iure latam; ita obligationem inducit, ut eam poenam reus persolvere cogatur in foro conscientiae, etiam ante ullam criminis declarationem, & condemnationem: ita, ut criminofus statim in poenam ipsam incurrat; at verò quando lex poenam non latam ipso facto, vel ipso iure, sed duntaxat continet inferendam post criminis condemnationem, reus in foro conscientiae ante Iudicis sententiam eam poenam non contrahit; ita ut si sibi ipse eam infligere nullo iure compellatur, nec ipsam solvere debeat. **Quam** opinionem multis argumentis tueri, & probare nititur Alphonsus Castrensis lib. 2. de lege poenae, c. 8. & 9. vbi citat Abbatem, & alios, sic etiam Tyraquel in l. si vnquam, c. de reuoc. dona. nu. 265. vbi producit Abbatem, Felinum, & alios. Reuera ante eos idem sentit Abb. in cap. Dilecti. de arbit. & Felinus cap. 1. de constitut. & quidam alij. **Secunda** opinio docet, non omnem legem etiam si ipso facto, vel ipso iure poenam constituat non obtemperantibus, gignere obligationem, qua debeat reus luere, & solvere poenam in foro conscientiae, ante Iudicis sententiam. **Hanc** opinionem esse communem inter omnes Canonicos, & ciuilibus iuris interpretes, & Theologos ait Syluester, & pro ea citat Ioannem Andream, Archidiaconum, Imolam, Alexandrum, & alios. Syluest. assassinus q. 5. Tabien. Armilla, assassinus. Angel. p. 1. n. 3. Sic Ioan. Andr. Gemin. Anchara. & Franch. in c. pro humani. de homicid. in 6. Caietan. 2. 2. quest. 62. art. 3. Contra, de contra. tract. 1. q. 7. 2. conclusione. **Communem** esse affirmat quoque Felinus, Sotus, Couarruias, Cordubensis: quare ea quoque opinio, quia communi consensu recepta, **michi** verior videtur, indeque probabilior etiam apparet, quòd nullo iure probatur, omnem poenam ipso iure latam contrahi, nec in vniuersum eum, qui legi non pareat, poenam subire debere in foro conscientiae, ante delicti condemnationem, vel saltem declarationem, nisi id fuerit lege imperatum expressè, vel tacitè; quod quomodo accidat, dicemus inferius: & multo minus cogi reum poenam legis statim persolvere secundum conscientiam, antequam fuerit criminis condemnatus, vel saltem antequam iudicis sententia declararetur, eum contra legem peccasse. **Et sciendum** est crimina quaedam esse, ob quae iure ciuili, vel canonico bona criminofis addita sunt fisco; **primum** est haeresis, c. cum secundum leges. de haereti. in 6. **Secundum** est crim. c. cum quis contrahit nuptias incestas eodem cap. cum secundum leges: **Tertium** est crimen læsæ maiestatis, cum quis hostili animo aduersus rempublicam, vel principem est animatus, l. vii. ff. ad legem Iuliam. maiesta. **Quartum** est, cum quis transtulerit prohibitas species, seu mer-

ces, vt is, qui desert ad Saracenos ferrum, armamenta, & qui rerum vectarum professionem omittit, cap. ita quorundam, de Iude. & l. vlti. ff. de vctiga. §. liuus. **Quintum** est, cum quis Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit infectatus, vel percussus, vel coeperit, aut id fieri mandauerit, vel iuerit facientem, vel ratum factum habuerit, vel consilium dederit, aut facientem defenderit, vel receperit scienter. c. felicit. de penis. in 6.

Verum contra hæc obijcit non pauca Alphonsus Castrensis. **Primo**: quia poena excommunicationis, suspensionis, Interdicti, & Irregularitatis, in foro conscientiae contrahitur statim atque commissum est crimen contra legem, quæ ipso facto, vel ipso iure hæc poenas irrogat. **Respondeo**, non eandem, sed longè diuersam esse rationem in his poenis. Nam per has poenas priuata Ecclesia reos suis bonis, non bonis ipsorum, nimirum suis suffragijs, beneficijs, & fructibus, futurum ciuium consortio, suis item sacramentis. Aliud verò est, quando lex poenam constituit, per quam nocentes suarum rerum dominio priuantur; de his enim legibus loquimur in presentia, quæ tanquam poenam bonorum publicationem nocentibus irrogat: & dicimus earum violatores non debere sua bona dimittere, & reddere Fisco ante Iudicis sententiam, quoniam id facere, nullo iure coguntur. **Secundo** obijcit Castrensis, inferi, vt nullum sit discrimen inter leges, quæ poenam continent ipso facto, vel ipso iure latam: & eas, quæ poenam decernunt Iudicis sententia non obtemperantibus inferendam. **Respondeo**, magnam esse differentiam: nam iuxta leges, quæ poenam continent ipso iure latam, Iudex sententiam pronunciat, qua crimen contra legem esse factum declarat; & proinde reum poenam legis contraxisse: at verò iuxta eas, quæ poenam statuunt sententia iudicis inferendam, non solum sententia Iudicis fertur, vt crimen declaratur, sed etiam vt reus condemnatur ad poenam legis persoluendam. **Præterea**, iuxta illas leges auctoritate Iudicis declarato crimine, retrahitur sententia, & bona nocentis, siue criminofis sibi vendicat fisco à die commissi criminis: ita vt ab ea die bona eius apprehendantur, etiam si alienata in alios transferunt: At verò iuxta has leges sententia fertur, nec tamen à die sceleris admissi retro agitur, sed ab eo tempore vim suam incipit habere, quo est à Iudice pronunciata. **Tertio** obijcit Alphonsus id, quod habetur in cap. cum secundum, de Haereticis in Sexto: ibi enim decernitur, vt Haereticus, & rei læsæ maiestatis, & ij, qui contrahunt nuptias incestas à die admissi criminis sint suis bonis priuati, & eo ipso eiusmodi bona sint fisco addita. **Respondeo**, ex eo capite solum inferri, eos, quorum bona sunt ipso iure in reipublice potestatem redacta, & ad Fiscum principis pertinentia, propter crimen contra legem admissum, esse effectos inhabiles à die commissi delicti ad bona sua alienanda; non tamen debere in foro conscientiae ante Iudicis sententiam ea statim fisco tradere. **Quod** si obijcias, à die patrati criminis ea bona esse iam fisco principis addita, ergò transferunt in fisco tanquam dominium. **Respondeo**, parum referre, transferint illa bona in dominium fisci an non: qua de re quaestione proxi-

mè fequenti dicitur: ſolum negamus reum lege compelli ad ea bona reddenda fiſco in foro conſcientiæ, ante criminis condemnationem, ſeu potius declarationem. Fatemur quidem eſſe iam reipublicæ poteſtati ſubiecta, & ad fiſcum principis pertinere à die facinoris edicti, ſed hoc ſolū pacto, vt fiſcus publicus ius habeat ea capiendi poſt condemnationem criminis, vbiſcumque ea deprehenderit à die commiſſi delicti.

Quartò arguit plurimas eſſe leges conſtituentes tanquam pœnam, vt in foro conſcientiæ hoc vel illud reſtituere debeant, qui contra fecerint: multas item eſſe Eccleſiæ leges, quæ priuant ipſo factò, vel ipſo iure reos Beneficijs, aut Beneficiorum fructibus, etiam in ipſo foro conſcientiæ ante Iudicis ſententiam. **Reſpondemus**, nequaquam negare nos, poſſe leges aliquas Canonicas, vel Ciuiles conſtitui interponentes pœnam ipſo factò, vel iure in foro conſcientiæ perſoluendam, diſtiterit tamẽ eas omnes leges, quæ ipſo iure, vel factò bonorum publicationem continent, tales eſſe, vt adigant reos ad ſua bona reddenda fiſco in foro conſcientiæ ante Iudicis ſententiam. **Fatetur** item, ſi lex aliqua ita pœnam conſtituat, vt verbis exprimat, debere fontes in foro conſcientiæ, vel ante criminis declarationem hoc; aut illud facere, ſoluere, tradere, reſtituere, eam pœnam ſtatim eſſe in foro conſcientiæ luendam: niſi tamen lex hoc explicet, negamus reum in foro conſcientiæ lege compelli ad pœnam ſoluendam ante Iudicis ſententiã. **Quintò**, opponit Caſtrenſis, nullam eſſe repugnantiam, ſi quis ſit reus, & nihilominus ipſe de ſe pœnam ſumat: nam auctoritate Magiſtratus, & Iudicis poteſt reus condemnari, vt per ſe ipſe pœnam perſoluat, ſuſtineat, & in ſe ipſe animaduertat: ergò nihil eſt abſurdi, ſi lex nocentibus pœnam irroget, quam in foro conſcientiæ ſoluere debeant. **Reſpondeo**, non eſſe ex rei quidem naturã repugnantiam, ſi idem ipſe, qui reus eſt, pœnam perſoluat, & à ſe exigat, ac ſumat, vt idem ſit reus, & vindex; negamus tamen voluiſſe leges ad hoc nocentes adigere, vt ipſi per ſe pœnas in foro conſcientiæ luant, atque ſuſtineant, antequam Iudicis ſententia, vt criminofii declarentur. Ac licet poſſint leges ad id faciendum fontes adſtringere, haud tamen adſtringunt, niſi cum id verbis expreſſerint. **At dubia quaeritio** eſt, an cum quis ob crimẽ infamis eſt ipſo iure, neceſſaria ſit criminis declaratio, vt repellatur ab officijs, dignitatibus, ordinibus conſequendis, à teſtimonio in iudicio reddendo in cauiſa criminali, ab accuſando, à poſtulando, à quibus omnibus leges, & iura infames prohibet. **Reſpondeo**, diſtinguendum hic eſſe: nam ad repellendum, & impediendum infamem, ne ea bona conſequatur, ſufficit, vel criminis declaratio, vel propria confeſſio ipſius infamis in iudicio, vel criminis euidentia, vt docere videntur Archidiaconus, & Ancharanus in *cap. Felices, de penis in 6.* ſed ad amittendum & deponendum officium publicum, dignitatem, beneficium Eccleſiaſticum, quod ante habebat, neceſſaria eſt criminis declaratio, vel propria cofeſſio in iudicio, nec ſufficit delicti euidentia: quia pœnã, & odia reſtringuntur.

Secundò quaeritur, An ij, quos ipſo iure, vel fa-

cto ob delictum lex humana bonorum ſuorum dominio priuat, eo ipſo in foro conſcientiæ ante ſententiam Iudicis priuati ſint dominio, & proprietate bonorum? Duæ ſunt ſententiæ, vna vult eos eſſe priuatos: quæ ſententia communi Canonici, & ciuilibus iuris interpretum, & Theologorum conſenſu recepta eſt. Sic enim ſentunt Ioannes Andreas, Dominicus, Petrus, Ancharanus, Philippus Francus, & ceteri in *cap. Cum ſecundum leges, de Hæreticis in Sexto*. Ita etiam inter Theologos *Conr. de contra. tract. 1. queſt. 7. conſuſ. 2.* Cai. 2. 2. q. 62. art. 3. *Medin. de reb. reſtitu. q. 6. ſ. poſt rerum dominium.* Caſtren. *lib. 2. de lege pœna. cap. 10. c. 11. & alij. Quod probant*, quia plane in vtroque iure, Ciuili, & Canonico ſtatuitur, eſſe aliqua crimina, ob quæ criminofii ipſo iure amittunt ſuorum bonorum dominium, vt habetur in *cap. Cum ſecundum leges, de Hæreticis*. *Secunda opinio* tradit, eos non eſſe ſuorum bonorum dominio priuatos: quam ſententiam tuetur *Viſto. in reſeſt. de indiſp. par. 1. nu. 14.* *Sot. loco citato.* *Simanc. tit. 9. citato, nu. 228.* *Archidia. in ca. cum ſecundum leges, de Hæreticis in 6. & quidam alij.* Qui eo vnico argumento nituntur, eò quòd pœna legis in foro conſcientiæ ante ſententiam Iudicis nunquam contrahitur, niſi quando id lege ipſa fuerit expreſſum. **Deindẽ**, ſi dominio, vel proprietate ſuorum bonorum carerent, ea retinere tuta conſcientia non poſſent, cum res aliena ſit omnino reſtituenda. **Accedit** etiam, quòd eorum bonorum proprietas, & dominium eſſet penes fiſcum, cui ea ob crimen deferuntur; & proindẽ compellerentur tacita conſcientia ad ea reddenda fiſco ante vllam criminis condemnationem. **Adde** his, quod legitur in *l. quaeritum eſt. ff. qui, & à quibus manumilli; queſitum eſt an is; qui maiſtatis crimine reus eſt factus, manumittere poſſit, quoniam ante damnationem dominus eſt* & in *l. ex iudiciorum. ff. de accuſa. dicitur. Ex quo quis maiſtatis crimen contraxit, nihil ex bonis ſuis alienare, aut manumittere eum poſſe; vbi lex dicit ex bonis ſuis.* Ergò ante condemnationem criminis dominus eſt bonorum ſuorum, quamuis lex impediatur, quominus ea alienet.

Ad argumenta verò propoſita reſpondemus: **Ad primum** negantes nullam pœnam legis ipſo iure contrahi in foro conſcientiæ ante condemnationem criminis: oftendimus enim inferius, aliquas eſſe leges pœnam facientes, in quã criminofii, ipſo factò, incidunt ante Iudicis ſententiam. **Ad ſecundum** reſpondeo, non continuo ſequi, vt peccati rei, lege compellatur ad bona ſua tradenda, aut relinquenda fiſco, quamuis ipſi ſint ſuorum bonorum dominio priuati: quoniam vt quaeritio proximè ſequenti patebit, leges eos deiciunt à dominio bonorum; à poſſeſſione verò, & adminiſtratione nõ item. **Ad tertium** ſimiliter, fatemur penes fiſcum eſſe dominium bonorum à die commiſſi criminis; manere tamen penes ipſos reos poſſeſſionem, & adminiſtrationem: nam leges adimunt quidem dominium, ſed non poſſeſſionem.

Tertiò quaeritur, An ij, qui ipſo iure ob delictum, bonorum dominio priuantur, debeant in foro conſcientiæ reddere bona ſua fiſco ante criminis condemnationem? Tres ſunt opiniones, **prima** docet in vniuerſum ad id eos lege compelli. Hanc tuetur *Alphonſus Caſtren. lib. 2. de leg. pœna.*

cap. 10. & 11. ubi alios citat, & ante eum Abbas, & quidam alij tum Ciuilibus, tum Canonici iuris interpretes. Tiraq. in l. si unquam. c. de renoua. donation. num. 291. sequitur hanc opinionem, & pro ea citat Abbatem, Felinum, Bartholum, Corsettum, & alios. Secunda opinio respondet: aut crimen, inquit, est notorium ob euidentiam facti, aut secus. Si primum, nulla est opus declaratione criminis, ut reus adigatur ad sua bona fisco reddenda; sed is statim in foro conscientie lege ipsa compellitur ad ea fisco tradenda. Si secundum, necessaria est delicti declaratio auctoritate Iudicis. Tertia sententia docet, generaliter ante condemnationem criminis nullam esse obligationem in foro conscientie, qua reus cogatur reddere bona fisco: quæ opinio est communis inter Canonici, & Ciuilibus iuris interpretes, Theologos, & Summistas, & hæc est amplectenda. Sor. Cord. Couar. Syl. Tab. Armil. Ange. locis supra citatis hanc sententiam sequuntur. Primò, quia consuetudo est optima legum interpres: sed vsu receptum est, ut leges poenam huiusmodi statuentes in eum sensum accipiantur, ut ipso facto, nocentes dominio bonorum suorum priuentur; non tamen possessione, & administratione. Deinde, quia iuxta iuris regulam; Pœnæ, & odia sunt restringenda, ergo talis pœna legum, benignius, & mitius exponi debet: nimirum ipso iure, vel facto bona sint publicata, & addita fisco, eò quòd dominium, & proprietates eorum, nõ autem possessio à die commissi criminis ad fiscum pertineat.

Verum obijcit Castrensis, in ca. cum secundum leges, de Hæreticis. in 6. postquam enumerantur leges aliquæ Ciuiles, & Canonice, quæ ipso iure irrogant poenam publicationis bonorum, statim subiungitur: *Fiscus tamen non capiat, aut apprehendat bona, quousque sententia Iudicis in reum sit promulgata*, quibus verbis non conceditur, aut permittitur reo possessio bonorum; sed prohibetur fisco publicus, ea sibi capere, aut vendicare, antequam condemnatio criminis proferatur. Vtraque enim possunt inter se constare; & quòd fiscus nequeat capere bona ante sententiam, & quòd reus debeat tacita conscientia ante criminis condemnationem ea fisco reddere: Respondet, more esse receptum, ut prædicta eius capituli verba in eum sensum accipiantur, ut nec fiscus bona sibi capiat, & vendicat, ante sententiam Iudicis, nec reus bona sua reddat ante criminis condemnationem. Secundò obijcitur, quod in cap. Euidentiam, de Accusationibus dicitur: *Euidentia criminis parati non indiget clamore accusatoris*: Ergò cum ob euidentiam facti notorium est crimen, nõ oportet condemnationem criminis pronunciare. Respondet, iuxta Glossam in eo capite: Quando crimen est notorium, euidentiam facti haberi vice accusatoris, nimirum, ut Iudex fungens munere, & officio suo, sine vilo alio accusatore, iure possit in iudicio procedere vsque ad sententiam ferendam. Euidentia igitur facti, est vice, & loco accusatoris, non item sententia. Sufficit tamen, si reus suum crimen fuerit in iudicio confessus. Medi. de reb. restit. q. 1. §. post verum dominium; tunc ius est fisco capiendi bona. Sed quæstio est dubia, an saltem quando leges, siue statuta ob crimen priuant aliquem nõ bonis, quæ ante in patrimonio suo habebat, sed

ijs tantum bonis, quæ ab ipso principe, vel publica habet, debeat criminofus tacita conscientia ea bona dimittere, & restituere ante vllam criminis declarationem: Verbi gratia, in academijs, religioforum ordinibus, collegijs, ciuitatibus solent esse statuta, ut qui hoc, vel illud delictum admiserit, careat iure eligendi, suffragium ferendi, item eligi nequeat; item officium, dignitatem, administrationem, beneficium amittat, sit priuatus muneribus, quæ acceperit. Sotus sentit reum ante declarationem delicti restituere, aut dimittere hæc etiam bona non debere: quoniam licet statuta priuata sint, ea interpretari debemus iuxta iuris communis regulas. Item, fundatorum, & legislatorum mentem probabiliter credere possumus, cum iure communi congruere, ita ut voluerint ius commune in hac parte locum habere. Aliorum tamen est opinio reum ante declarationem criminis tacita conscientia hæc bona dimittere, & restituere debere: quia sunt data ea conditione, ne hoc aut illud faciamus. Ergo sunt leges conuentionales, non penales: item, quia potius impediunt, ne acquiramus, quàm priuant, & spoliant acquisitis, certè vtraque sententia est probabilis: prima est mitior, & iuri communi magis consentanea: Secunda videtur probabilis.

Quartò quæritur, An sint aliqua pœnæ legibus constituta, quæ ipso facto, & iure contrahantur in foro conscientie ante vllam criminis condemnationem? Sor. lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6. videtur contendere nullas esse eiusmodi pœnas, nisi id leges expresserint. Fatetur enim leges, quæ pœnas irrogant his verbis: Qui hoc, aut illud fecerit, ipso iure vel facto in foro conscientie, vel ante vllam sententiam Iudicis, vel criminis condemnationem, hoc, vel illud facere, aut pati, & sustinere debeat, habere vim adigendi criminofos ad pœnas ipsas in foro conscientie sustinendas. Concedit item leges, quæ sunt conuentiones, & pacta, compellere in foro conscientie eos, qui contra faciunt, ad poenam quam irrogant perfoluendâ. His exceptis, ait Sotus, in vniuersum nulla lege compelli nocentes, ad poenam in foro conscientie perferendam. Alphonsus Castr. lib. 2. de lege pœna. ca. 8. §. 9. contra, ex multis legibus conatur ostendere, pœnam legis aliquando deberi in foro conscientie ante condemnationem criminis. Cai. 2. 2. q. 62. a. 3. legis pœnas distinguit, alias dicens in agendo, alias in patiendo consistere; & eas quidem, quæ in patiendo versantur, contrahi in foro conscientie ante condemnationem criminis, tales sunt ex pœnæ, quæ reum cõmodo aliquo, aut iure, emolumento, aut bono priuant, cuiusmodi sunt excommunicatio, suspensio, Interdictum, Irregularitas, infamia, publicatio bonorum, amissio beneficii, vel fructuum, eius inhabilitas ad aliquid obtinendum, vel faciendum: nam, eo ipso, irritum, & inane cõsetur, si quid obtinuerit, vel si quid fecerit: hæc enim pœna non spoliatur reum iure, quod habet, sed impedit, ne ius adquirat. Ess verò, quæ in agendo sunt, pœnas nequaquam debere reos in foro conscientie ante criminis condemnationem luere: cuius generis sunt, quæ sequuntur: pœna capitis, amputatio mēbri, carcer, exilium, multa pecuniaria, condemnatio ad tri-

remes, ad metalla, ad bestias, & id genus similes pœnæ: nam ad illas primas, inquit, non requiritur actio, vt executioni mandentur: ad has vltimas verò semper est aliqua actio necessaria, vt sumum fortiantur effectum. Neg; verò in summa, verbo pœna statutorum, sibi Caietanus aduertitur, vt quidam existimant, vbi docet pœnam lege statutam, licet non debeat aliquis in foro conscientie subire, nisi postquam de crimine est à Iudice condemnatus, hoc tamen, inquit, fallit in duobus casibus, in censuris scilicet, & testamentarijs pœnis. Hoc ibi Caietanus, quod minimè pugnat cum primo: quoniam, non negat his verbis pœnam legis, quæ nos aliquo iure, vel commodo, & emolumento priuat, cõtrahi in foro conscientie ante condemnationem criminis; Sed solum docet neminem lege compelli in foro conscientie ad perferendam pœnam, hoc est, ad soluendam, vel exigendam, & sumendam à seipso, quo verbo significat loqui se de pœna legis actionem requirente, vt executioni mandetur: quo etiam modo accipi debet, quod ait Glossa in c. Fraternalis de 12. q. 2. nunquam lege pœnali reos adigi ad pœnam in foro conscientie perfoluendam.

Quod igitur attinet ad propositam cõtrouersiam, de ea hæc mihi videtur dicenda. Primo, nequaquam esse dubitandum, aliquas pœnas in foro conscientie ipso iure, vel facto contrahi, quicquid Sotus dicat. Nam vt ceteras pœnas omittã, saltem ij, quorum ob crimè, ipso facto, bona publicantur, & fisco principis addiuntur, pœnam aliquam subeunt, quoniam à die sceleris commissi, si bona alienent, & distrahant, non ita rate, & firmæ sunt alienationes, vt rescindi nequeant, nã si postea eorum flagitium condemnentur, siue declaratur sententia Iudicis, omnes alienationes bonorum à die perpetrati facinoris factæ soluitur: quæ certe pœna est, eò quod alienationes ita fiunt, vt rescindi queant, & facinorosi ipsi quodammodo sunt inepti, & inhabiles, aut impediti ad bona sua distrahenda. Secundo, quando sunt leges, quæ secundum conscientiam ante vllam Iudicis sententiam ipso facto, commodo, vel iure, & actione, vel bono aliquo priuant, in foro conscientie iuxta probabilem sententiam contrahuntur huiusmodi pœnæ, quales sunt multæ leges Collegiorum, Academicarum, Religiosorum ordinum, Ciuitatum, populorum, quibus ob delictum aliqui priuantur suffragio actiuo, vel passiuo, vt vocat, ita vt nec eligere, nec eligi queant: Tales etiam esse solent constitutiones Principum, vel ciuitatũ, quibus Magistratus, Iudices, Notarij, tabelliones, & alij id genus publici ministri, ipso iure priuantur muneribus, si quæ acceperint à litigantibus. Multæ item leges Ecclesiasticæ, quibus Clerici ipso facto, ante criminis cõdemnationem spoliantur Beneficijs, ministerijs, officijs, honoribus, dignitatibus, aut suorum beneficiorum fructibus; ita vt beneficia ipso iure vacent, & tanquam vacantia impetrari, & conferri queant ante criminis cõdemnationem, vt suo loco dicam. Nec est, quod Sotus respondeat, omnes huiusmodi leges potius esse cõuentiones, quam constitutiones: non enim negari potest eas esse propriè, & simpliciter leges, cum sanciantur à Principe, vel ab eo, qui ius, & potestatem habet

condendi legem, & cum vim habeant compellendi conscientias ad id, quod imperant, exequendum. Non est item vlla ratio, cur dicat Sotus non esse propriè, & simpliciter pœnas, sed potius sententias, quibus aliqui inepti, & inhabiles reddantur ad aliquid faciendum, aut quibus tanquam obstaculis quibusdam impediuntur. Non enim dubitari potest, quin pœnæ sint, siquidem ob crimen constitutæ in foro conscientie perfoluuntur. Tertio, certum mihi esse videtur, multas esse leges, quæ reos ipso iure bonis quibusdã priuant, quam pœnam in foro conscientie contrahi puto: quales sunt, quibus ob crimen aliqui ipso iure redduntur infames, & proindè ad multa inepti, & inhabiles: tales etiam sunt, quibus alij, ipso iure, sua bona amittunt, hoc est, dominio, & proprietate priuantur, non è possessione deiciuntur, item, & eæ, quibus aliqui efficiuntur inhabiles ad aliquid in posterum accipiendum, acquirendum, retinendum, impetrandum, faciendum, testandum, contrahendum, & alienandum: nec non, & eæ, quibus ipso iure aliqui impediuntur, ne dominium eorũ bonorum sibi acquirant, quæ donantur eis, vel quæ deuoluuntur, deferuntur, vel transferuntur ad eos. Postremò, dubitari non potest, quin possint leges, & constitutiones sanciri, quibus aliquis in foro conscientie restituere cogatur, si quid acceperit: quoniam, eo ipso, leges constituisse videntur, vt is sit inhabilis ad acquirendum, quod est sibi donatum, aut retinendum, quod aliquo modo acquisiuit. Item, multam pecuniariã in foro conscientie soluendam potest constitutio imperare.

Quinto queritur, An fructus, siue extantes, siue consumpti bonorum, quæ ipso iure propter crimina fisco principis addicta sunt, ipsi fisco post declaratum crimen debeantur à die commissi delicti, an potius à die litis contestatæ. Dux opiniones iuriscultorum inuenio, vt referunt Couar. de matrim. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 6. 7. & Tiraq. in l. si vnquam. c. de reuocan. dona. ver. reuertitur, numer. 268. vna affirmat omnes fructus repeti, & capi à fisco, à die commissi criminis, & hanc sequuntur Paulus Castrensis, Salicetus, Alexander, Imolenfis, Iafon, & alij, quos citat, & sequitur Tiraquellus: hanc dicit esse communem Couarruias. Altera docet solum ad fiscum pertinere à die litis contestatæ, quam sequuti sunt ij, quos citant Couarruias, & Tiraquellus. Sed prima est verior.

Sextò queritur, An pœna in foro interiori debeat, & soluenda sit, quando lex pœnalis addiderit ad pœnam contrahendam nullam requiri sententiam, vt habetur in c. pro humano, de homici. in 6. Respondeo cum Archidiacono in c. pro humano citato, si lex solum addiderit, pœnam contrahi ante sententiam, eam non deberi, nisi post sententiam, qua declaratur commissum esse crimè: quoniam eiusmodi leges, & iura intelliguntur sic; nullam requiri sententiam, qua criminosis ad pœnam perferendam damnetur: hanc sententiam Archidiaconi communi consensu, ceteri receperunt, Ioan. Andr. Anchar. Gemina. Franchus in illo cap. pro humano citato. Syl. assisimus num. 5. & Emphyteusis q. 2. Ange. pœna. q. 3. Tabien. & Armil. assisimus, & citant etiam Alexandrũ Imolensem. Quid,

Iniquis, si lex poenalis dixerit, ad poenam contrahendam nullam requiri sententiam, qua declaratur crimen esse factum, *vi habetur in constitutione Pauli 2. ambrosio: de reb. Eccle. non alien. Syluester, Tabienfis, Armilla sentiunt, tunc poenam in foro interiori esse soluendam, ante declarationem commissi criminis, quoniam perinde est, ac si lex edixisset, vt criminofus poenam soluat in foro conscientiae. Sed Couarr. in ca. citato f. 8. nu. 10. propè finem cõtra Syluestrum, docet etiam tunc poenam non esse soluendam, antequam sententia Iudicis declaratum sit delictum. Sorus lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6. ad finem dubitat, an opinio Syluestri sit vera. Mihi certè verior videtur, quàm sententia Couarruicæ. At conuenit inter omnes, quando lex dixerit, poenam in foro conscientie statim deberi, eam esse soluendam ante declarationem criminis.*

Septimò queritur, An filij, quorum bona ob crimen sunt ipso iure publicata, & fisco addicta, alienent ea ante delicti condemnationem, culpa careant: & an item ratæ sint, & firmæ eiusmodi alienationes? *Respondeo, eos non peccare in alienandis suis bonis, quotiescunque alienant ea, ob aliquid comparandum ad vitæ vsus necessarium: nimirum, si id faciant ob alimenta sui, vel suorum conquirenda. Ita Sylu. hæresis. 1. q. 8. versic. vnde donatio. Angel. pena. q. 3. ex Archidia. Ioan. Andre. Abbate, Bartholo, & alijs. Præterea, si crimè ita est occultum, vt ad forum iudiciale deferri nequeat, non peccant in alienandis suis bonis, quoniam damno neminem afficiunt: non fiscum, qui in bona eorum nondum ius acquisiuit, cum ei non debeantur, nisi post sceleris condemnationem: non emptorem, cui bona sua vendiderunt, cum crimen nunquam possit in foro iudiciali damnari, nisi sententia Iudicis pronüciata: & cum facinus sit omnino occultum, cognosci, & conuinci in Iudicio non potest. Syl. Angel. locis citatis. Item, etiam si commissum esse delictum in Iudicio probari queat, non peccant huiusmodi rei, bona sua vendendo alteri, si eum nullo vnquam incommodo afficiendum curent, nempe si eo animo parati sint, vt emptoris omne damnû, quod fuerit perpeffus, alia æquali re compensent, si crimen fuerit in foro iudiciali damnatû, aut si emptorem moneant de periculo, cui sunt eorum bona exposita: quemadmodû si quis rem furtiuam, quam bona fide emerat, vendat alteri, & eum certiore faciat de rei venditæ vitio, & conditione, non peccat, eò quod ipsum non decipit. Sylu. & Angel. & alij locis citatis. Præterea, si tales facinorosi bona sua alienent, solum gratis, & liberaliter donâdo alteri, aut cum alijs bonis pretio, & æstimatione æqualibus permutâdo, in eo minimè delinquant: neque enim fisco damnium inferunt, siquidem rem æqualem sibi acquirunt: nec ei, cui donant, vel cuius cum bonis permutant: nam si postea criminis cõuicti, condemnatiq; fuerint, donatarius solus hæc bonis spoliabitur, quæ dono acceperat, aut rem suam, quâ cum alia commutauerat, sibi recuperabit. Sylu. & Angel. Adhæc, si huiusmodi alienationes, factæ sint cum onere, vel damno alicuius alterius, peccatum est in bonis alienandis, vt si vendant alteri, vel si dotis, aut nuptiarum causâ donent:*

& tunc non est peccatum iniustitiæ cõtra fiscum, qui ante criminis condemnationem ius in bonis nondum acquisierat, sed contra emptorem, vel alium, cui damni verisimile periculum imminet. Sylu. & Angel. & reliqui locis citatis.

Quòd ad secundum, quod querebatur, attinet; An scilicet valeant alienationes? *dicimus vtriusque iuris doctores communi consensu respondere, eas non valere, hoc est, nullius esse ponderis, & firmamenti, præsertim quando crimen est læsæ maiestatis, vel hæresis. Quod probant ex l. Quisquis, f. Emancipatio, & l. vltima. C. ad legem Iuliam maiestatis; in quibus decernitur: Si quis crimen læsæ maiestatis incurrit, omnia bona ei à die criminis admiffi publicari, hoc est in reipublicæ, vel principis potestatem redigi, & omnes alienationes bonorum, manumissiones seruorum, emancipationes filiorum rescindi debere. Dicendum itaque est, alienationes ante condemnationem criminis factas, nõ esse simpliciter ratas, & firmas, eò quod pendet semper ex conditione futura, scilicet, ex condemnatione delicti. Si crimen enim commissum esse probatum fuerit, dissoluntur omnes obligationes, si autem nunquam probetur, vim suam habent, & nunquam dirimuntur.*

Octauò queritur, Quænam bona, & commoda propter crimina publicentur? *Respondeo, ex communi sententia Canonici, & ciuilibus iuris interpretum, quam habet Simancas de Catholicis institutionibus tit. 9. propter crimen præsertim læsæ maiestatis, & pari ratione propter hæresim, à die commissi delicti publicari ipso iure omnia bona mobilia, immobilia, & se mouëtia; iura quoq; & actiones, quæ dicuntur bona incorporalia, Simancas tit. 9. nu. 7. Vnde serui, & ancilla, & animalia cum cæteris bonis fisco deferuntur. Siman. tit. 9. nu. 11. imò si aliqua ex contractu conditionali debeantur reis, ad fiscum quoque pertinent subiecta conditione; & ius ipsum cõditionis implendæ ad fiscum transit; si modò fiscus cõmodè conditioni parere possit. Siman. tit. 9. nu. 12. Quare si vxor criminosa sit, omnia eius bona dotalia, & paraphernalia, & donata, & accepta propter nuptias, quæ alicubi dicuntur arrhæ, & omnia lucra, quæ constante matrimonio, alicubi constitutionibus Principum, vel statutis populorum ad vxorem pertinent, publicantur. Siman. tit. 9. num. 12. item, si filius familias sit criminofus, publicatur peculium eius Castri esse, & quasi Castrens, & aduentitium: quia huiusmodi peculiorum proprietates, & dominiû est penes filium familias, non patrem: & proinde publicato peculio aduentitio, non amplius pater habet vsum fructum, quia statim vsus fructus proprietate consolidatus ad filium criminofum, & propterea ad fiscum spectat, eò quod maxima capitis diminutione ius patriæ potestatis soluitur, cui cõsequens est, vt vsus fructus amittatur, cû proprietate ad filium perueniat. Si pater sit criminofus, omnia eius bona publicantur, peculium quoque profectitum, quoniam eius proprietates est penes patrem; licet sit penes filium administratio. Ita quoq; publicatis bonis mariti, publicantur omnia, quorum dominiû, & proprietates est penes ipsum: hæc omnia Siman. tit. 9. num. 12.*

Ex his

Ex his perspicitur, quoniam bona penes reum criminis inuenta non publicentur; publicatis enim viri bonis, dos integra restituitur vxori, bona item paraphernalia, & cetera, quorum proprietates, & dominium est vxoris: cuiusmodi sunt accepta propter nuptias, & pars lucrorum constanti matrimonio acquisita, & dona accepta ab alijis, præterquam à viro, *Simanca. tit. 9. nu. 67. & sequenti.* Item patrefamilias criminoso deprehenso vsus fructus, quem habet in bonis filij aduertijs, non publicatur, quia cum filius sui iuris efficiatur, consequens est, vt vsus fructus ad eum cum proprietate pertineat. Publicatis bonis filij familias, non publicatur portio illa legitima, quæ ipsi post patris obitum debetur: nec publicatur item peculium profectitiu, quia eius proprietates pertinet ad patrem. Præterea generaliter publicatis facinorosi bonis, non publicantur bona futura, hoc est, quæ postea acquiruntur, sed tantum ea, quæ ipse reus criminis habet, cum delicti damnatur. Vnde iura conditionalia ex vltima voluntate pendencia, si conditio impleta fuerit post condemnationem criminis, ad fiscum non transeunt, ipsa quoque debita non publicantur. Item si quid alienum reperitur inter nocentis bona, ut potè depositum, commodatum, conductum, pignori datum, id omne domino restitui debet. Vnde creditoribus criminosis, qui ante crimen erant, debet fiscus satisfacere ex bonis publicatis: nam id bonorum cuiusque esse intelligitur, quod deducto ære alieno superest. **QVÆRES**, quid si Titius pecuniam mutuam dederit Caio criminoso occulto ante criminis condemnationem, an eiusmodi mutuum pertineat ad fiscum? *Respondeo*, si mutuum dederit ad eius inopiam subleuandam, non publicatur. Item si criminis reus pecuniam mutuam acceptam conuertit in rem aliquam, vt si horreum necessarium, vel quippiam simile edificauerit, si aliquid iam iam ruiturum refecerit, si oliueta penè absumpta renouauerit, si vites propagauerit, arbuta coluerit, seminaria fecerit, flumina cõgestis aggeribus auerterit, aut si in valetudinem suam vel familiae, aut in sanus suum, & suorum impenderit, tantumdem debet restituere. Idem iuris est, quando pecunia mutua accepta in res necessarias, aut vtiles versa fuerit, quamuis postea res ipsæ casu perierint. Exempli causa, si Titius reus frumentum mutuam accepit ad familiam alendam, & id in horreo positum perijt, tantumdem est restituendum. Similiter si ex pecunia mutua accepta seruus necessarium, aut equum emerit, & postea seruus decessit, vel equus interiit, tantumdem is, qui mutuum dedit, recuperare debet. **Deinde quæres**, quid si criminosis occultus ante condemnationem sceleris vendiderit aliquid, an fiscus post criminis condemnationem debeat emptori pretium restituere? *Respondeo*, ex communi sententia Ciuili, & Canonici iuris interpretum; pretium emptori non esse reddendum, quia res vendita est ea conditione, vt venditio rescindi posset à fisco. *Nec refert*, si bona fide emptor cum reo ipso contraxerit, quoniam reum vitium habentem emit, perinde ac is, qui bona fide rem furtiuam pretio comparauit. *Si tamè* pretium ab emptore solutum, vel aliud loco pretij esset in bonis ipsius nocentis, id restitui debet em-

ptori, vt docent Io. Andr. Archidi. Domi. Petrus, Ancharanus, Philippus in c. cum secundum leges, de Hæret. in Sexto. Idem iuris est, si nõ totum pretium, sed pars eius in bonis criminosis sit: ea sine dubio est emptori reddenda; nam quod iuris est de toto, est quoque de parte. *Si roges*; An quando à lege, vel canone poena constituta est in criminofum, vt ipso facto sua bona amittat, iure queat post obitum criminosis delictum in iudicio cognosci, & tractari, vt bona ipsius fiscus capiat, non heredes? *Respondeo*, posse, vt ait Glosa communi consensu recepta in l. 3. §. quod autem, ff. quod quisque iuris. Hanc esse communem sententiam testatur Couar. in epit. p. 2. c. 6. §. s. v. 6. vnde, c. accusatus, §. penul. de heret. in ca. 6. c. 2. de prescription. in 6. hæreticus potest post mortem condemnari, & bona eius, quæ ad hæredes deuenerant, possunt fisco addici. *Si rursus inquiras*, an bona criminosis possit iure prescriptionis hæres vsu capere contra fiscum? *Respondeo* posse, vt docet Couarruias loco citato, eõmunem sententiam sequutus. Vnde hæredes hæretici, si quadraginta annis possederint bona ipsius post mortem eius, ignorantes eum fuisse hæreticum, vsucapiunt ea bona, nec possunt à fisco vexari cap. 2. de prescript. §. si post mortem. Secus est, si sciuerint eum fuisse hæreticum, tunc enim hæredes nullo tempore vsucapiunt, vt habetur in eodem cap. Addit tamen Couarruias, bona alterius criminosis posse hæredem legitimo tempore vsucapere, etiam cum mala fide, hoc est, etiam si nouerit eum fuisse criminofum, sed de hoc alias dicam.

Cap. VIII.

Alia quæstiones ad eandem rem pertinentes diluuntur.

PRIMUM queritur, An peccet Titius, qui sciens, Caio reo læsæ maiestatis, vel Hæretico occulto, donatione, vel testamento relinquit aliquid ex suis bonis? *Respondeo*, nõ peccare, si bona fide per ignorantiam donauerit, vel reliquerit. Item, si aliquid donet ob egestatem Caij, nullum est peccatum; si tamen nulla sit Caij inopia, & certo sciat criminis Caium esse condemnandum tanquam criminofum, ipso iure bonis priuatum, peccatum est; si quidem donat ei, quem nouit esse criminofum, & sunt donata ad fiscum deuoluenda: huiusmodi enim criminosis, & sunt ipso iure suorum bonorum dominio priuati, & effecti inhabiles ad aliquid acquirendum. Quare Titius à die cõmissi criminis nullius rei sibi donata, vel testamento relicta dominium potest acquirere. Post criminis verò declarationem, id, quod testamento habet acceptum, pertinet in foro conscientie ad legitimos hæredes eius, qui ipsi legauit: quod verò donatione accepit, debet quoque, vt sit tuta conscientia, restituere ei, qui donauit, vel eius hæredibus. *Hæc autem intelliguntur*, quando is, qui donauit, vel testamento reliquit, bona fide id fecerit, criminis prorsus ignarus: nam si sciens criminoso donauerit, vel testamento legauerit, fisco deferuntur bona eo modo accepta. *Ratio vtriusque est*: quia si bona fide donata fuerint, vel relicta, cum donatarius, aut legatarius capax

eorum non sit, consequens est, vt eo ipso, redeant ad donantem, qui per ignorantiam donauit, vel reliquit; Si verò scienter data, relictaue fuerint, ij, qui donarunt, ob culpam, suis bonis donatis, vel testamento relictis merito spoliantur.

Secundò queritur, An quando quis ob crimen est ipso iure priuatus administratione publica, beneficio, munere, & officio, quo fungitur, valeant acta eius ante criminis declarationem, quando crimen eius ita populum lateat, vt communi errore populus teneatur, aut maior pars eius? **Respondedo:** Licet quidam dixerint non valere: **verius tamen est omnia vi publicæ administrationis, aut muneris, & communis erroris esse firma, & rata, donec crimen sententia iudicis declaretur, vel omnibus innotescat. Et proinde si sit Magistratus, valent sententiæ pronunciate: si Tabellio, vel Notarius, valent instrumenta confecta: Si procurator publicus, valent negotia ab eo gesta, Ita Syl. verbo Hæresis l. q. s. §. Tertia pœna, ad finem. Angel. Pœna. q. 3. & Gloss. in Authentica, de Tabellionibus vers. Documentis. Atq; id ratio ipsa persuadet: quoniam quamuis ob crimen, ipso iure amiserit dominium, vel quasi dominium, titulū, aut ius, quod habet, retinet tamen ante condemnationem, vel euidentiā criminis iuris ipsius administrationē, quæ in agendo cōsistit. Et in l. Barbarius, ff. de offi. Prætoris, rata cēsentur, quæ facta sunt ab eo, qui Prætor non erat: publicè tamen Prætor habebatur: nam omnia acta publica propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt communi errore bona fide ducti, vt firma, & rata habentur: tunc enim respública, Princeps, & Ecclesia ob communem plebis errorem iurisdictionem dare videtur, ne communis pax, & tranquillitas ciuium perturbetur. Secus est, quando crimen est per euidentiā facti, vel propriam nocentis confessionem in iudicio notorium. Secus etiam est in ijs, qui eius crimen, & pœnam nouerunt: & iuxta hoc intelligitur, quod constituit Gregorius 7. in ca. dudum. 2. de electio. & tradit Gloss. in eo cap. vers. decept. e. Secus etiam est in ijs, qui secundum leges, vel Canones intrusi dicuntur in beneficium, officium, dignitatem, vel administrationem, hoc est in ijs, qui sine vlla superioris auctoritate officium, vel beneficium habent, Abbas in c. nihil. de elect. Angel. Confessio. 4. nu. 12. Rosel. Confessio 3. n. 41. Syl. Confessor. 1. quæst. 19.**

Tertiò queritur, An si Clericus sit ob crimen ipso iure beneficio Ecclesiastico priuatus, possit tuta conscientia illud retinere ante condemnationem criminis; cum lex dicat ipso facto priuatus, vel ipso iure sit priuatus Beneficio. **Respondedo, eum posse, donec deliquisse in iudicio declaratum fuerit, nisi ipsa lex expresserit, vt ipso facto, vel iure debeat in foro conscientie beneficium deponere: vel nisi lex sic habeat; vt ipso facto, ante quamlibet criminis declarationem debeat beneficium dimittere. Sic Syluester, Angelus, Tabienfis, Armilla locis supra citatis. Et ratio id conuincit, quia quamuis Clericus, ipso facto, dominium, vel quasi dominium, hoc est, titulum beneficij perdiderit, non tamen administrationem eius, & possessionem. Ex quo deducitur, si eiusmodi Clericus sit parochus, & crimē eius occul-**

tum quoque sit, valere acta eius; ergo si poenitentium confessiones excipiat, ratae sunt, & firmæ, tum cōfessiones, tum absolutiones peccatorum. Si sit Canonicus, & suffragium ferat in ipso Canonico Collegio, valet eius suffragium ob communem populi, vel Collegij errorem. Idem iuris est, si quis ob delictum sit ipso iure priuatus Collegio, municipio, ciuitate, ante condemnationem criminis, in foro conscientie non cogitur Collegium relinquere, municipium, vel ciuitatem, donec sententia iudicis inde excludatur, & eiiciatur: **quoniam, licet sit ipso facto iure Collegij, vel municipij priuatus, non tamen è possessione deiicitur, non enim præcipit lex, aut canon, vt in se ipse animaduertat, & pœnam à se sumat. Si tamen queratur, an Clericus ob crimen aliquod, vel factum ipso iure priuatus beneficij fructus faciat suos? Quidam aiunt sibi tum fructus acquirere, eò quod possessio bonæ fidei sine vero titulo dat fructus possessori. Dicens tamen arbitrator, eum fructus non facere suos, vt alibi fufius disputabo: nam fructus beneficiorum sine titulo non acquiruntur, & sicut hoc locum habet, quum initio titulus nō acquiritur; ita etiam vim habet, cum ob crimen, vel ob factum titulus ad non titulum reducitur. Et quando Clericus, ipso iure, ob crimen, vel ob factum est beneficio priuatus, eius beneficia tanquam vacantia impetrari, & conferri alteri possunt ante criminis condemnationem; beneficiario, qui non amplius iure, sed facto tantum possidet, non vocato: quamuis possessio alteri dari nequeat, eo, qui facto possidet, non vocato, cap. licet Episcopus, de preb. in 6. **At verò sæpè fructus ipsos etiam iure conscientie debet restituere, quando ob factum aliquod, ipso iure, Clericus est beneficio priuatus, vt quando beneficiarius vxorem ducit, quando Episcopus creatur, quando parochus institutus intra annum ad sacerdotium non promouetur, quando beneficiarius religionis professionem emittit; quando aliud beneficium Ecclesiasticum obtinet, quod simul cum primo possideri iure non potest: in his casibus non solum fructus restituere debet; sed etiam beneficium ipsum deponere ante vllam iudicis sententiam, quoniam non priuatus ipso beneficio ob criminis pœnam, sed ob ipsum factum, & beneficium consequtus est ea tacita cōditione, ne aliquid illorum, quæ dixi, faceret: ergo non est opus iudicis sententia, vt dicam inferius.****

Quartò queritur, An post condemnationem sententia iudicis crimen, Reus statim debeat in foro conscientie sua bona fisco reddere, aut Beneficium, & administrationem publicam deponere? **Dux sunt opiniones, Prima docet eum ad id faciendum constitem in foro conscientie lege compelli. Sic Abbas, & Felinus, & quidam alij in cap. 1. de constitutionibus. Secunda verò sententia dicit in foro conscientie id nequaquam eum facere debere, quousq; filius eius bona sibi capiat, & vendicat; sed solum iure compelli ad parendum sententiæ iudicis, & ministris sententiæ exequentibus; his enim obistere non potest. Ita Co-uarruuias de Matrimonio part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10. vbi citat Adrianum, Caietanum, & Decium: atq; hæc sententia probabilior mihi videtur, quoniam**

non condemnatur reus, vt bona sua fisco per se ipse tradat, aut Beneficiū dimittat, vel sese administratione publica abdicet: sed solum sententia fertur, qua declaratur, eum in crimen incurrisse, & proinde in poenam legis ipso iure constitutam, ac statim fiscus ius acquirit, vt sibi eius bona vendicat, & continuo ea omnia capit, & omnes alienationes à die facinoris admissi rescindit: & Respublica similiter confestim Magistratum publicae administratione priuat, & Ordinarius Ecclesiae Antistes Clerico condemnato Beneficiū adimit, & alteri cōfert, & quamlibet Beneficij renunciationem à die commissi criminis dissoluit: & hoc ipso, reus huiusmodi poenas debet in foro conscientiae sustinere. Et sciendum est, quando post criminis cōdemnationem fiscus bona sibi tradenda curat, reum in foro conscientiae compelli ad ea reddēda, ita vt nihil sibi retinere queat, nihil possit alteri dare. Immo ea bona repetēte fisco, quicumque alius ea possideat, occultare tuta conscientia nequit, sed debet in foro conscientiae fisco reddere.

Quinō quæritur, An si huiusmodi reus, cuius bona sunt ipso iure publicata, legitimè à Iudice de crimine rogetur, & id denegauerit, vel celauerit, ratione cuius liberatur à cōdemnatione criminis, compellendus sit in foro conscientiae ad eam poenam soluendam, quam solueret, si crimen esset confessus? Duae inuenio opiniones. Vna docet eum esse ad id compellendum, Sic Sotus *lib. 1. de iustitia q. 6. art. 6. post concl. 4. vers. vnum hic autem adnotato*. Quod probat primò, quia occultando, vel inficiando crimen, impedit sententiam, qua condemnaretur alioqui ad poenam luendam: Sed qui impedit alterum, ne rem consequatur, in foro conscientiae cogitur eam restituere, cui debet. Deinde talis reus denegando crimen, de quo legitimè rogatur à Iudice, peccat contra officium suum, quoniam sicut testis legitimè interrogatus ratione sui muneris & officij, & iustitiae lege cogitur testificari; sic reus legitimè rogatus, debet veritatem cōfiteri; ergo nisi eam confiteatur contra iustitiam delinquit. Item quicumque contra fas, & ius omne, est causa dāni alteri illati, debet in foro conscientiae id resarcire; sed eiusmodi reus contra leges & iura, est causa, ne fiscus, vel alius, cui ipso iure sunt bona addicta, ea sibi capiat, & vendicat, ergo debet in foro conscientiae restituere fisco, vel alteri, ad quem bona ipso iure pertinent. Præterea, nisi iudex iuxta allegata, & probata in iudicio fontem condemnationis ad poenam legis sustinendam, deberet ipse in foro conscientiae eam poenam soluere: ergo paritate ratione reus, qui crimen celat, & denegat, ad poenam luendam lege compellitur, idem cum Soto quidam alij senserunt.

Altera opinio negat cogi reum in foro conscientiae id facere; eo tamen animo esse debere, vt si iterum legitimè rogetur, verè, & ingenuè se deliquisse fateatur; alioqui nisi ita affectus sit, à peccatis absolui in foro conscientiae nequaquam potest. Sic Nauar. *in man. cap. 25. nu. 51*. Sic etiam Salon. 2. 2. *quest. 62. artic. 3. contro. 2.* Rationes huius opinionis sunt hæc: Primò, quia poena nunquam in foro conscientiae debetur, quouique Iudicis sententia condemnatur crimen. Deinde quoniam fiscus ante de-

licti cōdemnationem non habet ius acquisitum in criminosis donis, ergo donec reus criminis dānetur, nihil ipse fisco in foro conscientiae debet. Animaduertendum est, in Iure, poenam à damno distingui, ita vt damnum in foro conscientiae restitui debeat ante Iudicis sententiam: Poena verò non nisi post criminis declarationem debetur. Exempli gratia. Est lege Principis constitutum, vt qui in urbem certas merces inuexerit, vendiderit in foro, vel per certa loca transtulerit, certam soluat pensionem, alioqui ipso iure amittat merces, vel quadrupli poena teneatur. Titius legitimè rogatus merces occultans, lege compellitur in foro conscientiae ad soluendam Principi pensionem, quia est tributi genus lege debitum: & Titius occultans impedit iniquè, ne Princeps pensionem sibi debitam acquirat; & proinde damno eum afficit; quod verò quadruplum soluere cogatur, poena est, non damnum. Præsens autem controuersia non est de damno resarciendo, & compensando, sed de poena soluenda, de qua inter omnes conuenit: quodcumque lex poenam continet ferendam à Iudice, reum legitimè rogatum, & se deliquisse diffitentem, non adigi in foro conscientiae ad eam poenam luendam; sed debere esse eo animo, vt si iterum interrogetur à Iudice legitimè, suum crimen aperiat, & fateatur. Nam cum lex ipso facto, vel iure poenam non irroget; sed eam Iudicis officio inferendam decernat, consequens est, vt eiusmodi poena nunquam in foro conscientiae debeatur, nisi reus sit criminis condemnatus. Verbi causa, est poena legis à Iudice imponenda, vt quicumque certum delictum fecerit, relegatur, vel ad quadruplum persoluendum condemnatur, vel officio, vel dignitate, vel beneficio Ecclesiastico, vel his, aut illis bonis spoliatur; si Titius deliquerit, & legitimè rogatus à Iudice se peccasse negauerit; non eo ipso in foro conscientiae debet in exilium ire, vel quadruplum soluere, aut officium vel beneficium dimittere, aut bona reddere, antequam delicti condemnatus sit. Hoc Nauar. *in man. c. 25. nu. 51*.

Tota igitur quæstio est de poena, quam delinquentes lex ipso iure, vel facto constituit. De qua itidem probabilius mihi videtur: Si reus legitimè interrogatus crimen occultauerit, aut denegauerit, eum non compellendum in foro conscientiae ad eam poenam persoluendam: quoniam in vniuersum mihi verius apparer, nunquam poenam in foro conscientiae deberi, donec reus sceleris condemnatur; ita Nauarrus.

Ad Soti verò argumenta respondeo. Ad primum, non eandem esse rationem de eo, qui impedit alterum, ne rem aliquam assequatur, quæ est de reo se deliquisse neganti. Nam is qui impedit, contra iustitiam delinquit, & damno alterum afficit; reus verò, prius quam damnetur, poenam soluere nullo iure compellitur. Poena enim proprie, vt iam probauimus, damnum non est: & post criminis cōdemnationem tantum debetur. Ad secundum respondeo, etiam testem, si nocentis crimen occultet, nulla lege compelli ad luendam, siue dandam poenam; ad quam reus ipse damnaretur; debere tamen in foro conscientiae integrum refundere, si alterum damno

affecerit. Sic etiam reus se peccasse negans, debet in foro conscientiae damna reficere, si quempiam laeserit; non tamen eam poenam subire, ad quam damnaretur, si crimen detegeret. Ad tertium respondeo, poenam non esse damnum, & proinde non est idem iuris de poena, quod est de damno. Objicies, Reus crimen occultans contra iustitiam delinquit, & propterea quod crimen denegat, ad poenam legis luendam non damnatur; ergo debet in foro conscientiae eam persolvere; sicut si testis delictum inficiaretur, aut celaret, hoc ipso, contra ius delinqueret. Respondeo, tum testem, tum reum in crimine occultando contra officium suum, & ius ipsum peccare; ita ut & ipse testis, & reus sententiam suam reuocare in foro conscientiae debeat; & proinde eo animo eos esse oportet, ut quodcumque iterum legitime rogentur, crimine patefaciant, & fateantur ingenuè. **QVAERES**, an lege compellantur ad id, quod dixerunt, statim reuocandum? Respondeo, minimè: nisi ad deuitandum damnum alterius, quod probabiliter creditur sequitur. Iudicis enim est eos non semel tantum, aut iterum interrogare, sed sapius: quod si iudex eos non amplius interroget, ipsi imputandum est, non testi, aut reo. Ad quartum respondeo, idem quoque iuris esse de Iudice, qui si iuxta allegata, & probata reum minimè condemnet, debet in foro conscientiae, quicquid damni est consecutum, refarcire; non tamen poenam legis persolvere, ad quam reus condemnaretur, si, ut deberet, legitimam vellet sententiam ferre.

Sextò quaeritur, An qui contra legem peccant condemnari queant, ut ipsi à seipsis legis poenam repetant, ac sumant? **Sotus libr. 1. de iust. quest. 6. artic. 6.** probare contendit esse contra rectam rationem, ut idem sit reus, & vindex. Alphonfus Castrensis contra **libr. 2. de lege pena. cap. 10. & 11.** multis conatur ostendere id nequaquam cum ratione pugnare. **Breviter dicendum existimo**, nullam esse ex rei natura repugnantiam, si reus condemnatur ad poenam, qua ipse in seipsum animaduertat, & quam sumat de se, prout meretur eius delictum; quamuis id esset in multis alioqui durum, & graue onus. Si poenae itaque fuerint de morte iubeunda, aut de membro aliquo corporis amputando, reus condemnari nequit, ad mortem sibi ipsi inferendam, vel ad membrum sibi aliquod abscindendum; esset enim eiusmodi lex haud dubie tyrannica, & iniqua, & propterea nemo ea teneretur. **QVAERES**, Quid si quispiam damnatur ad sciendum sibi venam, & sanguinem eliciendum, ut sic sensim, ac paulatim (vti de Seneca ferunt) intereat? Respondeo, meo quidem iudicio id genus poenae esse iniquum, & barbaricè immanitati proximum. Neq̄ aliter videtur sentiendum esse de lege, aut sententia, qua quispiam condemnaretur ad venenum sponte, ac per se epotandum. Quod si poenae fuerint de pecunijs, aut alijs id genus bonis soluendis; lex potest ita poenam ipso facto irrogare, ut reus ad eam soluendam in foro conscientiae compellatur; nihil enim in hoc cum recta ratione pugnare videtur. Si autem poenae sint corporales quidem, at non tales tamen, quae vel mortem adferant, vel membrum amputent, sed quae dolore tan-

tum corpus afficiant, potest quoq̄ lex constituere, ut reus eas debeat in foro conscientiae sustinere. Huius generis sunt in primis poenae verberum, ieiuniorum, vigiliarum, peregrinationis, carceris, quibus corpus maceramus, sensus coercemus, vel aliquid aliud simile perferimus. Possimè, sunt aliae poenae, quae quamuis in agendo consistant, vsu tamen ita sunt receptae, ut ipse reus saltem post cōdemnationem criminis, & postquam fuerit damnatus ad poenas, eas persolvere debeat; quales sunt poenae, quibus quis cōdemnatur, ut patriam relinquat, exulet, certo loco cōmoretur, & habitet; atq̄ huiusmodi poenae etiam lex ita potest imponere, ut ipso iure antequam crimen condemnetur, debeat reus ipse persolvere: non igitur omnino cum ratione pugnat, ut idem, qui est reus, sit etiam in seipso poenae vltor, & vindex, ut docet Couarru. *in epito. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.*

Septimò quaeritur, An poena mutuo consensu contrahentium constituta, debeat in foro conscientiae, antequam petatur? **Sciendum est**, eos qui contrahunt, conuenire inter se aliquando, ut si alter eorum à contractu recesserit, aut in ipso contractu quippiam deliquerit; certam poenam soluere debeat. **Quaestio igitur est**, an talis poena in foro conscientiae soluenda sit, antequam ab altero contrahente petatur? Duplex est opinio, prima est dicentium, eam deberi in foro conscientiae, etiam si nunquam petatur, quae opinio fuit Anchar. *in cap. possessor. de regulis iuris. in 6. quest. 3.* Felin. *in cap. 1. de consuet. numer. 43.* Deci. *in cap. 1. de consuet. num. 2.* eo argumento munita, quod huiusmodi poena non est lege imposita, sed contrahentium spontaneo consensu, & potest quisque se alteri obligare; ob id enim solet haec poena conuentionalis appellari, non legalis, eò quod ex conuentione contrahentium constituitur. **Item**, si quis certum aliquid testamento alteri reliquit ea cōditione, ut hoc, aut illud efficiat, si minus, legatum ex testamento acceptum amittat, vim habet in foro conscientiae, cum mortuus poenam amplius exigere, & sumere à socio superflite nequeat. Altera opinio tradit, in foro conscientiae non deberi, quousque petatur: quod docuerunt Couarru. *de matrimonio. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 11.* & citat Corn. & Rebuff. sic etiam Nauar. *in man. c. 23. n. 67.* Probat, quoniam contrahentes tacite consentiunt, ut poena statim atq̄ petita fuerit, debeat in foro conscientiae: si minus, non debeat, & proinde sibi quisque imputare debet, qui cum habeat ius poenam repetendi, non repetit. Haec opinio ad veritatem magis accedit, ut potè benignior, & mitior, & poenae, & odia restringenda sunt.

Porro animaduertendum est, non esse eandem rationem de donationibus, ut si patronus liber donet omnia bona sua, vel bonorum partem, eò quod se filios non habiturum crediderit, suscepto filio liberus lege cōpellitur ea bona patrono reddere, *si vnquam. c. de reuoc. donat. ubi non enim id lex praecipit, ut poenam; sed quia probabiliter putatur patronus ea cōditione tacite donasse, ut ait Couarru. de matrimo. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 17.* Quid si quis omnia bona sua extraneo donauerit, eò quod putet filios se non suscepturum,

Respon-

Respondeo, reuocari donationem etiam tacita conscientia; quia probabiliter creditur facta donatio, ea conditione, si qui donauit, filios non susciperet, ergo filijs susceptis locum donatio non habet. Quid si aliquis donauerit, & donatio reuocatur ob ingrati animi crimen à donatario commissum, iuxta id, quod habetur c. vi. de donat. & l. i. c. de reu. dona. an tuta conscientia donatarius ingratus possit bona accepta retinere, si ea donator non repetat. Couar. loco citato respondet, fortè retinere turò posse. Probabilius oppositum iudico; idem iuris est de voris, quæ uocantur poenalia. Verbi causa, uouet Titius, aut iurat, si amplius luserit, aut si in hac, vel illa re peccauerit, se darum certam pecuniæ quantitatem pauperibus: eiusmodi poena in foro conscientia debetur statim, ut uotum, aut iuramentum fuerit uiolatum: nam uotum fit Deo, & ipsi est gratum, & acceptum; quò fit, ut si non seruetur, Deus confestim uelit, ut poenam constitutam persoluat uoti contemptor. Præterea, poena in testamentis adiecta, in foro conscientia absque mora debetur, quoniam in huiusmodi poenis inest tacita testatoris uoluntas, ut si id, quod uult, non impleatur, hæres uel legatarius hæreditatem, uel legatum penitus amittat, & cum testator decesserit, poenam amplius repetere non potest; ergo cù bona sua testamento relinquit ea cõditiõne, ut hoc, aut illud faciat hæres, aut legatarius; sin minus, relicta bona amittat, tacitè hæredem, uel legatarium sibi obligasse uidentur, ita ut poenam in foro conscientia perserre debeat; ut cùm maritus relinquit suorum bonorum usum fructu xori, si alteri non nupsit, aut si castè uixerit. Nauar. in manu. cap. 23. nu. 62. Sor. lib. 1. de iust. quest. 6. artic. 6. Couar. loco citato, Cai. in sum. pena. Item ij, qui ad certum Collegium admittuntur, solent promittere se hoc, aut illud facturos; sin minus, Collegio tantumdem soluturos, quantum in ipsorum alimeta Collegium impenderit post fidè, & promissionem uiolatã. **Q V A E R I T V R,** iam, an huiusmodi bona in foro conscientia debeantur, si ea Collegiũ non petat? Ratio questiois est, quia cum quis aliquid alteri promittit, et suam fidem obstringit: Sed fidei data uolatio est per se peccatum. Præterea, Collegium ea conditione collegam admittit, & alit suis sumptibus: sed datum ob conditionem, uel causam, ea non subsecuta repetitur. **H**is tamen nihil obstantibus, probabile quibusdam uidentur eiusmodi poenam in foro conscientia non deberi, nisi à Collegio petatur: quoniam de hac idem iuris esse uidentur, quod est de poenis contrahentium consensu constitutis. Quare promissio eius, qui in Collegium cooptatur, eatenus vim habet in foro conscientia, quatenus poena petitur: quod si Collegium poenam non petat, sibi imputet, atque eo ipso iure suo cedere, & poenam, quam alioqui repetere posset, remittere, & condonare probabiliter creditur. Alijs tamen uerius apparet iure conscientia hanc poenam statim deberi, & esse soluendam, quia uidentur fuisse mens fundatoris, ut statim deberetur: & lex potius conuentionalis, quàm poenalis est: & idem iuris est in statuto, si dicat: qui hoc, uel illud perperam fecerit, Collegium amittat: uel Collegij fructibus, sumptibus, uel alimētis careat. Sic illi. **V**tra-

que opinio est probabilis; Prima benignior, & mitior est, Secunda uidetur probabilis, sed rigidior, & seuerior, fortassis fundatorum menti, & uoluntati magis consentanea.

Cap. IX.

Quibus modis dignosci queat lex continens poenam ipso iure latam, & ea, quæ continet poenam sententia Iudicis ferendam.

HANC controuersiam fufius tractarunt; Felinus in cap. Rodulpus, de rescriptis, §. qui incipit. Vltimo. Andreas Tyraquellus in l. si unquam, c. de reuocandis donationibus in ver. reueritur à nu. 20. usque ad nu. 265. Alphonsus Castro lib. 2. de lege poenali cap. 5. & 6. Ut dilucidè, & explicatè cognoscatur lex continens poenam ipso iure, uel facto latam, sunt certæ quædam regulæ tradendæ, atque obseruandæ. **Prima fit:** Quando lex ita sancitur: Qui hoc, uel illud fecerit, in hanc, uel illam poenam incurrat sine ulla alia sententia Iudicis; uel ita: Ipso facto, uel ipso iure poenam contrahat; uel sic: Hoc uel illud in foro conscientia soluere debeat: Lex est poenam cõtinens ipso iure latam, cuiusmodi sunt multæ poenæ in iure Canonico constitutæ; ut in Extrauagante, cõstitutione, ambitiosè, de rebus Ecclesie non alienandis, & in c. licet canon, & c. commissis, de electione, in 6. & in Extrauag. execrabilis, Ioannis 22. & c. de multam, de pr. ab. c. pro humani, in 6. c. Felicit. de penis eod. lib. in Extrauag. Pauli. 2. quæ incipit, Cùm desessabile, & habetur inter communes de Simonia: & alicubi extant Regiæ constitutiones, statuta ciuitatum, & populorum, quibus cauetur, ne ij, qui sunt Regi, uel Principi à secretis, aut à Consilijs, munera à quoquam accipiant: alioqui debeant in foro conscientia quicquid muneris acceperint, restituere: Ne iridem Iudices, Notarij, Tabelliones, aliquid ultra stipendia sibi accipiant à litigantibus: alioqui debeant accepta in foro conscientia reddere. **E**adem ratio est, quando lex his uerbis poenam constituit: nullus reum absoluat, quousque soluerit poenam lege sancitam.

Secunda Regula fit: Quando lex in poena irroganda utitur uerbis præsentis temporis, quibus uti solet Iudex, cùm sententiam pronunciat reum ad poenam condemnans; continet poenam ipso iure latam. **U**t si lex ita feratur; Aliter facientes excommunico, anathematizo, suspendo, interdico, relego, condemno, priuo. **I**tem, si post huiusmodi uerba; Declaro, Decerno, Definio, Iudico, Volo, Denuncio, sequatur uerbum præsentis, aut præteriti temporis poenam significans. Verbi gratia, Aliter facientem declaro esse excommunicatum, suspensum, uel in excommunicationem, aut suspensionem incurere, esse priuatum dominio bonorum, uel beneficio, uel administratione, aut amittere beneficium, dominium bonorum, uel administrationem; Aut esse infamem, uel ad hæc, uel illa inhabilem & ineptum; Aut carere iure suffragium ferendi, uel eligendi; Similiter si lex dicat, Denunciatis, aliter facientes esse excommunicatos, suspensos, priuatos, depositos, inhabiles, uel infames.

Tertia Regula fit; hæc uerba: Sit irritum, &

inane, vel careat viribus, aut vires non habeat: item; Non valeat, vel ipso iure nõ valebit: vel, Nihil agitur, vel agetur: item, non teneat, vel, nullum sit factum: Item, Non possit, aut, Non poterit: pœnam significant ipso iure latam. Et parum aut nihil refert prædicta verba singula per se ponantur, an duo, triaue coniuncta, aut simul cum aduerbijs vniuersitatem, & negationem significantibus; vt si dicatur: Omnino, profus, penitus non valeat. Idem iuris continent nomina quædam vim, & potestatem negantia, Vt si lex dicat; sit ineligibilis, intestabilis: nam perindè est, ac si diceret, Eligi non possit, testari nequeat.

Quarta Regula. Verba, quæ nullum hominis ministerium significat, in legibus posita, innunt pœnam ipso iure latam; qualia sunt, subiaceat, subdatur, incurrat, incidat, contrahat, amittat, perdat, cadat, recedat, redeat, reuertatur, & alia id genus pleraque. *Nec refert*, huiusmodi verba dicantur esse imperatiui modi, & præsentis temporis, an futuri temporis, & subiunctiui modi: neque enim est, cur laboret Alphonsus Castrensis in Canonici, & Ciuilis iuris doctoribus reprehendis tanquam barbaris, & grammaticæ imperitis, eo quod tradiderint prædicta verba esse futuri temporis, ipse autem contrà potiùs censet esse præsentis temporis Imperatiui modi; at tamen possunt accipi, vt verba futuri temporis Subiunctiui modi; ita vt sensus sit; si quis hoc, aut illud fecerit, in hanc pœnam incidat.

Quinta regula: Quandoquæ vnà cum pœna legibus irrogata ponuntur aduerbia sequentia, Statim, Confestim, Illico, Cõtinud, Mox, Protinus, incontinenti, ex tunc, significatur pœna ipso iure lata, vt est communis ciuilis, & Canonici iuris interpretum opinio.

Sexta Regula: Lex pœnam constituens, si verbo præsentis temporis Indicatiui modi, aut præteriti vtatur, pœnam continet ipso iure latam: quod iuris Pontificij doctores communi sententia tradiderunt: Vt, si lex ita condatur: Qui hoc, aut illud fecerit, excommunicatur, suspenditur: *Vel ita;* est excommunicatus, est suspensus: Idem est, si dicatur, Nouerit se suspendi, vel esse suspensum: *Vel si dicatur:* Sit suspensus, sit interdictus, aut priuatus bonis suis.

Porro ad cognoscendum, legem pœnam ferendam denunciantem, sit hæc prima Regula: Quotiescunq; lex pœnalis vtitur verbo, quod solam pœnæ comminationem exprimit, continet pœnam ferendam, non latam: vt si lex ita fanciatur: Præcipio, aut Prohibeo sub pœna excommunicationis, vel sub interpositione anathematis, aut sub interminatione interdicti, aut sub maledictione pœnæ æternæ, aut sub indignatione Omnipotentis Dei. Ita docent Canonici iuris periti in cap. Dolentes, de celebratio. Missarum, Glossa, Hostiensis, Ioannes Andreas, & alij.

Secunda Regula: Omnis lex, quæ cum pœnam proponit, vtitur verbo futuri temporis, pœnam continet ferendam, non latam. Quemadmodum si lex dicat: Qui bouem fuerit furatus, quinq; restituet. Similiter si dicat: Qui fecerit hoc, vel illud, priuabitur; vel sic: Si hoc aut illud fiat, factum irritabitur, rescindetur, reuocabitur. Ita etiam, si dicat: excommunicetur, suspendatur, pri-

uetur, excludatur, relegetur, irriteur, reuocetur, rescindatur: hæc enim verba significant actionem iudicis. Atque hæc est communis vtriusque iuris interpretum sententia.

Postremò notandum est: Quoties de aliquo dictione in lege pœnali posita merito ambigitur, significet, necne sententiam, & pœnam ipso iure latam, iudicandum est non sententiam latam, sed ferendam continere. Ita Glossa, Abbas, Felinus, & Philippus Francus: nam iuxta Regulas iuris, odia sunt restringenda. Item, in pœnis benignior, & mitior interpretatio, & sententia esse, reddi, & pronunciari debet.

Cap. X.

Quam potestatem habeat lex humana in actus mentis simpliciter internos.

Questio est inter Theologos, An lex humana actus voluntatis interiores imperare, aut prohibere queat. Hanc questionem agitatur Medina de oratione quest. 15. quæ est de potestate Ecclesie in actus cordis, Cordubensis in suis Questionibus lib. 4. quest. 13. de potestate Pape. Almainus in tract. de potestate Ecclesie cap. 10.

Porro duæ sunt in hac controuersia sententia, vna affirmat legem humanam, præsertim Ecclesiasticam habere potestatem in actus simpliciter internos; quod videtur sensisse Adrian. quodlibet. 2. a. item 4. de confess. q. 2. §. alij probant. Albert. de agros. assert. catho. & here. c. 33. n. n. citat Glossam, Cardinalem, Ancharanum, Imolam, & idem quoque sensit Alber. Pigh. lib. 6. de Eccles. Hierar. c. 16. sic etiã Rosel. absolutia. 1. nu. 28. & 29. & citat Goffredum, Rainerium, Ioan. Andream, sic etiam videntur docere Abbas c. 2. de officio ordinarij. nu. 12. Felin. c. porro. de sent. excommunicatio. Eorum argumenta sunt. **Primum** sumitur ex Clementina de Hæreticis cap. 1. vbi Pontifex edicit pœna excommunicationis, & in pœnis interposita, vt Episcopi, & ceteri rerum ad Fidem spectantium Iudices, à Romano Pontifice deputati, officium Inquisitionis exequantur, absque vllò odio, ira, timore, vel quocunq; alio humano affectu. Sed huiusmodi affectus sunt actus interni. **Secundum** ducitur ex cap. Cõmissa. de electione in 6. vbi cõstitutum est, vt si quis parochialem Ecclesiam obtinuerit, sine voluntate ascendendi ad sacrum Sacerdotij ordinem, beneficium ipso iure amittat, & fructus suos nõ faciat. **Tertium** sumitur ex cap. Dolentes, de celebratio. Missarum. vbi statutum est, vt qui lege, vel canone compelluntur ad pres. horarias recitandas, Officiũ diuinum studiosè, attentè, & deuotè dicant; Sed Attentio, & Deuotio, sunt actus interni. **Quartum**, In multis concilijs decretum est, vt qui hoc, vel illud dixerit, docuerit, aut crediderit, anathemate percussatur, & si quis eorum d. 30. ex Concilio Gangrensi, & si quis nuptias, & si quis virorum. d. 30. & Concil. Tolet. 1. & Brac. 1. cano. si quis crediderit: Sed credendi actus est internus, hoc enim ipso distinguitur ab actu dicendi, & docendi. **Item**, in Hæreticos si equenter inquiritur, ita vt interrogentur, an aliquãdo sic, vel aliter crediderint. **Quintum**, Romanus Pontifex sæpè vota relaxat indulgentiæ be-

tia beneficio: nam aliquos voti vinculo, & lege soluit, aliquando etiam vota commutat, eadem itidem rescindit, quamvis interna sint. **Sextum**, Ecclesia indixit annuam peccatorum confessionem, & tamen si quis internis tantum peccatis sit maculatus, debet ea semel ad annum proprio sacerdoti confiteri. **Septimum** argumentum: Ecclesia potest peccata interna reseruare, ita ut absolutione eorum certis presbyteris, non omnibus committat. **Postremum** argumentum est: Nihil impedit, quominus Ecclesia actus internos imperare, vetareue possit, quod eos esse factos in foro iudiciali probare nequeat: nam peccata externa saepenumero adeo sunt occulta, ut probari nequeat ea esse commissa; & tamen externa delicta sunt Ecclesie potestati subiecta; quod enim quippiam fuisse factum, probari in foro iudiciali non possit, hoc idem est, quia defunt probationes, indicia, & testes: non autem quia defuit iurisdicctio, & potestas. Hanc sententiam probabilem putat esse Medina de penit. tract. de oratio. q. 15.

Secunda opinio docet, lege humana non posse imperari, aut vetari proximè, & directò per se actus mentis simpliciter internos. Hanc sententiam sequuntur Dur. 4. d. 17. q. 8. Palu. 4. d. 17. q. 1. a. 2. Cai. 2. 2. q. 1. a. 1. Almai. & Corduben. locis citatis. Sor. 4. d. 22. q. 2. a. 2. & a. 3. post conclus. & Castr. lib. 2. de iust. heret. c. 16. Mai. 3. d. 25. q. 3. f. dubitatur, & Anto. p. 3. tit. 2. 4. c. 4. Silu. excommunicatio. 7. in excommunicatione 2. Angel. hereticus nu. 2. Nau. de pen. d. 5. principium. u. 19. Couar. in regula peccatum, de regul. iur. in 6. nu. 7. vnicò argumento permoti: quia actus simpliciter interni omnino cognitione humanam latent, ac fugiunt; ut ita per se cognosci ab homine nequeant; ergo non possunt iurisdictioni, & potestati humanae subiecti: nulla enim iurisdictionis potestas iudicare, & ferre sententiam potest, nisi audita, & cognita causa.

In hac itaque controuersia sciendum est, quædam ut manifesta, & certa apud omnes constare. **Primum** est; Quotiescunque lex, vel constitutio humana est conuentio quædam, & pactio, vim & potestatem habet in actus internos, non quidem quatenus lex humana est, sed quatenus habet conuentionis rationem, & naturam. Vnde Ecclesia ius habet sua Beneficia Ecclesiastica, aut Beneficiorum fructus huic, vel illi conferendi, modo hunc, vel illum animum, & voluntatem habeat; & proinde merito constitutio Ecclesiastica decernit, ut is, cui parochialis Ecclesia confertur, ad sacrum sacerdotij ordinem intra annu promoueat; quod si voluntatem non habuerit eum ordinem suscipiendi, nulla erit beneficij impetratio, & adeptio, & tunc fructus non facit suos: quod si intra annum non fuerit promotus ad eum ordinem, ipso iure amittit beneficium. **Pari modo** cum aliqui cooptantur in certum Collegium iure exigitur ab eis, ut hunc, vel illum animum & voluntatem habeant: alioqui enim omnia Collegij iura amittunt. **Similiter** etiam Ordinarij Ecclesiasticum presules, qui beneficia conferunt, ius habent inquirendi; An qui ad Beneficium, vel Dignitatem prouehuntur, habeant voluntatem ea statim dimittendi, siue deponendi? Ecclesia enim, & quisque potest sua bona in alterum transferre ea conditione, & pacto, ut hoc, aut illud præster. **Secundo**, omnes in hoc conueniunt, legem scilicet hu-

manam hoc ipso, quod quippiam exterius iubet, aut prohibet, simul etiam præcipere, aut vetare actum internum, qui requiritur, ut actus sit humanus. Verbi causa. Indicit Ecclesia ieiunia, aut dierum festorum obseruationem, eo ipso imperat, ut velimus ieiunia seruare, ac dies festos colere: actus enim humanus, quem lex humana iubet, esse nequit, nisi sit voluntarius, & liber. **Tertio**, inter omnes pariter constat, actus externos etiam ad eum occultos, ut eos factos esse in foro iudiciali nunquam probari queat, iurisdictioni, & potestati humanae subiecti: quoniam actus externus suapte natura cognitionem humanam non fugit: quod autem in foro iudiciali probari non possit, ex accidenti est, eò quod defunt testes, & legitimæ probationes: quo fit, ut Hereticus exterior, quamuis sit penitus occultus, sit ipso iure excommunicatus. Et hoc est, quod probat Glossa ex multis iuris capitibus in Clementina prima, de Hereticis, verb. eo ipso, & ibi Cardinalis, Imola, & alij Canonici iuris interpretes. **Quarto** etiam est compertum, & certum, lege humana posse præcipi, vel vetari, ne actus exteriores fiant hoc, vel illo affectu prauo, in mirum ne fiant odio, vindicta, metu, aut denique causa, & studio amicorum, aut propinquorum: tunc enim lex humana directò, proximè, & per se actus exteriores præcipit; ex accidenti verò prohibet eos voluntatis affectus, qui solent actus externos aliquo modo corrumpere, & deprauare. **Obijcies**; Affectus animi similiter sunt etiam interni, ergo nequeunt humana lege interdici. **Respondeo**, inter affectus aliquos esse simpliciter internos, qui sese exterius non produunt, & de his nihil lex humana decernit: alios verò, qui actus externos comitari, consequi, & etiam antecedere solent; immò eos etiam eliciunt, & pariunt, & eiusmodi affectus non sunt simpliciter interni, quoniam sese proferunt, & fundunt exterius, eò quod sunt cause, origines, modi, & circumstantiæ externorum operum, & proinde coniecturis, signis, & indicijs in foro iudiciali saepenumero cognosci, & probari queant.

His constitutis longè **probabilius, & verius est**, ceteros actus mentis simpliciter internos nequaquam iurisdictioni, & potestati humani subesse, quia sunt à cognitione humana penitus remoti: non quidem ex accidenti, quales solent esse aliquando actus externi occulti, sed per se, & nature suæ conditione. Et quamuis oppositum docerent multi iuris pontificij doctores, quod reuera non docent, ut dicam inferius, vnus pro nobis contra illos sufficeret S. Thomas, qui 1. 2. q. 97. ait, necessariam esse aliquam legem diuinam quia de his potest homo legem ferre, de quibus iudicare potest: verum hominis iudicium ad internos motus, qui latent, nequaquam se extendit, & 4. d. 18. q. 2. ar. 2. q. 1. distinguit inter forum conscientie, & externi iudicij, & ait excommunicationem non ad primum, sed ad secundum forum pertinere. Et 2. 2. quest. 104. ar. 5. in 115, inquit, quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed Deo tantum. **Ne est**, quod Albertinus dicit, Canonici iuris interpretes, in hac quaestione cum Theologis pugnare: nam reuera solum docere videntur Glossa in Clement. 1. de here. ver. eo ipso, & ibi Cardinalis, Imola, & ceteri,

hereticum exteriorem, etiam omnino occultum in excommunicationem incurere, quod idem Theologi tradiderunt; non autem hereticum interiore. Nam Cardinalis. *Clem. 1. de usu. in principio q. 3.* post Matthæum aperte docet voluntatem, si ad opus non peruenit, ab Ecclesia non puniri. Sic etiam *Clem. 1. de penis. q. 3.* idem tradit Hostien. *c. mulieres. de sent. excom.* idem Alberi. Iurifconsultus *p. 2. statuto. q. 168.* Salice. *in l. 11. qui cum telo. c. de sic. ex Bal. in l. si quis dicam vapere. c. de Episc. & Cleric.* & hæc sententia colligitur ex iure ipso canonico. *cap. sicut tuis. de simon. habetur. Ecclesia non iudicat de occultis: item c. erubescant d. 32. De secretorum cognitor. & inde est; idem c. si quando 15. q. 6. consuluisti. 2. q. 5. c. si omnia 6. q. 1. c. Christiana 32. q. 5. idem in l. cogitationis. ff. de pœni. ubi dicitur, cogitationis pœnam nemo patitur.*

Ad argumēta verò respondemus. **Ad primum** negamus in ea Clementina vetari actus simpliciter internos, sed quosdam affectus animi, qui tanquam causæ, & origines actus externos solent inficere; & proinde ex actibus externis tanquam ex affectibus solent esse nobis noti, & comperti ad sententiam de ipsis ferendam. **Ad secundum** dicimus in eo *cap. Commissa. de electione,* legem esse conventionalem, quam vocant, inter Ecclesiam conferentem beneficium parochiale, & inter eum, quem ad Beneficium admittit, & eligit: & ideo potest Ecclesia constituere, ne is, qui ad Beneficium promovetur, faciat suum, nisi habeat voluntatem ascendendi intra annum ad sacrum Sacerdotium. **Ad tertium** dicimus, esse inter scriptores quæstionem, in *cap. Dolentes de celebratio. Missarum,* ubi statuitur, ut officium diuinum attentè, studiosè, & deuotè recitetur; An imperetur interior animi attentio, & deuotio, an verò solum exterior, ita ut solum sit interdictum opus externum, quod impedit studiosam, attentam, & deuotam recitationem, aut cum ea pugnat, ita ut simul consistere nequeat. Sunt enim duæ opiniones, ut suo loco dicemus: quidam putant satisfacere Ecclesiæ præcepto, de precibus horarijs studiosè, attentè, & deuotè recitandis, eum, qui etiam voluntariè in varias cogitationes distractus diuinum officium persoluit, dummodò tamen interim dum recitat, non doceat, disputet, confabuletur, legat, scribat, vel aliquid opus exterius simile exequatur, & obeat, cuius opinionis fuisse. Durand. *4. d. 15. q. 12. num. 6.* Anton. *p. 3. tit. 13. c. 4. §. 3. c. 8.* Medi. *de oratione q. 15.* Ioan. Andr. *cap. dolentes, de cele. missa.* Gerson. *p. 3. de vita spirituali lect. 4. corol. 2.* Sed opinio est aliorum, quæ magis ipse probò, in eo capite prohiberi voluntariam mentis distractionem internam, & non solum externam: quod docent Gab. in *Cano. missæ, lect. 62. lit. l. Mai. 4. d. 12. q. 7.* in argumentis contra *concl. 4. Cai. in sum. ver. festinã violatio. Dot. li. 10. de inst. q. 5. ar. 1. conclus. 7.* Et tunc ad argumentum **respondeo**, in eo cap. Præcipi actum interiorem, tanquam alioqui iure naturali debitum externo operi, quod imperatur. Nam si preces ad Deum fundimus, precationis ipsa vis, ratio, & natura poscit, uti attentè, piè, & religiosè precemur: Ergò merito Ecclesia proximè, & per se directò imperat, ut diuinum officium persoluamus, ac deinde præcipit, ut debito modo preces ipsas recitemus, quem videlicet modum precationis natura, & conditio postulat. **Ad quartum respon-**

demus, excommunicari eos, qui hoc, vel illud docuerint, qui dixerint, crediderint. Sed hoc verbo, crediderint, comprehenduntur ij, qui nutu, vel signo aliquo externo expresserint sententiam fidei contrariam: Vnde meritò tria genera personarum referuntur: Qui dixerint, quod pertinet ad sermonem. Qui docuerint quod ad doctrinam spectat. Qui crediderint, quod attinet ad mentis assensum, sed nutu aliquo, aut signo, quamuis nullis verbis expressum. Non igitur hærefis simpliciter interna, & solum mente concepta, excommunicatione afficitur. **Ad quintum** argumentum dicimus, Romanum Pontificem posse relaxare vota, & commutare, quamuis sint interna: Sed cum eorum relaxatio, aut commutatio petitur, vota ipsa sunt nota Pontifici, quæ antea actu interiori erant Deo nuncupata. **Item**, omne votum factum est Deo: Romanus autem Pontifex tanquam Christi Domini Vicarius ius habet, & potestatem id relaxandi, & commutandi, ut suo loco dicitur. **Ad sextum**: cum Ecclesia iubet annuam culpam confessionem, non instituit ipsam peccatorum confessionem, sed prescribit tempus, quo facienda est ea peccatorum confessio, quam Christus Dominus instituit: præcipit enim, ut quisque peccata sua quotannis sacerdoti confiteatur; at confessio, quæ est à Christo Domino instituta, debet esse integra omnium peccatorum, & ideo confessio, quam iubet Ecclesia, comprehendit etiam interna, quoniam nihil aliud imperat Ecclesia, nisi, ut quotannis semel peccata confiteamur: deinde verò quod confessio ad interna peccata pretendatur, id ex iure diuino, ex Christi scilicet institutione descendit. **Septimum** argumentum diluimus negando idem esse iuris de reseruatione peccatorum, quod est de lege: nam cum Ecclesia crimen aliquod reseat, subrahit tantummodò materiam, à qua alioqui poterat sacerdos absolueret: subtrahit autem materia, eo ipso, nulla est reseatuati criminis absolutio, quæ legitimam, & subiectam materiam requirit: at verò lege aliquid prohibere, & præcipere, est iurisdictione vti, nimirum ius dicere in populos, vel homines nobis subiectos: & ea vetare, vel imperare, quæ cognoscere, & iudicare, ac punire possumus. Iurisdictionis igitur, quam exercemus in alios, requirit, & postulat causæ cognitionem, ut quis, vel absolui tanquam innocens, vel tanquam reus condemnari, & puniri possit, & proinde lex humana actus simpliciter internos imperare, aut prohibere nequit: alioqui enim posset in eos inquirere, & poenis debitis animaduertere.

Cap. XI.

Quinam humanis legibus teneantur.

PRIMO queritur, An Princeps legibus à se conditis teneatur? *S. Tho. 1. 2. q. 5. a. 5. ad 3.* facile videtur se expedire ab hac quæstione: **distin-** **guat** enim, quod attinet ad vim legis dirigentem, Princeps suis legibus teneatur: quod verò ad vim legis cogentem spectat, suis legibus solutus est:

& ideo

& ideo concludit, Principem in foro conscientie, & in iudicio Dei, debere suam legem seruare; non tamen lege compelli ad poenam subeundam. Vnde Romanus Pontifex suas Constitutiones non seruans, peccare quidem poterit, non tamen excommunicationem ipso iure latam incurere. Pari modo Rex infamiam non contrahit, quamuis peieret contra leges. Ex quo Cai. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Soc. lib. 1. de iust. q. 6. a. 7. conel. 3. & alij tanquam certum tradiderunt, Principes legibus a se latis in foro conscientie alligari.

Sed profectò hæc quæstio difficilem habet explicatū. Nam si Princeps suis legibus obli- gatur, id ideo erit, vel quia Deus, vel Ratio naturalis, vel Populus cum sibi legis textu, & vinculo obligauit, vel quia Princeps lege sua voluit se ipsū adstringere. In primis certe à Deo hæc obligatio non ponitur: nā fingamus lege Principis aliquid constitui, cuius diuinum ius nihil penitus meminerit: Nec potest à iure naturali hæc obligatio exoriri: ponamus enim legem esse à Principe latam de re nihil ad ius naturale pertinente. Nec populus item potest Principem sibi obligare, & obstringere, cum sit Populus legis potestati subiectus. Denique, Princeps nequit sibi ipsi imperare, quoniam nemo sibi imperat: ergo nec lex potest legislatores, & Principem tenere.

Porro quædam in iure Ciuili traduntur, ex quibus liquido constare potest esse Principem suis legibus solutum: nam in l. Princeps ff. de legibus, & Senatus consultis, planè dicitur: Princeps legibus solutus est (& subiungitur): Augusta autem ius legibus soluta non sit, Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent, & l. si de re sua, ff. de receptis arbitris, habetur, Iure sua nemo potest esse arbiter, neque iudex, neque enim imperare sibi, aut prohibere quicquam potest, Et in l. ex imperfecto ff. de legibus, & fidei commissis, dicitur, Ex imperfecto testamento legata, & fidei commissa Imperatorem vendicare, inuerecundum est. Decet enim tantam maiestatem seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur. Item, in l. instituitur, quibus modis testamenta infirmantur, ad finem habetur: Diuus Severus, & Antoninus sapienter rescripserunt: licet, inquit, legibus soluti simus, aut amen legibus viuimus, & l. ex imperfecto c. de Testamentis, ait Alexander Imperator. Ex imperfecto testamento, nec Imperatorem hereditatem vindicare posse, sepè cõstitutum est, licet ius imperij solemnibus iuris Imperatorem soluerit. nihil tamen iam proprium imperij est, quam legibus viuere. Et l. Digna vox. c. de legibus, & Constitutionibus, postquã dictum est, decere Maiestati imperatoriam profiteri se legibus alligari, subditur: & reuera maius imperium est subdere legibus principum. Vnde Iulius Capitolinus scripsit de Pertinaci Imperatore in Vita ipsius, in hunc modum: quod aperte professus sit nullius se adiutorum hereditatem, quæ vel adulatione alicuius delata esset, vel iure perplexa, vi legitimi heredes, & necessarii priuarentur. Et addidit in Senatu: sanctus est P. Censorum Republicam obtinere, quam ad diuitiarum cœmulationem, per discrimina atque dedecorum vestigia peruenire. Hæc ille Imperator prudenter, & sapienter. Ex quibus omnibus, vtriusque iuris interpretes colligunt, Principem teneri quidem legibus naturalibus & diuinis; suis tamen constitutionibus esse solutum. Sic Felinus in c. Canonum, de Consi. nu. 31.

At verò S. Tho. 2. q. 98. a. 5. ad 3. videtur, has omnes leges interpretatus, dicere Principem esse suis

legibus solutum in eo, quod pertinet ad poenam legis perferendam: nõ tamen in eo, quod attinet ad vim legis dirigentem.

In hac itaque Controuersia quædam sunt explorata, & certa apud auctores, in primis, Principem in omni contractu vel quasi contractu inito cum quolibet priuato homine sibi subiecto obligari alteri, cum quo contractum init: id quod communi consensu tum ciuili, tum canonici iuris doctores tradiderunt. Cynus in l. Digna vox. c. de legibus, & Constitutionibus. Baldus, & Paulus Castrensis in l. Princeps ff. de legibus, & Senatus Consultis, Abbas, & Ioan. Andr. in c. 1. de Probationibus. Idem Ratio naturalis conuincit: nam cuius cum Principe contrahens vi contractus ei obligatur: sed contractus non potest ex altera parte vim habere, & ex altera prorsus vi carere ne ex vna parte claudicare videatur. Item, relatorum eadem est ratio; ergo si vi contractus, Princeps sibi obligat ciuem, cuius quoque sibi Principem obstringit. Nam in contractu vel quasi contractu inter Principem & ciuem, Princeps potius habet rationem priuati hominis, quam publici. Secundo etiam, illud constat apud omnes, quandocumque statuta sunt populi, Ciuitatis, Collegij, vel Comunitatis, singulos ciues ea tenere: nam communitas est persona quædam ficta, & singuli sunt priuati quædam personæ, membraque totius communitatis, & proinde singuli eiuusmodi statutis tenentur, & ideo quod totum Collegium Monachorum, vel Canonicorum, vel Clericorum, vel Scholasticorum statuit, eorum singulos tenet. Tertio etiam conuenit inter omnes; Quandocumque statuta aliqua condit tota communitas, eis etiam teneri eum, qui toti Communitati præest, quoniam communitatis præfectus, quamuis eo ipso, quod præest, habeat ius, & auctoritatem conuocandi, & primo loco sedendi, ac primum suffragium ferendi: nihilominus tamen toti communitati in vnum congregatæ subijcitur. Sic enim præest solet Canonicorum Collegio Decanus, siue Præpositus.

Huius igitur quæstionis cardo in eo vertitur: An Princeps sit solutus suis legibus ad totum populum latis? quod est dicere, An legibus reuocatorum, quæ toti populo Christiano indicuntur, Romanus Pontifex teneatur; & an Imperator suis quoque legibus imperatoris, & Rex constitutionibus Regijs? Duæ sunt opiniones; vna docet eum teneri, ita vt si eas leges non seruet, se peccato commaculet, quamuis poenas legis à se constitutas minime subire, & perferre cogatur. Hanc opinionem sequi videntur Caiet. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Soc. lib. 1. de iust. q. 6. a. 7. quamuis meo iudicio à cæteris re nõ dissentiant, sed verbis. Altera opinio Principem legibus solutum esse contendit. Ita sentiunt vtriusque iuris interpretes: quæ sententia quibusdam magis videtur cum iure scripto, & Ratione ipsa congruere. Cum iure quidem; nam ex legibus paulò ante citatis perspicue constat, nequaquam suis legibus Principes teneri. Cum ratione verò, quoniam lex non fertur nisi ad subiectos legislatori ciues, vi facit colligi potest ex cap. quod auctem, de penitentis, & remissionibus, & cap. A nobis, de sententia excommunicat. Præterea, par non habet imperium in parem, ergo sicut Princeps

non potest vi legis succedentem sibi principem ligare, ita nec seipsum. Accedit id, quod dicitur in l. si de re sua, ff. de receptis arbitris; *Nemo imperare sibi ipsi, aut prohibere quippiam potest.* Insuper Romanus Pontifex habet auctoritatem à Christo, non à populo, ergo non potest humana potestate alligari. Obijciens, saltem ceteros principes, ut Imperatores, & Reges omnem suam potestatem à populis accepisse: contra hoc inquirunt, vrget argumentum: nam populus sese auctoritate sua abdicauit, eamque transfudit in Regem, vel Imperatorem: ergo lex Imperatoria, vel Regia populum quidem tenet, principem verò non item. *Fateor itaque principem esse suis legibus solum quatenus ipse leges sunt: neque enim princeps sibi imperat, aut sibi præcepta, vel leges dat; sed iure naturali (quod ipsa æquitas, & honestas rationis præscribit) princeps suas leges seruare debet: & hoc non est principem suis legibus alligari; sed iure naturali debere id facere; quod ipsa æquitas, & honestas rationis postulat.* hoc enim est quod docuit S. Thomas, principem suis legibus ex honestate rationis obstringi: *Quapropter existimo Sotum, Caietanum, & alios in hac parte nihil, aut parum dissentire à iuris peritis: nam hi nihil aliud volunt nisi leges principis, ut ipse sunt leges, eum non tenere: illi verò contra volunt principem suis legibus ligari, non vi ipsarum legum, sed ex æquitate, & honestate rationis.* Nam recta ratio præscribit, ut seruet princeps leges, quas condit: ita ut graue peccatum non contrahat, si eas non seruet; at ex honestate rationis decet principem id facere, quod lege sua imperat, ut suo exemplo alios inuitet, alliciat, flectat & moueat, ac ne quispiam possit occasionem arripere perfringendi legem. & quia lex eo ipso, quod est iusta, decet maxime principem, ut iuxta eam viuat, quamuis ad eam seruandam vi ipsius legis in interiori foro minime cõpellatur. *Obijciunt his, quæ hæcenus dicta sunt aliqui nonnulla. Primum illud vulgatum, & tritum: Patere legem, quam tu ipse tuleris; & illud: quod quisque iuris in alterum constituit, eo quoque ipse debet vti: item, quod tibi non vis, alteri ne feceris; id quoque Christi Domini Matth. 23. Alligati onera grauius, &c. Respondemus, his omnibus locis solum ostendi, debere Principem quadam naturali æquitate, & honestate rationis suas leges seruare, non tamen eis ita teneri, ut si non seruet, graue peccatum semper incurrat, quale nimirum priuati contrahunt: nec enim qui contra naturalem honestatem rationis agit, eo ipso propterea sese graui peccato obstringit. Item, supra dicta omnia in contrarium obiecta locum habent, cum Princeps contractum, vel quasi contractum seipsum alteri obligat: tunc enim legem pati debet, quam tulit, & ius quod constituit, seruare. Christus Dominus cum dixit: *Alligati onera grauius, & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum, &c. de Scribis, & Phariseis loquebatur, qui hoc factitabant: Princeps quoque debet iuxta naturalem æquitatem, & honestatem rationis onera alijs imposita mouere eo modo, quo potest. Secundo obijciunt: Princeps est Reipublicæ pars, est enim ipse caput, & membrum præcipuum; at pars debet cum toto cõuenire. Respondet, partem etiam esse familiæ partem, & Dominum quo-**

que: & tamen pater, aut Dominus non tenetur ijs præceptis, & legibus quibus familia: sic etiam Princeps legibus latis ad populum, minime alligatur. Certè Arist. 3. ethic. ca. 9. testatur, legem esse inter æquales, nimirum inter ciues, & Regem esse legibus solum, sicut nec Dominus, nec pater familiæ legibus adstringitur. Tertio obijciunt id, quod in Instit. habetur, Populum scilicet transfuisse suam potestatem in Principem: sed verosimile est ita transfuisse, ut erat antea penes populum, sed quando penes populum erat, singuli lege lata à populo tenebantur: ergo semper sibi eam populis referuauit, ut singuli legibus obstringantur. Respondet, in ea quodam fuisse sententia, ut dicerent, ante Vespasianum omnes Imperatores fuisse legibus subiectos ita ut primus ipse fuerit, in quem hoc beneficium populus contulerit, ut suis legibus solueretur; & deinde hoc idem tribuere cõsueuisse cæteris Imperatoribus iustis, & bonis. Cæterum hoc aperte pugnat cum eo, quod dicitur in l. Princeps, ff. de legibus, Principem Augustum tribuisse, ut ipsa quoque soluta esset legibus; sed præter Imperator: ergo sicut Imperator potuit Augustum soluere legibus, ita etiam poterat & seipsum.

Dicendum itaque est, (quod deduci potest ex Dione historico libr. 53. & Strabone libr. 15. Geographiæ) Augustum obtinuisse anno, quo victus est ab eo M. Antonius, ut esset penitus suis legibus solutus; quod deinde cæteri Imperatores habuerunt, siue id Augustus sibi per tyrannidem assumpserit, siue concessu, & auctoritate populi impetraverit, siue sua id auctoritate constituerit assentiente, & adulate populo. At, iniquis, Equum opus erat, ut Augustus id obtineret atque decerneret, si ex natura rei ipse Princeps suis legibus solutus esset. Respondet, id Augustum meritis constituisse; ut aperte constaret, quo pacto tota populi potestas esset in Imperatorem translata: potuit enim populus ita transferre, ut sibi hoc vnum referuaret: sicut etiam cum Reges creat, potest, si velit, eos ea conditione sibi præficere, & tunc Imperator, & rex suis legibus teneretur; & ideo declarauit Augustus non sic in ipsum populi auctoritatem esse traductam, sed ita, ut legibus esset solutus, & liber: quod deinde imitati, & secuti sunt Reges etiam ij, qui Christianorum populis, & rebus publicis dominantur.

Secundo queritur, An Episcopi, & cæteri similes Ecclesiarum Antistites statutis à se conditis alligentur? Hanc questionem agitauit Ioannes Andreas in cap. Qui licet, de Regulis Iuris in 6. Dicit sententia; prima docet eos teneri, quamuis lege non compellantur ad penas subeundas. Exemplum sit; Statuto interdicit Episcopus Clericis aleæ ludum, alioqui si luserint, ipso facto sint excommunicati: ipse deinde contra suum statutum ludit alea; peccat quidem Episcopus, at tamen in excommunicationem non incidit. Huius sententiæ auctores aliquos citat Ioannes Andreas loco prædicto; atque hoc illi probare nituntur tribus argumentis. Primum, quia supremi Principis proprium est, ut suis sit legibus solutus: hoc enim ipsi Principi, non alijs tribuit ius Ciuile in legibus supra citatis. Deinde, quia iure communi constitutum est, ut inferiores Prefecti & Magistratus suis statutis alligentur. Postremo, quoniam Episcopus

statutum

statutum condit, quatenus personam publicam gerit, at verò vt priuatus homo, vna cum cæteris suo statuto tenetur. Altera opinio quæ dicit non teneri; est Ioannis Andræ loco citato: quod hac ratione probat, quia sicut Princeps suis legibus est solutus, cum nemo sibi ipsi possit imperare; sic neque Episcopus suis potest statutis alligari, alioqui sibi ipsi præciperet. Deinde, sicut prior Episcopus non potest posteriorem suis statutis constringere, cum par non habeat ius in parem, ita nec seipsum potest.

In hac controuersia primò mihi videtur dicendum, fieri potuisse, vt inferiores Principes suis Constitutionibus tenerentur, quoniam potestatem à supremo Principe habent: ac potuit supremus Princeps decernere, ne essent suis constitutionibus soluti: & hoc est, quod prima opinio docebat, eos vi iuris communis suis statutis esse subiectos. Verum ego cum non videam, vbi nam sit hoc iure cõmuni sancitum; propterea secundo dicendum existimo, eos quoque suis statutis solutos esse, adeò, vt si contra fecerint, graue peccatum in foro conscientiæ non cõtrahant; quamuis ea ex quadam rationis naturali æquitate, & honestate seruare debeant. Et proinde nõ parum inferiores Principes à supremo principe distant: nam supremus tenetur legibus iuris diuini duntaxat, & naturalis, & solutus est toto iure cõmuni à se, vel ab alio sibi pari constituto: inferiores verò principes soluti sunt statutis suis, vel aliorum sibi parium, & æqualium: at verò tenentur, & iure naturali, & diuino, & cõmuni humano scripto.

Tertio quæritur, An ij, qui non sunt legislatoris potestati subiecti, eius legibus, vel statutis tenentur? quod est quærere, An externi, hoc est, aduenæ, & peregrini, quos passim vtriusque iuris doctores appellant forenses, statutis vel legibus alligentur, quibus stringuntur incolæ, & subditi eius? Hanc quæstionem disputant ciuilibus iuris interpretes in l. cunctos populos. C. de Summa Trinitate, Cynus, Dinus, & Bartolus, Salicetus, Pontificij iuris doctores in c. A nobis 1. de sententia excommunic. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharanus, Antonius Butrius, Abbas, & Felinus. Item Syluester, excommunicatio. 2. num. 5. 6. 7. 8. Angelus excommunicatio 1. q. 10. Communis omnium est sententia, eos legibus, vel statutis minimè teneri, ea ratione quòd legislator ius, & potestatem in externos non habet, quisque verò ratione originis suæ est potestati principis subiectus. Nam ciues origo, manumisso, allectio, hoc est, euectio ad honorè, vel dignitatem ciuitatis, vel adoptio facit, vt dicitur in l. ciues. C. de incolis, lib. 10. Incola est, qui aliunde veniens, siue alibi ortus hic domicilium collocauit. l. ciues. C. de incolis, lib. 10. l. Pupillus, §. Incola, ff. de verb. & rerum significat. Municipem facit, aut natiuitas propria, vel paterna; aut manumissio, vel adoptio. l. Municipem, ff. ad municipalem.

Est tamen animaduertendum, Aduenas, & peregrinos aliquando ligari legibus principum, vel statutis populorum ratione delicti in loco commissi: nam ob delictum alicubi patratum, interdum quis iurisdictioni, & potestati alionæ subijcitur: vt si peregrinus quippiam furetur, tenetur lege, & statuto, & punitur poena eo loco in fures constituta, s. licet ratione de foro compet. l. 1. q. 2. §. 1. §. 1.

C. Vbi de criminibus agi oporteat. Item, nonnunquam externi statutis, vel legibus tenentur, ratione rei quam alicubi possident: vt si quis extra patriam suam habeat vinea, oliueta, vel domos, vnde coram eo iudice debet agere actor, in cuius prouincia, vel loco sita est res litigiosa. l. Actor. C. Vbi in re actio, §. 1. Forma, §. si verò, ff. de censibus. Glossa in cap. Sa ne, de foro competenti. Præterea, ratione domicilij, siue habitationis in loco, vbi commorantur: aliquando enim Aduenæ, & peregrini extra patriam domicilium habent; & ita Clerici Beneficia habentes subiiciuntur statutis Ordinariorum in locis, in quibus ad commorandum, & residendum iure, & lege compelluntur: & potest quis in duobus locis domicilium habere, si vtrobi que æqualiter se collocasse videatur, ff. Ad municipalem, l. Affumptio, §. Filius, & Gloss. in c. Dilectus filius, de rescriptis. Insuper externus contractum, vel quasi contractum cum aliquo faciens in locis, vbi contrahit, obligatur. Vnde in eo loco contraxisse quisque creditur, vbi, vt solueret, aut responderet, se obligauit. l. contraxisse, ff. de actionibus, & obligationibus. Viatores, & peregrini statutis, & moribus eorum, per quorum loca transeunt, vel ad quorum loca veniunt confestim recessuri, profecturiue, non subiiciuntur nisi ex causis supradictis. Sed dubiæ quæstionis est, an Viatores teneantur ijs legibus, statutis, vel cõsuetudinibus, quæ seruantur circa ieiunia, & abstinentiam, & delectum ciborum, & circa obseruationem dierum festorum in locis, per quæ transeunt, vel ad quæ veniunt. De hac quæstione breuiter Abbas in c. consilium, de obseruatio. ieiuniorum, & Gloss. in c. qua contra, d. S. c. illa. d. 12. Abbas generatim dicit eos teneri, vnde, inquit, peccant Catholani in Sabbato comedentes carnes in his locis, ad quæ veniunt, quamuis in ipsorum patria edere soleant. Nam in c. illa. d. 12. habetur, in ad quamcumque sorte Ecclesiam veneris, eius morem serua: si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi. & c. quæ contra. d. S. dicitur, nulla ciuis, vel peregrini libidine violetur cõsuetudo in loco recepta. & c. consilium, de obser. ieiuniorum. legimus, iure Episcopum posse præcipere, vt consuetudo in patria recepta obseruetur ab omnibus. At Glossa citata distinguit; aut viator venit ad locum commoraturus ibi, & tenetur legibus receptis in loco: aut venit cõfestim recessurus, & nõ tenetur: quia non sortitur forum in eo loco, vt habetur in l. heres, §. proinde, ff. de iudi. Existimo dicendum, ratione scandalij, & offensionis vitandæ, teneri viatorem legibus receptis in loco, ad quem venit, etiã si recessurus sit: secus non teneri, nisi ibi moraturus sit.

Sciendum quoque est, eos, qui literis dant operam, & scholastici vocantur, esse quodammodo externos in eo loco, vbi literarum studijs inctubunt. De quibus illud vnum in præsentia dicimus, eos, quod pertinet ad crimina, iure cõmuni subesse iurisdictioni Episcopi ciuitatis, vel Rectori Academicæ, siue gymnasij. Gloss. in Authen. C. ne filius pro patre. Horat. de primi. Schola. c. 64. Sed cõsuetudine, quod ad Professores, & Magistros spectat, Magistratus ciuitatis solet esse eorum iudex in criminibus. Denique, vsu receptum est alicubi, vt Episcopus sit iudex, quum Scholasticus est clericus, cum verò laicus, iudex est magistratus ciuilibus: consuetudo gymnasij est vbi que seruanda: vt ait Iulius Clarus, l. 5. sentent. recep. in pract. crimin. q. 35. n. 23. At Scho-

laſtici ſubijciuntur, quod attinet ad Sacramenta neceſſaria, Ordinario loci, vbi literis nauant operam: Quòd verò pertinet ad ſacramenta non neceſſaria, ſuo Epifcopo ſubieſti ſunt: quòd fit, vt ad ordines promoueri non poſſint abſq; ſui Epifcopi facultate & literis dimiſſorijs, ac ita etiã eorum vota, & iuſurádum nec cõmutari, nec relaxari poſſunt ſola auctoritate Epifcopi eius loci, vbi literas addiſcunt, vt ait cum alijs Sylueſt. *domicilium nu. 2. & 3.* Milites verò poſtquam militiam ſubijciunt belli Ducibus, & eorum ſtatutis: more tamẽ videtur eſſe receptũ, vt in omni crimine, quod admiferint, à belli Ducibus puniantur. Iulius Clari. *lib. 5. recep. ſentem. praſt. crim. q. 35. n. 2. 4. & q. 38. nu. 4.* Vagantes huc, & illuc, qui nullibi domicilium habent, ob crimina commiſſa, in quolibet loco, vbi inueniuntur, puniri poſſunt. *Gloſſ. in l. 1. c. 7. bi de criminibus agi oportet,* quam ait Couaruuas eſſe communi conſenſu receptam; quamuis ipſe putet eſſe remittendos ad locum, vbi delictum commiſerunt, vt ibi puniantur, in *practicis. queſt. ca. 11. num. 7.* Iulius Clari. *lib. 5. recep. ſentem. in Practic. criminal. q. 39. nu. 7.*

Quartò quaeritur, An vſu rationis carentes, legibus teneantur. **Conuenit** inter omnes: neq; legibus adſtringi, nec teneri poſſe: ratio eſt, quia nõ imperamus, niſi ijs, qui præcepta intelligere, & eis parere poſſunt: & obedientia eorum eſt, qui vſu rationis, & voluntatis ducuntur.

Primum tamen id obijciunt, quòd infantes, & paruuli ſepultura ſacra in loco diuini interdicto priuantur, à ſacris item arcantur, ergo tenentur legibus interdicti. **Reſpondeo,** Interdictũ eſſe duplex, locale ſic dictum, quo certus locus ſacris interdicitur; & personale, quo certis hominibus, vel toti Collegio, aut Communitati interdicitur facrorum vſus: **Ob delictum enim capitis,** vel tota aliqua vniuerſitas hominum, vel certus locus diuini interdicti ſolet: & tunc interdicto tenentur etiam paruuli: nõ quòd infantes contra leges interdicti delinquant, ſi ſacris interſint: ſed quòd peccent ijs, qui ad ſacra ipſos admittunt, nam ob capitis crimen meritò priuantur bonis Eccleſiæ. Innocentes enim nonnũquam propter fontes, & nocentes pœnas perferre coguntur. **Secundò obijciuntur:** Infantes lege ſacri baptiſmatis tenentur. **Reſpondeo,** baptiſmum habere vim & legis diuinitus conſtituæ, & remediũ ad gratiam, & vitam cœleſtem conſequendam neceſſarij. Adulti ad baptiſmum ſuſcipiendum cõpelluntur, tum ratione præcepti, tum ratione remedij: Infantes verò præcepto, & lege baptiſmi minimè tenentur; ipſis tamen eſt neceſſarius baptiſmus tanquam remedium ad gratiam, & vitam æternam aſſequendã. Vnde ſi ſacro baptiſmate non abluantur, illi quidem non peccant, quia legem vel præceptũ non violant, à peccato tamen originis nequaquam mundantur, & proinde in cœleſtem patriam non recipiuntur.

Quintò quaeritur, An Conſtitutio Pontificia generatim, & in vniuerſum lata teneat quoq; ipſos Romanæ Eccleſiæ Cardinales? hanc quaſtionem latè tractauit Alba. de Cardin. *q. 42. prinũ. 13.* **Quæſtio eſt** de ijs Conſtitutionibus Pontificijs, quæ Bullæ vocantur, & quæ ab ipſo Pontifice con-

duntur Cardinalium cõſilio. **Rurſus hæc quaſtio** intelligitur de odijs, & pœnis: nam certum eſt in ijs, quæ in fauorem, & bonum Cardinalium cedunt, ad eos quoque Conſtitutiones Pontificias extendi. **Dux** ſunt opinioniones; **Prima** negat eos cõprehendi Conſtitutione generatim lata: quia Romanus Pontifex Conſtitutiones condit vna cũ Collegio Cardinalium, ita vt ipſe, & Cardinales conſtitutiones, & leges ad cæteros ferre videantur. **Prætereà,** eos Romanus Pontifex, cũ Conſtitutiones ſancire ſoler, fratres appellat. Ita ſenſerunt Hoſtien. Io. Monachus, Pet. Anchar. *c. 1. de ſchiſma. Barba. c. In noſtra, de reſcrip. Oldrad. conſ. 293. Roman. conſ. 498. Laſ. conſ. 117. volũ. 4.* **Secunda opinio** docet eos comprehendendi quando id, quod conſtitutione vetatur, eſt per ſe malũ, aut erat aliqui iure communi interdicitum, vel quando, quod imperatur, eſt per ſe bonum, aut erat aliqui communi iure decretum. Id tradidit: vt Archidiaconus, Ioannes Andreas, Dominicus, & Felinus, quos citat Alba. de Cardin. *q. 42. prinũ. 13.* eo vnicò argumento permoti: nam cõprehenduntur Cano. in *c. Si quis ſuadente. 17. q. 4. & Canone in ca. Omnis vtriuſq; ſexus de Penit. & remiſſ. & c. Pro humana. de Homic. in 6. & cap. Nemo deinceps de elect. in 6. & Extrauag. Inuincibilis, de elect. inter communes. & Extrauag. Excommunicamus, de ſent. excommunic. inter cõmunes. Item, in *c. Canonum de conſtitutionibus decernitur, Canonis ſtatuta ab omnibus obſeruari debere.* Item, quia Cardinales, Regulis Cancellariæ alligantur, quod latè oſtendit Ludouicus Gomezius in *earum Regularum protimio. q. 4.* Niſi quantum in ijs, in quibus Cardinales, vel iure cõmuni, vel iure nouo expreſſo vel more, & vſu Curie expreſſitur: Felin. in *c. ad aures. de reſcrip.* dicit Franciſcum Paulinum Auditorẽ in *Rota referentẽ* in Rota iudicatum ſæpe fuiſſe Cardinales generalibus Romanorum Pontificum cõſtitutionibus alligari. **An aduertendum eſt.** Doctores conſuſe hanc quaſtionem tractare: nõ enim quaſtio eſt, an Cardinales comprehendantur Canonibus, vel Conſtitutionibus generalibus iuris communis, hoc eſt, quæ in iure cõmuni præſertim antiquo cõtinentur: his enim comprehenduntur: item cõprehenduntur Canonibus, vel Conſtitutionibus generalibus editis à Concilio generali. **Quæſtio ſolum eſt.** An comprehendantur Canonibus, vel Conſtitutionibus quas cõſilio ipſorum Pontifex ponit, & condit. Vnde non quaeritur, An teneantur Conſtitutionibus Concilij Tridentini, aut aliorum Conciliorum generalium: An ligentur Conſtitutionibus generalibus, quæ in corpore iuris canonici cõmunis continentur: Quare ſoluti non ſunt iure cõmuni circa multitudinem beneficiorum, circa præſentiã aſſiduam, qua in ſuis Eccleſijs Antiftites cõmorari, & aſſe debent: ſoluti nõ ſunt Canonibus iuris cõmunis, de ſimonia: ſoluti nõ ſunt legibus ſeruãdi ieiunia indiſta ab Eccleſia, & dies feſtos, & ſacros; diuini officij præces recitandi, annuam peccatorum cõfeſſionem quotannis faciẽdi, Euchariftiam in Paſchate ſuſcipiẽdi, & alijs huiusmodi Conſtitutionibus. **Quæſtio igitur eſt** de Conſtitutionibus quas cõdit Pontifex ipſorum cõſilio. **Exiſtimo** autem Cardinales non teneri Conſtitutione generali edita contra Clericos, vel contra beneficiarios, vel cõtra eos, qui dignitates vocantur: quoniã etiã cardinales*

nales sunt Clerici, sunt beneficiarij, sunt dignitates; habent tamen aliquid singulare, & eximium in quo præcellunt. Vnde vt comprehendantur, solet addi. *Clerici beneficiarij, cuiuscunq; status, conditionis, & dignitatis sint.* Item, si Constitutio vniuersim condatur cõtra Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, non puto ea ligari Cardinales, etiam si sint Episcopi, vel Patriarchæ. Præterea si lex feratur de re, siue materia aliqua, in qua Cardinales specialibus gaudent priuilegijs, nõ tenentur ea lege vniuersè lata, quoniam lex generalis non adimit & abrogat priuilegia peculiariter alicui cõcessa, vt est cõmunis opinio. Item, si constitutio generatim cõprehendat curiales, non protenditur ad Cardinales. Sed quid dicendum, si Summus Pontifex constituat, vt omnes, qui Ecclesiasticos redditus habent, soluant certum subsidium, siue pensionè ad impensas, quæ sunt in debellandis Christiani nominis hostibus. Alb. ait, ea constitutione teneri Cardinales, nisi excipiantur, sed non alligari ijs cõstitutionibus, quibus interdiceretur aliquid contractus absq; certa solenni formula, si damnaretur solum ad euitandas fraudes; at id nõ videtur satis firma ratione comprobare: nõ Cardinales debent in contractibus à fraudibus procul abesse, & nõ est, cur suspecti nomine fraudis haberi non queant. Probabilis igitur est opinio Hostiensis, in constitutione generali Pontificia, quod attinet ad pœnas, & odia, non comprehenduntur Cardinales nisi exprimantur. An comprehendantur generalibus regulis Cancellariæ, dubiæ quæstionis est. Sarnen. in *proemio regular. q. 4.* & super regulam Cancellariæ *de infirmis resignan. q. 3.* affirmat eos comprehendendi, & citat pro se Felinum, & Franciscum Pauinum. Sed Mandosius super regulam *eundem de infirmis. q. 2.* negat eos comprehendendi; idem autem ipsum sentierunt Ancharanus, & Romanus, vt ait Sarnensis, & hoc est probabilius, & verius: quoniam, vt dixi, generali constitutione Pontificia nõ continentur, nisi exprimantur: siue hoc sit, quia, vt ait Hostiensis, Cardinales cum Pontifice ceteros omnes iudicant, siue quia Pontifex, non creditur eos velle comprehendere generali sua constitutione, nisi cum id exprimit.

Sextò quæritur, An Augusta, vel Regina legibus teneatur? Ratio dubitandi est, quoniam in *l. Priscos, ff. de iure Fisci*, Augusta dicitur habere eadem priuilegia, quæ habet ipse Princeps. itè, Augusta censetur eadem persona, quæ Princeps: at Princeps solutus est legibus, ergo & Augusta. Ac verò in *l. Princeps ff. de legib.* plane dicitur: *Augusta licet legibus soluta nõ est, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habent.* Dicendũ itaq; est Augustam legibus teneri, beneficio tamen Principis legibus esse solutã. Vnde expressè nonnunquam eam leges excipiunt.

Septimò quæritur, An Græci, & Oriëntales clerici more Græcorum viuentes, teneantur Canonibus Latinorum Constitutionibus? Abbas in *c. Canonum, de Constitutionibus*, hanc quæstionem proponit, & lectore mittit ad Gloss. in *dijl. 20. c. de libellis*, sed certè eo loco Glossa strictim, & cursim quæstionem tractauit. Augustin. Beronius *c. Canonum, de constitutionibus. nu. 197.* hanc quoque quæstionem mouet, & tandem concludit, eos teneri. Idq; probat ex eo, quòd Ecclesia vnũ corpus constituit, cuius ca-

put est Christus Dominus, & summus Christi Vicarius, qui est Romanus Põtifex, cuius est præesse cunctis, & cuius auctoritate, & potestate omnes tanquam Christi oues reguntur, atq; gubernantur, Canones & decreta Ecclesiæ confirmantur.

Sed profectò in hac re distinguere nos oportet; non enim idem est, quærere, an Græci, & Oriëntales clerici latinorum constitutionibus teneantur: quod an Romani Põtificis potestati subiecti sint: nam iure diuino, hoc est, institutione Christi, Romani Pontificis tanquam supremi in terra Christi Vicarij potestati subditur, vt suo in loco dicam inferius: sed quærimus, an Canones in Latina, & Occidentali Ecclesia generatim constituti, & decreti, Græcos etiã, & Oriëntales clericos teneant: nam etsi vnũ tantum sit Christi ouile, & vnus supremus ipfius Christi Vicarius, nempe Romanus Pontifex, qui totius ouilis sibi commissi curam habet, nihilominus tamè decerni, & constitui Canones, & ferri leges possunt ad Latinos tantum, & Occidentales clericos, nõ ad Oriëntales; quia cum feruntur, & constituuntur hi, aut illi Canones, vult Pontifex expressè, vel tacitè, vt Occidentales, non Oriëntales clericos teneant. In primis igitur, iure Canonico cõmuni, quo Ecclesiæ Latinorum vtuntur, multi Canones antiqui continentur, quos ediderunt generalia Concilia eo tempore, quo Græci, & Oriëntales clerici nõdum erant à Latinis separati, & diuisi: & huiusmodi Canonibus, tum Græci, tum Latini tenentur per se: nam ex accidenti fieri potest, vt Græci, & Oriëntales soluti sint, quoniam apud ipsos vsu, & consuetudine multi Canones sunt, vel ex parte abrogati, cum tamè eos Latini adhuc more, & vsu retineant. Deinde, dubitari non potest, quin apud Græcos, & Oriëntales multa sint, vel vsu recepta, vel etiam iure antiquo communi introducta longè contraria his, quæ apud Latinos iure, vel vsu antiquo seruantur. Hinc etiam Græci ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus sabbatum perinde ac Dominicam diem piè, ac religiosè colunt: ex ijs, qui sunt matrimonij vinculo adstricti, aliqui ad ordines promouentur: filij presbyterorum ordinibus quoque initiantur: ter aut quater quotannis quadragenarium ieiunium seruant: in priuilegijs Apostolorum ieiunium non suscipiunt: ante sacros ordines Lectores tantum Clericos præficiunt, non Ostiarios, non Exorcistas, non Acolythos: aliter diuinas præces recitant, aliter diuini officij pensum exolunt: in fermentato pane sacrum Christi corpus cõficiunt: ijs, quos presbyteri sacri baptismatis aqua proluunt, confirmationis sacramentum ministrant: Eucharistiam paruulis etiam infantibus præbet: multa deniq; alia, tum in Missarum sacrificijs faciendis, & offerendis, tum in sacramentis conferendis vel etiam suscipiendis obseruant, cum tamen longè alijs ritibus, moribus, & institutis vtamur. Demũ negari non potest, post diuisionem Græcæ Ecclesiæ, & Oriëntalis à Latina plures extare in Latinorum Ecclesia Canones editos, qui duntaxat ad commune Latinorum bonum tuendum, & retinendum constituti sunt, nimirum de conseruandis Latinæ Ecclesiæ legibus, decretis, moribus, institutis, ac ritibus: & huiusmodi canonicis cõstitutionibus Græci minimè tenentur:

tales sunt plerique Canones editi de electione, presentatione, promotione, & ordinatione Clericorum, de concessione, institutione, erectione, vnione Ecclesiarum, & beneficiorum, de simonia, de sententia excommunicationis, de suspensione, interdicto, irregularitate. Sunt ergo, vt dixi, Graeci, & Orientales Romano Pontifici, vt summo Christi Vicario iure diuino subiecti, vnde eis ius dicendi, leges, & constitutiones ac praecipua dandi, potestatem, & auctoritatem habet, sed eo iure, & potestate non semper vtitur, nec ad eos leges ferre creditur.

Cap. XII.

Quo iure Clerici sint civilibus Principum legibus soluti adstrictiue.

PRIMO quaeritur, An Clerici sint iure diuino soluti legibus civilibus Principum. Nemini dubium est eos esse à civilibus Principum Constitutionibus exemptos, & liberos; sed quaestio est, quo iure soluti sint, diuino, an naturali, an humano scripto; quod si humano scripto, num civilis, an vero Pontificio, & Canonico. Duæ sunt opiniones; vna eos docet esse exemptos, solutos, & liberos à civilibus Principum statutis iure diuino, & naturali; Quam sententiam existimo esse iuris canonici interpretum, eam enim habent Innocent. Hostien. cap. 2. de maior. & obed. Gloss. in c. si Imperator d. 96. in verbo disuti, & in c. quamquam de cens. in 6. in verbo diuino: Ioan. Andr. Dominic. Archidia. Anchar. Franchus in c. quaquam de cens. in 6. Abb. Felin. Deci. Butrius in c. Ecclesia Sanctae Mariae de constit. Cardin. in c. perpendimus, oppos. 7. de sent. excom. Rota in antiquis decis. 10. de consuet. Auzerius Clem. 1. de offic. Iudicis ord. vers. ad quaestionem. Roman. in singul. 419. Rochus Curtius in c. xii. de consue. Rebuff. in concordatis. Rub. de protest. Quam sententiam multis argumentis comprobant.

Primo ex diuinis scripturis arguunt Genes. 47. Ioseph, cum totam Aegypti terram Regi obligasset, & tributariam sive vestigalem fecisset, Sacerdotum terram excepit, quam voluit esse liberam & 1. Esdrae 7. excepti sunt Sacerdotes, & Leuitae à lege soluendi tributa Regi Persarum; & Psal. 114. dicitur, Nolite tangere Christos meos; hoc est, vnctos meos; at Clerici tales sunt: Deo enim consecrantur, & Matth. 17. Cum obijceretur Apostolis, quare censum Augusto Imperatori, sicut cæteri, non pederent, & cum Christus Dominus interrogasset Apostolos, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, & censum, à filiis suis, an ab alienis? dicenti Petro, ab alienis, intulit ipse Dominus, ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, tolle, & da pro me, & te: Christus igitur exceptit à censu soluendo, & se ipsum, & Petrum, cui suam Ecclesiam gubernandam commiserat. Numerorum quoq. 18. dicit Deus, se tradidisse Sacerdotibus decimas, vt ipsi ei in Altari inseruirent, ergo Clerici hoc ipso, quod sunt rebus sacris, & diuinis addicti, à civili Principum potestate eximuntur. Deinde argumentantur ex iure Canonico, nam in c. quamquam de cens. in 6. planè dicit Bonifacius VIII. Clericos, & eorum bona, non solum humano iure,

sed etiam diuino à potestate civili eximi, & liberari; Idem deducitur ex cap. non minus de immunitate Ecclesie vbi Pontifex in Concilio Lateranensi ait, vt deterioris conditionis, sub eis (videlicet sub laicis) Christianis, Sacerdotum videatur, quam sub Pharisæis fuerit, qui diuine legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis, Sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit; Et ex cap. si Imperator d. 96. vbi habetur; Domino instituentem ad Ecclesiam pertinere Clericorum, & Ecclesiarum gubernationem, & curam, & paulò post dicitur, non à legibus publicis, non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari; & discuti. Hoc idem docere videntur multa c. que habentur in c. futuram 12. q. 1. & in c. conuenior. 23. q. 8. & c. continua 11. q. 1. Item in Historijs legimus apud Rufinum lib. 1. c. 2. Histor. Eccles. à quo accepisse videntur. Greg. lib. 4. epist. 75. Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, & Sozomenus li. 1. sue Historie c. 10. cum libelli essent oblato Imperatori Constantino Magno, in quibus ad eum accusationes de ferebantur aduersus Episcopos, Constantinum respondisse, ad se non pertinere de huiusmodi causis sententiam ferre. Quia solus, inquit, Dei iudicio referamini; Postremò idè ratione confirmant, nã si solum, inquit, iure humano scripto Clerici essent immunes, & liberi à potestate civili, possent Principes extorere, vel ex parte Clericorum immunitatem abrogare; hoc autem maximum Ecclesia detrimere asserret; ergo verisimile est, Christum Dominum eodem iure, quo suam Ecclesiam instituit, Clericos Ecclesiarum ministros, à civili laicorum iurisdictione excepisse. Hæc sunt primæ sententiæ argumenta.

Alteræ sententiæ negat, Clericos exemptos esse à civili laicorum potestate, iure diuino in ipsis, quæ ad temporalem gubernationem spectant, affirmat tamen liberos esse, & immunes iure canonico, & non solum civili: sic Medina de rebus restituendis quaest. 15. Victoria relect. 1. de potest. Ecclesie quaest. 6. pro. 2. Sorus in 4. d. 25. quaest. 2. artic. 2. conclus. 3. 4. & 5. Ledelma in 4. part. 2. q. 20. artic. 4. versio. Hæsitabis. conclus. 2. & 3. Palacios in 4. dist. 25. dist. 3. concl. 3. Salon 2. 2. quaest. 67. art. 1. contron. 1. conclus. 4. Bannes 2. 2. q. 67. art. 1. Covarru. in practico q. cap. 31. num. 2. versio. prima conclus. & lib. variat. resolut. 2. cap. 20. Nec hi tantummodo Doctores ita senserunt, sed etiam quidam alij scriptores cum ipsis conuenire videntur, inter quos citat Covarruias Petrum Ferrariensem in practico de confess. §. plenum. Aleiato in cap. cum ab homine de iud. Innocent. cap. 2. de mai. & obed. potuisset citare Henricum Gandauensem; Quamuis ego nihil tale lego in Aleiato, & Innocentium video scripsisse, Clericos exemptos esse, vel Imperatorum priuilegio, vel potius iure diuino, vel saltem pontificio, etiam Imperatoribus minimè requisitis, & Henricum inuenio dicentem in quodlib. 9. quaest. 21. Habent Clerici immunitatem exactionum secularium statuta Papæ, & Imperatorum, vbi de iure diuino, nihil dixit, nihil affirmavit, nihil negavit. Huius secundæ sententiæ auctores, eam multis rationibus probare conantur.

Primò, quia primis nascenti s Ecclesie tempo-
ribus, Clerici erant Principibus subiecti, vt con-
stat ex Paulo ad Rom. 13. Dicens, eos Principes
Ethnicos fuisse, & sibi vsurpasse ius, & potesta-
tem in Clericos. At contra hoc vim habet quod
ibidè dicit Apostolus: *Omnia anima potestatis sub-
iudicioribus subdita sit, & hoc propter ordinationem Dei, vbi
gloss. ait, omnia anima, nullus excipitur, neque ex-
cluditur, & Chrysostr. addit, omnia homo sine
sine Evangelista, sine Prophetia, sine Apostolus, sine quisq; tan-
dem sit; & paulò superius dicit, ista imperantur omni-
bus, & Sacerdotibus, & Monachis, non solum secularibus.
eodem modo exponunt verba B. Pauli, Theodo-
retus, Theophilactus, Oecumenius. Item Actor.
cap. 25. Paulus ait, ad Tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me
iudicari; Hoc dixit, quia causa tractabatur apud
Præsidem Cæsaris, fratres ei suadebant, vt Præsi-
dis iudicium recuset. Insuper 1. Petr. 2. legimus
debere omnes subijci Principibus, etiam disco-
lis, & Matth. 22. dixit Christus Dominus: *Reddite
que sunt Cæsaris Cæsari, & que sunt Dei Deo.* Deinde ar-
guitur, in sacris literis nullum extat diuinum præ-
ceptum, quo Clerici à ciuiliam Principum pote-
state soluantur. Præterea Christiana Religio Chri-
sti Domini cultores non liberat ab vilo alio ci-
uili vinculo; non à seruitute, non à coniugio, non
ab officio obedientie, non à debito pecuniario,
siue alieno ere: ergo nec Dominus soluit Cleri-
cos ab officio parendi Principibus. Adde his nul-
lam esse repugnantiam, si Clerici diuino cultui,
& muneri mancipati, sint alioqui Principum po-
testati in temporalibus subiecti; *Accedit*, quòd
Clerici cum laicis sæpe inire solent ciuiles con-
tractus empti, & venditi, depositi, pignoris, mu-
tui, accommodati, permutati, societatis: ergo &
possunt coram ciuilibus magistratibus conueniri,
vt stent conuentis, vt pacta, & promissa seruent,
vt iusta pretia soluant, vt depositam pecuniam
reddant, vt creditoris satisfaciant, vt debitum re-
stituant. Quid, inquam, si Clericus sit fur, latro,
homicida, adulter, pirata, læsæ Maiestatis reus,
veneficus, patriæ & republicæ proditor, & ho-
stis, parricida, clericaline cõsura, & habitu se de-
fendat, ac proteget? Nò ane est Reipublicæ pars?
nò ane est cinis vnà cum laicis? cur ergo si ci-
uitatem prodit, si Principi interitum machinatur,
si Reipub. perturbat, non capietur à laicis, non
punietur à Principe seculari? Ad extremum, si iure
diuino Clerici essent immunes, & liberi, nò pos-
set Romanus Pontifex Clericorum immunita-
tem restringere, & ex parte minueri, & tamen in
multis causis restringit, & minuit; non posset
Clericorum causas, & lites laicis demandare, vt
eorum iudicio cognita dirimantur, & tamen ex
gloss. in c. vnde d. 49, manifestum est, Clericorum,
& Ecclesiarum causas posse laicis Romani Pon-
tificis auctoritate committi. legimus itidem Ro-
manos Pontifices suas causas Imperatoribus de-
legasse cap. non. si. 2. q. 3. nò posset in super huiusmo-
di immunitas per consuetudinem tolli, vel mi-
nui, cum consuetudo contra ius diuinum vim, &
locum non habeat: & tamen multis in locis plu-
rimum mos, & vsus, contra Clericorum immu-
nitatem valuit: Hæc secunda sententia.*

In hac proculdubio graui, & difficili quæstio-
ne primum oportet, certa ab incertis, & ambi-

guis omnino fecernere; *Conuenit inter omnes,
Clericorum, & Ecclesiarum immunitatem esse iu-
re ciuili, & canonico multis in locis confirma-
tam. De hoc nulla est quæstio, sed quæritur, v-
trum Clerici iure diuino à ciuili Principum po-
testate soluantur. Constat etiam apud omnes
Martium Patalinum esse meritò ab Ecclesia
damnatum, eo quòd asereret, non solum Cleri-
cos, sed etiam Ecclesiarum Antifites, & ipsum
Romanum Pontificem Imperatoris potestati iu-
re diuino subijci, immò iure quoque diuino Prin-
cipis habuisse potestatem in Christum Dominum
tanquam hominem, quod ostendere nitetur ex
illo Ioannis 19. vbi Christus Pilato dixit, non habe-
res potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset de-
super, & ex his, quæ supra memorauimus ex Paul. ad
Roman. 13. & 1. Petri 2. & Acto. 25. & ex gloss. &
Chrysostr. o.*

Conuenit etiam inter omnes Theologos,
Clericos esse iure diuino à ciuili laicorum po-
testate in rebus spiritualibus, diuinis, & Eccle-
siasticis, immunes, & liberos; Talia sunt, sacra-
menta ministrare, sacra munera, & officia obire,
& exequi, sacras literas interpretari, peccata,
quibus in his delinquitur, punire, pœnas Eccle-
siasticas sancire, quales sunt excommunicatio-
nes, suspensiones, interdictiones, irregularitates, de-
positiones, & degradationes, idoneos Ecclesia-
rum ministros examinare, eligere, creare, insti-
tuere, confirmare, ad ordines promouere, vel alia
huiusmodi.

Præterea iuris diuini est, vt omnes fatentur,
Clericos, sacris vsibus consecratos, profanis, &
ciuilibus rebus, & negocijs perpetuò implicari
non posse. Nec Imperator, Rex, vllutue ciuilis
Princeps potest edicere, vt Clerici sacris rebus
addicti, arma tractent, militent, bella gerant, aut
alia secularia faciant.

Illud etiam nemo negat, quicquid iuris, &
potestatis habent laici in rebus spiritualibus, ha-
bere concessu, seu priuilegio, & beneficio Eccle-
siæ, quale est ius patronatus in nominandis, desi-
gnandis, & offerendis Clericis, qui præficiuntur
Ecclesijs, vel in beneficijs Ecclesiasticis insti-
tuuntur.

Item ius sepulturæ, ius exigendi pensiones, be-
nificijs Ecclesiasticis impositas, ius eligendi ali-
quos ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, &
alia huiusmodi iura, de quibus priuilegijs alibi
tractabo.

His igitur positis tota quæstio in duobus confi-
sit. Primo, An Clerici iure diuino sint à ciuili po-
testate, in his, quæ ciuilia sunt, & temporalia, libe-
ri, & exempti, v. g. si sit Clericus parricida, latro,
proditor patriæ, perduellis, vel sit ære alieno cõ-
strictus, vel ob rem emptam, conductam, vel de-
positam aliquid creditori debeat, quæritur, an iu-
ris diuini sit, vt coram Ecclesiastico, non ciuili Iu-
dice conueniri queat. *Secundò*, An Clerici sint
iure diuino immunes, & liberi à tributis, cen-
sibus, contributionibus, & cæteris omnibus, quæ so-
lēt ciuiles Principes laicis cõmuniter imponere.
Et in his duobus prædictæ duæ sententiæ versantur.

Ego profecto existimo prædictam primam sen-
tentiam, communi consensu canonici iuris in-
terpretum receptam, cum ratione naturali, &

Cum iure canonico, & diuino maximè congruere; nec est, quòd quispiam miretur, me alias Theologum iuris canonici doctorum potius, quàm Theologorum in hac parte sententiam amplecti; Nam in primis prima sententia, quam sequor, non solum est iuris canonici interpretum, sed etià Theologorum, eam enim probabiliorè putat Almaynus tract. de suprema potestate Ecclesiæ cap. 5. prop. 3. ad finem. Syluest. in verbo immunitas 1. q. 4. versic. secundum ad muneris. Ang. in verbo immunitas, nu. 33. vers. 11. vbi dicunt eam sententiam esse veriorem. Item quia quamuis Victoria, Medina, Sotus, Ledesma, Palatius, Salon, Bannes, & Couar. docuerint, Clericorum immunitatem in ciuilibus, & temporalibus iuris diuini non esse, aiunt tamen esse iuri diuino plurimum consentaneam: & certè veteres Theologi, vt S. Tho. Bonau. Alex. Alb. Scor. Richard. & alij nihil expressè de hac controuersia tractauerunt, sed solum Theologi iuniores à me citati; in super apud me maioris est pòderis, & firmamenti, quod in iure canonico lego, quàm quod prædicti recentiores Theologi tradiderunt, in c. Quamquam de censib. in 6. & c. si Imperator d. 96. & c. non minus, de immunitate Ecclesiarum, & c. nimis, de iureiurand. apertè dicitur eiusmodi Clericorum immunitatem, de qua tractamus, iuris esse diuini.

Et in dictis capitibus, quamquam, & non minus, sermo est de vacatione Clericorum à censibus, & alijs contributionum generibus, quæ exiguntur à laicis. Accedit itidem quod Innocentius III. in Concilio generali, & refertur in c. nimis, de iureiurando, sic ait, nimis de iure diuino quidam laici usurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad prestandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt. Præterea hoc idem colligitur ex Concil. Lateranensi, sub Leone X. sess. in bulla reformationis curiæ, versic. & cum à iure: vbi sic legimus. Et cum à iure iam diuino, quàm humano, laici potestas nulla in Ecclesiasticis personis attributa sit. Adde, quòd in Concil. Trident. sess. 25. de reformatione cap. 20. generatim dicitur sic, Et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constituam. Insuper hoc idem mihi videtur ipsa ratio comprobare; Nam Clerici sunt Deo dicati, & diuini vsibus deputati: ergo eo ipso sunt à ciuili laicorum potestate exempti: Nam in c. semel de regul. iur. in 6. habetur: semel Deo dicatum, non est ad res humanas vterius transferendum: Idem dicitur in c. Nulli, c. Prædix, 12. q. 2. & c. Quæ semel 19. q. 3. item in l. summa ff. de rer. diuisione, & in Insti. eodem tit. §. Nullius, & in cap. in legibus 12. q. 3. Res sacræ, siue oblatæ Deo dicuntur esse bona Dei, & in nullius hominis patrocinio, siue dominio esse; ergo eo ipso Deo tantummodo, non hominibus subijci, & subesse debent: sed Clerici sunt Deo dicati, & in Dei fortem electi, ergo nihil iuris in eos habet Princeps ciuilis: quid, n. illi cum ijs, qui sunt in sorte parte, & hæreditate Dei, vt eos suis legibus adstringat, & cogat, ad sua tribunalia trahat, in eos inquirat, & poenis animaduertat? Item milites sæculares militant mundo; ergo sacrati milites, quales sunt Clerici, Deo tantum, non hominibus militant, nec est cur le negocijs sæcularibus implicent. Accedit, quod vatic, altaria, templa, vestes, & cætera Deo sacra, eo ipso quod diuino cultui sunt deputata, à pro-

fano, & ciuili vsu separantur. cur Clerici eo ipso quod Deo sacrati sunt, non sunt ab omni ciuili vsu femoti? Cur si res eo ipso, quo sunt Deo sacræ longè à profanis sepositæ non tanguntur à laicis: personæ Deo dicatæ, diuinis officijs, & ministerio addictæ, tanguntur à laicis? Postremo talis immunitas plurimum conducit ad quietam, & rectam Clericorum & Ecclesiarum gubernationem, alioquin. n. possent Clerici auctoritate, & iussu Principum sæcularium, à suis muneribus & officijs frequèter abduci, auocari, impediri, prohiberi: ergo verisimile certè est, eos iure diuino ab omni ciuili potestate esse immunes, & liberos. Cæterum videamus quo pacto ad argumenta prædictæ opinionis Auctores respòdeant, Medina, Victoria, Sotus, Couar. & alij. Ad primum quidem ex Genes. in ca. 47. sumptum respondent, Iosephum, & Pharaonem Sacerdotum terram excepisse ab onere, & seruitute cæteris Aegyptijs imposita: non quia eiusmodi immunitas, diuini iuris esset, sed quia voluerunt id priuilegijs, & beneficij, Sacerdotibus liberaliter concedere: eodem modo ad id quod primo Esdræ 7. obiectum est, respondent, fuisse videlicet vsu, & consuetudine receptum, vt Leuitæ essent liberi à tributis, vectigalibus, & alijs contributionibus, & oneribus, & proinde eos, aiunt, excepit Esdras, id permittente, & concedente Artaxerxe Persarum Rege, cuius ditioni, & potestati erant tunc temporis subiecti Iudæi. Sed certè horum responsio mihi non placet; Nam hæc ideo facta esse puto, quia ratio ipsa naturalis præscribere videtur, vt ministri diuini obsequijs, & vsibus dicati, à ciuili Principum potestate sint liberi, & exempti.

Ad illud ex Psalmo 114. Nolite tangere Christos meos, respondent, ibi sermo est de Abraham, Isaac, Iacob Patriarchis, quos ibi diuinus Pfaltes appellat Christos per metaphoram, id est, vnctos, quasi essent diuinitus consecrati, sicut vngi, & sacrari solebant Pontifices, & Reges, & eisdem appellat idem Pfaltes prophetas, hoc est, diuini verbi nuncios, & interpretes ad populum: quæ omnia, inquit, in eo Psalmo dicta sunt propter historias, quæ de ijs sanctis viris in sacris literis referuntur, meo quidem iudicio argumento non satisfaciunt; Nam fateor, dixisse Deum de Patriarchis, Nolite tangere Christos meos, id est, vnctos, & nuncios, & interpretes à me missos ad populum; Sed cur idem non intelligemus de Clericis, & Sacerdotibus, qui sunt vncti, hoc est, Deo sacri, diuino cultui mancipati, qui sunt diuini verbi nuncios, & interpretes ad populum? ergo si illi Patriarchæ, quia erant vncti, id est, Deo sacri, & Dei nuncios, & interpretes tangendi non erant, tanquam à populo femoti, Clerici etiam Deo dicati ab omni ciuili vsu separantur.

Ad illud ex Matth. c. 17. vbi dixit Christus Dominus, ergò liberi sunt filij, respondent iuxta S. Tho. in 2. d. 4. q. 2. art. 2. ad 1. & Bonauent. 2. eadem d. art. 3. q. 1. ad primum, & Durand. 2. d. 4. q. 4. ad finem, id Christum Dominum dixisse de se ipso, non autem vniuersim de omnibus Christianis, vel de omnibus iustis viris, gratiam adoptionis adeptis, quia dixerat, inquit, Dominus, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel centum, à filijs suis, ab ad-

alienis?

alienis? respondente Petro, ab alienis, subintulit Christus, ergo liberi sunt filij, quasi diceret: si filij Regum, & Principum naturales tributum non pendunt: ego, qui Filius sum naturalis summi omnium Regis, & Principis, videlicet Dei, nulli hominum tributū debeo, sed ne offendamus eos, solue staterem pro me, & te; Pro me quidem, quia etsi nō debeam, mea tamen voluntate persoluo, pro te vero, quia possem quidem te quoque à pendendo tributo liberum facere, sed sicut me sponte tributo subijcio, sic etiam te. Ceterum nōdum argumētum diluisse videntur plenē. Nam Christus Dominus sponte sua tunc soluit: at iure, nec pro se, nec pro Petro debebat, cui suam commiserat Ecclesiam. Orig. Hieron. Euthy. Theophylactus, & August. lib. 1. *quest. Euang. ca. 23.* verba Domini intelligunt dicta esse de filijs naturalibus. Ceterum S. Tho. & Bonau. loc. *sup. cit.* interpretantur quidem Christi dictum de ipso, at non solum de ipso, sed de ijs etiam omnibus, qui temporalia omnia, & terrena bona propter Christum Dominum reliquerunt, & sic etiam exponunt alij veteres Theologi, Richard. in 2. d. 4. q. 1. art. 3. q. 1. ad primum Argen. eod. lib. & d. q. 1. a. 4. & inter recētiōres Cai. 2. 2. q. 10. ar. 6. sed Clerici eo ipso quōd sunt fors, pars, & hēreditas Dei, ex Altari, & Ecclesie patrimonio viuunt, ergo ea ratione tributum non soluunt. Ad secundum argumētum respondent, in iure canonico ius diuinum latius accipi solere; nam sumitur interdum pro omni eo, quod Deus iussit tum in nouo, tum in veteri Testamento. Quidquid item boni factum esse in sacris literis memoratur; ius diuinum canones appellant. Preterea quicquid ab Apostolis constitutum esse in sacris literis legitur; Insuper ius ipsum canonicum dicit. *gloss. in cap. 20. iure, in verbo: nam iure diuino dist. 8.* Ius diuinum aliquando vocari, ac proinde colligunt immunitatem Clericorū esse iuris diuini. i. canonici, & quia eius exemplum ex sacris literis petunt accipiunt: sic illi. Sed certē, meo iudicio, Bonifacius VIII. in ca. *Quāquam, de censib. in 6.* & Ioannes Primus in *ca. Imperator d. 96.* & Lateranen. Concilium in *ca. non minus de immunitate Ecclesiarum, & Lateran. Concil. sub Leone X. sess. 9.* ius diuinū propriē, & strictē accepisse videntur: cum dicunt, iure diuino esse Clericos exemptos, quoniam aiunt, Clericos non solum iure humano; sed diuino esse exemptos, & liberos.

Supereſt, vt ad ea, quę secundę sententię auctores obijciunt, respondeamus. Ad illud, quod sumunt ex Paulo ad Rom. 13. & 1. Petri 2. & Act. 25. & Matth. 22. & Ioan. 19. respondeo, primis Ecclesie temporibus, Ecclesiam non habuisse plenum suę potestatis, & iuris vsum, & actum; sed tantum quasi habitum, & originem: & ideo mirum non est, si Paulus *Act. 25.* ad Cęsar. prouocauit, si dixit ad Rom. 13. *Omnis anima potestati sublimioribus subdita sit,* non quōd iure diuino ciuilibus Principibus Clericos subijceret; sed quōd interim dum Christiani erant in Paganorum potestate, eorum Principibus parere deberēt, ne detrimentū Christi Domini fides, & Religio pateretur. Ad illud Christi Domini dictum ad Pilatum, Ioannis 19. *non haberes potestatem aduersum me vllam, &c.* Respondeo: locutum esse Dominum de potestate facti, non iuris: nam potestas facti conuenit etiam Ty-

rannis, & est in vitio & culpa: de simili potestate dixit Christus Luc. 22. *Hęc est hora vestra, & potestas tenebrarum,* sensus itaq; verborum Christi est: nisi tibi (ō Pilate) esset cœlitus permissum, etiam factō ipso, & opere, meam causam non cognosceres, & iudicares. Cetera secundę sententię argumenta nihil concludunt: Nam quamuis Christiani non eo ipso quo Christiani sunt, liberētur ab omni ciuili vinculo, at Clerici Deo sacri diuinis vsibus, & ministerijs, ac officijs additi, eo ipso à ciuili laicorum potestate eximuntur: quia sunt Deo traditi, & in fortem, & hēreditatem ipsius electi, & assumpti, ac proinde iure diuino, & naturali, & canonico, non autem ciuili, Imperatorio, vel Regio obligantur.

Sed dubitari posset, An laici vi consuetudinis longi temporis ius & potestatem in Clericorū habere queant. Etenim Covarr. *pract. quest. cap. 35. n. 3.* Nauarr. in *Man. cap. 27. nu. 70.* Guliel. de Bened. in *c. Reynatus in verbo, & uxorem nomine Adelsiam, de cis. 2.* & quidam alij recentiores Hispani, & Galli plures afferūt casus, in quibus asserunt solere Regia prætoria Clericorum, & Ecclesiarum causas ad sua tribunalia reuocare: Quem vsū illorū pleriq; nituntur iure defendere: Ceterum quicquid hi auctores scripserint, quotidie in Rota & Curia Romana iudicatur, huiusmodi sententiā esse contra sacrorum Canonum auctoritatem: Nam concilia, & Summi Pontifices expressim prohibent, ne apud laicos Clericorū causę vlla ratione tractentur, vel iudicentur, vt constat ex *cap. inoluta, & placuit vt quisquis, c. si Clericus, c. si quis ex fratribus, c. peruenit, u. q. 5. c. decernimus, de iud. c. si diligenti, & c. significasti, de for. comp.* Vbi neque Episcopo consentiente id fieri potest, vt etiā notat *gloss. Abb. Felin. & alij ibi, & in cap. qualiter, & quando, de iud. vbi etiam Imol. sub nu. 4. Bar. b. nu. 16. Alex. conf. 8. sub nu. 1. lib. 1.* Sed neque in casu neglectę, vel denegatę iustitię: & ita nec timore violentię licitum cuiquam est, Clericos ad iudicium, sæculare vocare, ex *c. qualiter & quando de iud. vbi id no. gloss. in verbo prohibemus. Host. num. 3. Abb. antiq. & Ioan. And. sub nu. 1. But. nu. 3. Imo. nu. 3. Anch. nu. 5. Bellam. sub nu. 3. collect. Card. & Bal. in fi Panor. nu. 7. Alex. d. conf. 8. sub nu. 1.* Inde colligentes differentiam inter iudicem sæcularem, & ecclesiasticum. Is enim, cum sit maior & superior, potest sæcularis negligentiam supplere & illū corrigere. *c. ex transmissa, c. lices, & c. ex tenore, de foro compet.* Quę cum ita sint, solus Rom. Pontifex est, ad quem spectat Canonum edere, & editos confirmare, declarare, & statuere casus, in quibus Clerici possunt coram laicis conueniri. De spectantibus enim ad Clericos hoc solum possunt laici quod iure cauetur, vt ait *gloss. in cap. vlt. art. 4. q. 5. Innoc. in c. quanto, nu. 2. ad finem de consuet. Pan. ibid. nu. 12. Felin. in c. causam, sub nu. 7. de prescr. Dec. in c. 2. nu. 164. de iudic.* Nec est cur privati Doctores id muneris, & officij sibi assumant, sed eorum est obedire Summi Pontificum, & Concil. decretis, sacros Canones seruare, non interpretari, non declarare, non restringere, non detorquere, nec trahere ad suos sensus. Ego igitur existimo non posse laicos vi consuetudinis potestatem aliquam habere in Clericos, quod docent Bald. in *cap. Clerici, ad fi. de iud. Butr. ibid. num. 2. & u. Panor. num. 5. & 6. Dec. nu. 58. & in ca. 2. eiusdem tit. nu. 167. & consil. 150. num. 4.*

Felin. in ca. 2. sub nu. 3. de maior. & obed. & multis probat
 Rot. decisio. de cens. in antiquis, & Bisign. decis. 2. eodem
 tit. Idem volumi Doct. in ca. 2. de prebendis nu. 8. Ioann.
 Monac. nu. 5. Io. And. nu. 6. Rom. nu. 13. Fran. nu. 10. Prob.
 nu. 5. & 6. Panor. in c. quisquis, sub nu. 3. de elect. dum do-
 cent: in spiritualibus, quæ non cadunt in laicum
 nil operari consuetudinem: quia hæc non potest
 illum spiritualium incapacem, reddere habilem,
 & capacem, vñ adnot. Panor. in c. quanto. n. 2. de consuetu-
 dine. Prob. d. c. 2. de preben. num. 7. Dec. in c. 2. n. 36. de iu-
 dic. Probatur autem hæc sententia ex c. Clerici de
 iud. vbi definitum est, non posse consuetudine a-
 liqua præiudicium generari sacris Canonibus, in
 quibus generaliter traditur quod de omni crimine
 Clericus debeat coram ecclesiastico iudice
 cõueniri; Huius verò definitionis eam rationem
 affert, quoniam Imperator prædictos Canones
 sequi sit professus, scilicet in Auth. vñ Clerici apud
 proprios Episc. primum conuen. in §. pen. Vnde colligunt
 ibi Panor. n. 4. & Dec. n. 35. quòd lege fieri non po-
 test, nec etiam consuetudine: quo argumento &
 de reliquis omnibus Clericor. negocijs, & causis
 idem cogimur respondere; Nam Imperator Feder. II. in
 constitutione de statutis, & consuetu. contra li-
 ber. Ecclesie edus lib. seu. in §. Item statuimus, vnde sum-
 pta est l. statuimus. c. de Episc. & Cler. recedens ab er-
 rore veterum legum (vñ ibi inquit Bald.) statuit nul-
 lam Ecclesiasticam personam in quacunque cau-
 sa trahi posse ad iudicium sæculare, vt etiam sa-
 cri Canones paulò ante citati generaliter tra-
 dunt, vt merito Panor. in d. Cleric. n. 6. & Dec. nu. 58.
 quod de causis criminalibus in eo loco dicitur,
 respondeant ex sententia Doct. etiam in ciuilibus
 habere locum. Probatur secundo ex c. qualiter,
 & quado, de iudic. vbi ne Clerici trahantur à lai-
 cis ad iudiciũ sæculare omnino prohibetur: quo
 modo loquendi sublata est inferioribus facultas
 omnis dispensandi siue per statutum, siue per cõ-
 suetudinem. Præp. in c. si quis cum Clerico. n. q. 5. Felin.
 in eodem c. qualiter. prope fin. Alex. d. conf. 8. sub n. 1. fauent
 que de hac questione in simili tradunt Ang. & Imol. in l.
 si queramus. ff. de testam. Cor. nu. 1. vñ. c. de test. mil. glo. in l.
 Clem. 2. in verbo nullo modo. de at. & qual. Imol. in
 Clem. 1. nu. 20. de seq. poss. Denique cum huiusmodi
 consuetudo sit contra id, quod ex iure, vel priui-
 legio Clericis est concessum, siue à Deo, vt supra
 est dictum, siue à Christi Vicario, ac etiam ab Im-
 peratore, erit contra libertatem ecclesiasticam;
 quod in specie notat Bald. in c. Clerici. in c. de iud. Butr. nu.
 11. Panor. n. 6. & colliguntur ex doctrina Innoc. in c. nouerit.
 de sent. excom. quem omnes ibidem sequuntur, Bar. & Bal.
 in constitutione Feder. cassa & irrita. c. de sacros. Eccles.
 Idem Bald. in alia constitutione Feder. statuimus, ad fin.
 c. de Episc. & Cler. Quare erit consuetudo omnino
 irrita ex eadem constitutione Cassa & irrita, & cap.
 nouerit, de sent. excom. vbi qui eam seruari fecerint,
 & qui seruare præsumperint, excommunicantur.
 Quod verò de consuetudine dictum est, etiam
 de præscriptione affirmamus, quamuis tãti tem-
 poris cursu sit continuata, vt in iurij memoria non
 extet; est enim laicus incapax iuris, & potestatis
 spiritualis, nec potest illam ciuilitè possidere,
 atque adeò nec villo tempore præscribere; c. cau-
 sam, vti omnes notant de præscrip. Io. And. & omnes
 in c. 2. de preben. in 6. Pan. in c. quanto. n. 2. de consuet. Dec.
 in c. decernimus. nu. 38. de iudic. qui docent, laicos au-

toritate cuiusvis præscript. nõ reddi habiles ad
 spiritualia, & præscriptione ei tantum ius tribui,
 qui illius iuris est capax; quamuis nec video quo
 pacto tãti temporis cursus afferri possit, cum per
 Bullam, quæ singulis annis in die Cœnæ Domini
 in capite Regni ecclesiastici promulgata omnes
 Ecclesie subditos afficit, impediatur omnis con-
 suetudo, & præscriptio, Felin. in c. mon. licet, col. pe-
 nul. vers. quinto Considera. de præscrip.

Quæ ad muniendam dictam consuetudinem,
 vel potius corruptelam à citatis auctoribus affe-
 rantur, facile tolli possunt; nam text. in c. filijs &
 nepotibus. 16. q. 7. qui, si Metropolitanus bonis Ec-
 clesiasticis abutatur, mandat hoc Regis aurius
 intimari: quicquid dixerit ibi glos. quam Couar.
 sequitur loco supra cit. his generalib' verbis cer-
 tẽ non probat per Regem esse corrigendum con-
 tra c. qualiter & quado; & c. Clerici, de iudic. vñ
 etiam notant Archid. & Egid. ibi Butr. in d. cap. qualiter
 & quado, ad fin. Pan. n. 7. ad fi. Imol. n. 4. ad fin. Sed cũ
 ijdem auctoribus dicimus intimationis effectũ
 illum esse, vt Rex admoneat Metropolitanũ, vel
 instet coram superiore, vt illum corrigat. Pariter
 leuissimum est, quod ex D. Hieron. relatum est, in
 c. Regum. 23. q. 5. dum de Regum officio loquens ait,
 proprium illorum esse facere iudicium, & iustitiam,
 & liberare de manu calumniantium vi op-
 pressos. Cum enim ad rationem iudicij iurisdi-
 ctio sit necessaria, inter eos Regis est iudicium fa-
 cere, qui ad illius iurisdictionem spectant; quare
 circa subditos, & qui eius curæ sunt commissi, il-
 la præstanda sunt, Clericorum negocijs sicut &
 aliorum, qui Regibus alijs subiiciuntur, proprijs
 iudicibus relicti; Nisi cum Ecclesiarum prælati-
 eorum conuocant auxilium, iuxta ca. admissores
 ead. q. & c. 1. de offic. ord. Eodẽ ferẽ modo loquitur, c.
 Principes sæculi ead. q. vbi quòd Principes sæcu-
 li à Christo tuendam Ecclesiam accipiant, cum
 illa suam disciplinam exercere non præualerentur
 sua potestate munire, & ita Ecclesie patro-
 trocinari; vt Bald. adnotant in c. olim. n. 14. de rescript.
 Pan. in c. sua. nu. 10. de decim. Auf. tract. de pot. sac. super
 perjo. Eccles. regu. 1. nu. 6. in 3. fallentia.

Ex dictis inferitur, lacris Canonibus aduer-
 sari, quod Cou. & quidam alij recentiores tradunt,
 licitum esse a iudicibus Ecclesiasticis, cum censu-
 ris opprimunt, adire Regia tribunalia, vt vim au-
 ferant, & compellant iudices Ecclesiasticos ab
 ea inferenda cessare; Etenim præterquam quòd
 huiusmodi vim auferre, ne iustitia negligatur
 seu denegetur, spectat ad immediatè superiores
 Ecclesiasticos, ad quos eo casu recurrendum est,
 etiam vsque ad Papam, Egid. in d. c. qualiter & quado,
 vers. 1. querit de iudic. Butr. ibidem n. 2. Imol. nu. 3.
 Ioan. de Anan. ante n. 2. Alex. d. conf. 8. sub n. 1. vers. 1.
 ne pro defectu iustitie Clerici tradantur ad iudicem sæcula-
 rem contra d. c. qualiter & quado, si praxim per Cou.
 relatum inspiciamus, constat laicos in hoc nego-
 cio esse meros iudices, Ecclesiasticos verò meros
 executores & ministros, cum compellantur sub
 pœnis ad transmittenda omnia acta, & causę pro-
 cessum ad consilium Regum, & iudices laicos, vt
 visa illius iustitia declarent, an sit deferendum
 appellat. & si ei deferendum putauerint, præci-
 piunt iudici Ecclesiastico, vt illi deferat, excom-
 municatum absoluat, omniaque retractet, & re-

ponat in eum statum, in quo erat tempore appellacionis, & sententia, & etiam cognoscunt, an iudex Ecclesiasticus sit iudex illius causæ competens, inhibendo illi cognitionem, & remittendo illum ad iudicem sæcularem: Et his omnibus iudex Ecclesiasticus sub pœnis cogitur obtemperare. Quæ omnia improbant sacri Canones, & sub pœna excommunicationis damnantur in Bulla Cœnæ capit. decimoquarto, & duobus sequentibus.

Quæri solet, an in his sufficiat tacitum Romanorum Pontificis consensus. Profecto nulla ratione probare queo, quod quidam iuniores auctores incōsideratè, & inconsultè scripserunt, civiles, & sæculares magistratus, & iudices, multas Clericorum, & Ecclesiarum causas iure cognoscere, & tractare tacito Romanorum Pontificum consensu: Scribit auctor quidam Candelabri Aurei in explanatione Bullæ in Cœna Domini in casu 14. dicens, Magistratus, & indices civiles, ac Principes seculares excusari legitime, & non incidere in excommunicationem tam de causis Clericorum, & Ecclesiarum aliqua ex parte cognoscunt, & iudicant, quia id, inquit, facere consueverunt scientes, & tolerante Romano Pontifice, & quia nullus iudex Ecclesiasticus habet, ut excommunicatos laicos, qui talia faciunt, in modo nec ipse Beatus Papa, nec ullus alius eniat illis. Sic ille. Præterea Ignatius Lopez cognomento Salledo in præctica criminali canonica, capit. 102. ait, exploratissimi iuris est, ex tacita Summi Pontificis approbatione, posse Reges de huiusmodi vi iudicare, quæ sit in possessione beneficiorum, & aliarum spiritualium rerum, & id probat, quia ita docet Guido Papa decis. Delphin. question. 1. & 71. & 85. Franciscus Marchina. question. 190. & 512. ubi scribit curiam illam sic semper servasse, idem inquit, frequentissimè observat Curia Burdega, in memoriam tradit Boer. question. 69. numer. 23. idem Neapolitan. consuetudine receptum esse fatetur Afflicti. decis. 2. nu. 10. & 11. & decis. 2. nu. 9. Gram. decis. 78. & in Mediolanensi Senatu, ut testatur Andr. Aicia. & in vniuersa Gallia, ut refert Rebuff. in comment. consilia. Franc. tom. 2. tit. de possess. benefici. d. n. Gloss. 2. Guietel. Benedicte. in c. Romanus. de testam. d. 1. in verbo, & uxorem nu. 39. & in Senat. Pedemont. 30. ut tradit Menoch. de recuperand. possess. remed. 15. numer. 210. Orlé. decis. Pedemont. 30. idem seruari apud Lusitanos, testatur Nauarr. in capit. cum contingat, de rescriptis. remed. 1. numero nono, Auendan. de mandat. Regular. parte prima, cap. 1. numer. 32. Hæc illi. **Cæterum, Præsumptum falsum omnino est, quod isti auctores asserunt in hisce causis subesse tacitum Romanorum Pontificis consensum.** Si quidem Summi Pontifices, ut notissimum est, quotidie reclamant, conueniunt, prohibent, pœnas constituunt, & sententias ferunt in laicos, qui talia faciunt: ut patet manifestè ex actis iudicialibus Auditorum Cameræ: ubi quotidie expediuntur literæ monitoriæ, ut personaliter compareant ij, qui ita conueniunt, atque consentiunt: & contra illos pronunciantur sententiæ condemnatoriæ lata etiam excommunicatione. Id etiam constat ex pluribus decisionibus Auditorum Rotæ, & ex sententijs Auditorum Sacri Palatii Apostolici: in quibus omnino improbantur, & damnantur tales recursus, & ij, qui recurrunt, declarantur excommunicati: quod semper seruatur a-

put Sedem Apostolicam, quando de hac re notitia habetur. Imò quorannis in die Cœnæ Dominicæ Romani Pontifices publicam, & solemnem excommunicationem ferunt in magistratus, iudices, & Principes sæculares, qui in suis tribunalibus causas Clericorum, vel Ecclesiarum tractant, & iudicant: vel ad sua Prætoria reuocant: vel apud le diplomata Pontificia, vel literas Apostolicas detinent, ne ad effectum deducantur: & in eos, qui ad laicos in prædictis causis confugiunt, & recurrunt: Quæ omnia aperte ostendunt, & indicant, longè abesse ab his omnibus tacitum Romanorum Pontificum consensum, & præsumptam, quam vocant, patientiam. Nec est, quod quispiam dicat, constitutiones Pontificias, non esse in hac re alicubi vsu receptas. Nam quorannis singuli Romani Pontifices Bullam in Cœna Domini publicam, & solemni ritu Romæ promulgant. Nec valet, quod quidam opponunt, non satis esse, si Romæ promulgentur excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ Dominicæ: quoniam verissima est sententia, communi consensu Theologorum, & iuris canonici Doctorum, & Summorum recepta, sufficere promulgationem Romæ factam; nec requiri, ut in singulis prouincijs huiusmodi excommunicationes pronuncientur. Præterea Nauar. in Man. cap. 27. numer. 70. versicul. 2. Quod per pretextum violentiæ, sic ait, loquens de excommunicatione 14. in Bulla Cœnæ Dominicæ, quod etiam video pro re inabitata haberi in Hispania, & Gallia posse regulariter Reges defendere possidentes colorato titulo beneficia Ecclesiastica, ne absque iusta causæ cognitione deurbentur, vel spolentur viri in literarum Apostolicarum, quod, ut vbiq; serè in illis Regnis obseruatur; ita multi iure mutare conantur. An verò satis muniam, necne, Sanctissimi D. N. definitioni remitto, sic ille. Sed profectò cum sacri Canones, & Summi Pontifices semper consuetudinem, quæ est contra Ecclesiasticam libertatem, ut corruptelam improbant, & damnent, non est, cur dubitemus, sit nec ne, eorum improbanda & reiicienda sententia, quæ est Summorum Pontificum decretis & sacris Canonibus contraria: Nosstrum est parere, & imperata facere, non contra Canones docere, aut docentes tueri.

Vnum est, quod magistratus, & iudices sæculares, in hac re nonnunquam obijciunt. Nos, inquit, Clericorum causas, aliquando ad nostra tribunalia reuocamus, cum certa, & euidentis est consuetudo, ut reuocentur, non cum incerta, & dubia est, ficta, aut simulata. Item id facimus, inquit, ut violentiam manifestam, & certam tollamus, non fictam, & simulatam, & violentiæ tantum imaginem, & speciem habentem: at Canones, & Summorum Pontificum literæ, vel diplomata, solum prohibent, ne laici ad sæcularia Prætoria, & tribunalia, Clericorum causas trahant, pretextu consuetudinis, aut pretextu violentiæ; pretextus verò velamen est, quo moueri se aliquis simulat, ad aliquid faciendum, cum tamen alia causa moueatur, sic enim hac voce vtitur Suetonius in vita Cæsaris, & in vita Tiberij. Sic illi. Sanè hoc nomine, sub pretextu, canones, & leges significant, etiam veram causam, non simulatam, & fictam, aut quæ tantum causæ figuram, & speciem offert. in l. sub pretextu. C.

tu. C. de transact. habetur, sub pretextu instrumenti post reperti, transactionem finis an rescindi iura non patiuntur, quæ lex confirmatur in c. inter Monasterium de sent. & re iudicata; ubi dicitur sub nouorum Instrumentorum pretextu, lites non debent instaurari, & in c. suborta eo tit. dicitur, pretextu priuilegij de nouo reperti non debet sententia retractari: profecto his in locis non solum instrumentum, aut priuilegium fictum, & simulatum, sed etiam verum, & certum, quod post repertum est, nomine, sub pretextu, significatur, & quod in l. sub pretextu. c. de transact. legimus. sub pretextu instrumenti post reperti, in l. Imperatores. ff. de re iud. dicitur, sub obtentu nouorum Instrumentorum restitui negotia minime oportet, at reuera hæc lex locum habet in instrumentis veris, & certis denuo repertis, ex quibus negotia expedita, & finita retractari non debent, ergo etiam hoc nomen, sub obtentu, quo vsus est Gel. lib. 10. noth. *Atitica. ca. 22.* in iure, siue Ciuili, siue Canon. continet causam veram & certam, non solum simulatam & fictam, & l. sub pretextu. cap. de hæred. action. decernitur sub pretextu ætatis pupilli debitoris hereditarij creditorum exactionem, differri non posse, ergo ætas impuberis debitoris hereditarij petitionem debiti non impedit, aut differt in tempus pubertatis. Profecto hoc modo, semper Summi Pontifices, quorum est ambigua, incerta, vel obscura verba suarum literarum interpretari, distinguere, & declarare hanc vocem, sub pretextu, acceperunt. Quare quamuis in literis, aut decretis Sum. Pontificum dicatur, sub pretextu consuetudinis, aut violentiæ, laici causas Clericorum non iudicent, reuera prohibent Pontifices ne iudicent, etiam si vera, & euident consuetudo sit, aut violentia, quoniam consuetudo est corruptela, & violentia debet ad Ecclesiast. Iudices, non sæculares deferri, neque enim Canones permittunt, vt à iure Ecclesiastico ad profanum, & sæcularem appelletur. Si roget aliquis, an in his, de quibus agimus, Magistratus, Iudices & principes sæculares, iustam excusationem habeant, cum id faciant priuilegio Rom. Pontificis: Certè habeant, necne priuilegium Rom. Pontificis quæstio est facti, non iuris, qui tale priuilegium se habere testatur, eius interest id ostendere, cum oportet. Videat itidem num priuilegium personale sit, quod cum persona finitur, & definit; Videat num sit priuilegium ad tempus concessum, quod lapsu temporis extinguitur. Videat an sit priuilegium ad certas Clericor. causas cognoscendas, an his, vel illis conditionibus sit affectum, ita vt sine illis vim, & locum non habeat. Videat si tale priuilegium sit nunc Rom. Pontificis auctoritate abrogatum. Bannes. 22. q. 67. art. 1. dub. 2. conclus. sic ait, Rex Hispania habet priuilegium Pontificum, vt possit causas Clericorum ad sua tribunalia tunc vocare, quando sæcularis aliquis conuenitur, quod vim patitur a Iudice Ecclesiastico, quod vulgo dicitur, Por via de agrario y suerza, tunc iudices poterit indicare ex ipsa commissione Pontificis, an fiat vis, vel non, que res multum reprimunt Episcoporum Vicarios ab insolentis. Hæc ille. Sed ego in Curia Romana sepe à viris fide dignissimis audiui, tale priuilegium nusquam reperiri: neque ab vilo vnquam Romano Pontifice fuisse concessum. Et certè meo iudicio, si tate priuilegium da-

tum fuisset, in tot, tantisque causis, & controuersijs, quæ frequenter ortæ, agitæ, tractatæque sunt, propter eos, qui ab Ecclesiasticis iudicibus ad ciuiles magistratus prouocant, confugiunt, recurrunt, exhibitum aliquando, & productum fuisset, vel à iudicibus ciuilibus, & profanis, vel saltem ab ipsis Clericis ad eos iudices recurrentibus, vt se penitus ab omni culpa excusarent: præsertim in criminalibus causis, & litibus contra eos contestatis, intentis, ac motis: & vt effugerent excommunicationes, & sententias, quæ innumeræ aduersus eos latæ, pronuntiatæque sunt. At nunquam tale priuilegium in iudicio citatum apparet. Accedit his, quod Auctores, quos supra citauimus, non docent id fieri priuilegio Pontificio, sed iure communi, aut vi consuetudinis longissimi temporis lapsu confirmatæ, aut vi præscriptionis fieri posse contendunt, non ergo priuilegium, sed consuetudinem, præscriptionem, aut ius ipsum in medium producent; Adde, quod priuilegia non valent contra Bullam Apostolicam, quæ quorannis in die Cœnæ Domini publice recitatur, & promulgatur cum amplissima reuocatione quorumcunq; priuilegiorum, ex quibus vis causis ea sint concessa quibuscunq; potentatibus.

Sed obijciunt quidam, consuetudinem longissimi temporis decursum firmatam, priuilegij vim habere; nam consuetudine fieri potest, quod priuilegio principis fieri solet, cū in l. hoc iure res, dicitur aquæ. ff. de aqua quotidiana, & assina, consuetudo longo temporis cursu confirmata, priuilegio æquiparetur. Respondeo in duobus casibus plus posse priuilegium, quam consuetudinem longissimam etiam hominum memoriam excedentem, Primus casus est quando quis non est capax potestatis, & iuris, Ioan. Andr. Domin. in ca. 2. de prob. in 6. Innoc. de Apost. Anton. in repetit. super cap. peruenit, de censibus, Abb. in c. super quibusdam, de verborum significatione, & in ca. monit. de iud. & in c. quanto de consuet. Bal. in l. si solemibus. C. de fide Instrum. Et in c. cum contringat de foro comp. Felin. in cap. dilecto, de prob. quos conues citat, & sequitur Ioan. Selua. de benef. part. 2. q. 23. n. 13. At laicus capax potestatis spiritualis, & Ecclesiast. non est, vt ante dixi. Secundus casus in quo plus potest principis priuilegium, quam consuetudo, est quando consuetudo à iure ipso scripto improbat, c. cum satis, de off. Archidia. Io. Andr. in cap. 1. de clerico agrotante, in 6. sed iure ipso damnatur, vt corruptela, consuetudo, qua laicus causas Clericor. & Ecclesiast. cognoscit & iudicat, vt hæcenus ostendi. Ergo consuetudo, quamuis longissima, in hac parte priuilegij vim, & locum non habet. Quidam alij dicunt, quando per longissimum tempus, cuius initium longè est ab hominum memoria, facere quidpiam Laici etiam in causis Ecclesiast. consueuerunt, & fama etiam testatur eos semper fecisse, tunc hæc duo: videlicet fama, & tempus longissimum tribuunt ius, & priuilegij locum habere solent etiam in his, quorum capaces non sumus: Id probant testimonio Io. Andr. & Abb. in c. cum Apostolica, de ijs, que sunt à Prelatis sine consensu ca. Sed mihi hæc sententia omnino displicet. Nam vt testantur Hostien. & Archidia. quos allegat Abb. in cap. cum Apostolica, citato, consuetudo, quamuis longissimo tempore

confir-

confirmata, & fama, ius tribuere nequeunt in ijs, quorum capaces non sumus. Et Ioan. Andr. & Abbas tantummodo loquuntur de speciali casu, videlicet de decimis, quas laicus possedit per longissimum temporis spacium, & fama erat eos possedisse ante Concil. Lateran. generale, tunc enim laic^o decimarum ius adquisierat, nō quidē ex cōsuetudine, vel p̄scriptiōne, sed cōsensu Ecclesiæ, q̄ voluit, vt tunc eas ille possideret, quia credere tur verisimiliter priuilegio Pontificio possedisse.

Si obijciat, qua ratione Ro. Pontifex possit Clericorum causas laicis committere, & priuilegiū ciuili principi cōcedere, vt aliquas Clericorū causas cognoscat, & iudicet, si clerici sunt iure diuino à ciuiliū principum potestate exempti, nam contra ius diuinum Pontifex Ro. nō habet auctoritatem. Respondeo breuiter, iuris esse diuini, ne laici, quamuis Imperatores sint, siue Reges, propria auctoritate ciuili quam habent, Clericorum causas tractent, cognoscant, & iudicent; at Rom. Pontifex cum illis Clericorum certas causas de mandat, non dat ius. Vt id propria auctoritate faciatis; sed vt id tanquam ministri, & legati Pontificij hoc est demandata, & commissā sibi potestate, seu nomine, & auctoritate ipsius Pontificis exequantur, ac proinde Pontifex in his ius diuinum non soluit, nec vlla ratione violat, vel abrogat, vel minuit.

Secundo queritur, An Ecclesiarum, & Clericorum bona sint iure diuino libera à tributis, veltigalibus, cōtributionibus, & alijs oneribus, que ciuilibus principibus à laicis pendit, & solui solent? Non est quæstio, an huiusmodi bona sint libera, & exempta iure humano scripto, vel ciuili, & Canon. sed est quæstio, an etiam diuino iure eximantur, nam conuenit inter omnes bonorum Ecclesiasticorum immunitatem esse ciuili, & Canon. iure confirmatam, id patet ex iure ciu. in l. p̄acet. l. iudemus. l. priuilegia. c. de sacrosanct. Eccles. & l. cassu. c. eodem. in c. constitutio Frederici Imp. sic habet, Cassa, et irrita esse denunciari per totam Italiam precipimus omnia statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiarum eiusque personas indultas aduersus Canonicos, & Imperiales sanctiones, & ea de capitularibus penitus aboleri mandauit noua cōstitutio, & de cetero similia attentata ipsi iure nulla esse decernit, si quid contra fiat, p̄one, que statuta sunt, imminerebūt. Hęc ea dem immunitas constat ex iure Canonico, videlicet ex toto titulo de immunitate Ecclesiarum in lib. decretalium, & in 6. & in Clementinis.

Queritur ergo, an immunitas bonorum Ecclesiasticorum ad Clericos, & Ecclesias pertinentium, quæ scilicet diuinis v̄sibus, & ministerijs deputantur, sit diuino iure sancita, & instituta.

Iuris Ciuilis Doctores nonnulli, eam aiunt esse Imperatorum Catholicorum priuilegium, & beneficio cōcessam, sed hi solum rationem habent earum legum, quæ in eod. tit. de sacrosanct. Eccl. continentur. Canonici iuris interpretes communiter consensu tradiderunt, talem immunitatem iuris esse diuini, quia id aperte legunt in c. quāquam, de censibus in 6. sic Ioan. Andr. Dominic. Archidiacon. Anchar. Franchus, & gloss. ibid. & alij, quos superiore quæstio. produxi: Theologi verò Iuniores (nam veteres parū, aut nihil expresse de hac controuerfia prodiderūt), Victor. Sotus, Medina, Ledes. Palac. Bannes, Salon, & Sotum sequuntur Co-

uar. vt superius citauī, fenserunt huiusmodi immunitatem, non diuino, sed Canonico tantum iure constitutam fuisse.

Ego sanē, sicut superiori quaest. docui, Clericos iure diuino esse à ciuili principum potestate exemptos, sic in p̄senti cōtrouerfia sentio: Clericorum, & Ecclesiarum bona diuinis v̄sibus deputata diuino iure à ciuiliū principū potestate esse libera, & immunita, quia plus valet apud me Canonici iuris auctoritas, quam iuniorum p̄dictorum Theologorum sententia: nam in c. quam de censibus in 6. lego: cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticaq; persone, ac res ipsarum, nō solum iure humano (vid. scripto) quin imò & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes, & cap. non minus de immunitate Ecclesiarum ex Conc. Later. sic habetur: vt deterioris conditionis factum sub eis (scilicet consulibus, & Rectoribus Christianis) sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuine legis notitiam non habebat; ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis, sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit: isti verò onera sua sepe vniuersa imponunt Ecclesijs. & in Conc. Later. sub Leone X. Sess. 9. in Bulla reform. Curie, vers. & cum fructuum, sic scriptum inuenio: Et cum fructuum Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorumque & aliorum quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, & administratio ad nos, & ad Rom. Pontificem pro tempore existentem, & illos etiam qui eiusmodi Ecclesias, Monasteria, & beneficia iure, & canonice obtinent, solum pertineant, sac. ualeresque principes omnem etiam diuino iure id prohibere, dictis Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs intramittere se nullatenus debeant. Item in c. p̄dicia. 12. q. 2. dicitur: Prædicia diuinis v̄sibus tradita quidam humanis v̄sibus applicant; & Deo nostro, cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt sibi inseruiant. In ca. Nulli 12. q. 2. ex Bonif. Papa legimus sic: Nulli liceat ignorare omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotis. Accedit quod in c. in legibus 12. q. 2. & in l. summa ff. de rerum diuisione, & influit eodem tit. §. Nullus, sic habetur, diuini iuris sunt res sacre, religiose, sancte, & quod diuini iuris est, id in nullius bonis est. At Ecclesiastica bona, quia sunt Deo dicata, oblata, tradita, diuinis v̄sibus destinata, eo ipso sancta, & religiosa censentur, ergo diuini iuris sunt, & in nullius hominis bonis numerantur, & à ciuili, & profano vsu secreta, semotaque sunt, siue sint prædicia, siue castra, villæ, agri, siue decimæ, primitiæ, redditus annui, siue animalia, siue vasa, altaria, vestes, templa, domus, siue alia, quæ libet res oblata Deo: nā cum eo ipso sint bona Dei, Deo reddi, Deo referuari, non Cæsari debent. Postremò Gen. 47. Iosephus Sacerdotum terram noluit esse v̄tigalem, noluit esse tributariam. Dices hoc fuisse priuilegium, q̄ Iosephus Sacerdotibus liberaliter concessit, nō quoddam Dei iussu dedit. Certè Iosephus id fecit, quod recta ratio naturalis suadet: p̄scribere enim, vt quæ Deo sacra sunt, Dei sint, nō Cæsaris: Deo reddantur; Deo referentur; non Cæsari.

Obijciat quispiā id quod habetur in c. conuenior. 23. q. 8. ex Ambrosio, qui cum Imperator ab eo peteret Basilicam Deo sacratam, respōdit, Imperator si à me peteret quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, & huiusmodi meum, non refragarer, quamquam omnia, quæ mea sunt,

sint pau-

sint pauperum, absit à me, vt tradam hereditatem Christi, ea enim que diuina sunt, Imperatoris potestati subiecta non sunt. Ergo fatetur Ambrosius non omnia Clericorum bona ab Imperatoria potestate libera esse, & exempta: Respondeo in presenti quaest. non tractari de bonis patrimonialibus Clericorum, de quibus alibi disputabo, sed de bonis Clericorum, & Ecclesiasticorum, quae diuinis vrbibus, & ministerijs deputatur: cuiusmodi sunt, quae Clerici acquirunt, quia Altari, quia Ecclesiae inseruiunt, quae acquirunt ratione sui muneris, & officij, quae itidem Ecclesiae possident, vt ipsarum fabrica, cultus, ornatus, decus, & ministeria conferuentur. Obijciat fortassis alius, quod legitur in c. quo iure d. s. ex Augustino, qui sic ait, quo iure defendis villas Ecclesiae? diuino, an humano? diuini ius, in scripturis diuinis habemus, humanum in legibus Regum: vnde quisque possidet, quod possidet, nonne iure humano? an diuino? Domini est terra, & plenitudo eius, iure ergo humano dicitur, haec villa mea est, hic seruus est meus, haec domus mea est. Ergo fatetur Aug. villas Ecclesiae iuris humani beneficio esse concessas. Respondeo solum significare Augustinum, rerum diuisionem iure humano factam fuisse: ite quod has, aut illas villas, fundos, praedia, redditus habet Ecclesia haec, aut illa: factum est donatione principum, oblatione Laicorum, largitione pia, & religiosa multorum hominum. At postquam haec bona Ecclesiae data sunt, in Christi, non hominis alicuius patrimonio computatur: ergo Christo Domino, non Caesari subiecta sunt.

Tertio quaeritur, An ciuilium Principum leges, & statuta Clericos, aut Ecclesiae teneant? Hanc quaestionem latius tractarunt Abbas, Felin. & alij in c. Ecclesia S. Mariae de consilij. & iuris ciuilibus interpretes in Lad. instructiones, c. de sacrosanct. Eccle. & in l. omnes populi, ff. de inst. & iure. l. conuictos populos. c. de sum. Trin. & Fid. Cathol. profecto, si generatim loquamur, leges ciuilium principum, quatenus sunt Imperatoris vel regis, & statuta laicorum, auctoritate condita, Clericos, aut Ecclesias non obligant, aut tenent: quia ciuiles Principes & laici, ius & potestatem in Clericos, aut Ecclesias non habent: at Princeps legem ferre non potest, nisi in homines suae potestati subditos: quoniam leges condere, & statuta ponere, iurisdictionis est. nulli. c. de sententijs, & interloquutionibus. Bal. ibi, & Rom. consilij. 218. nu. 2. vnde Abbas, Felin. & reliqui in c. Ecclesia S. Mariae de consilij. iure optimo tradiderunt, si lex ciuilibus expressim aliquid decernit de Clericis, vel Ecclesijs, aut de eorum rebus, & bonis, tamen si contrarium non sit Canonico iure sancitum, non solum Clericos, vel Ecclesias non obstringit, sed est irrita, & inanis. Cardin. in c. que in Eccl. nu. 2. Imol. n. 6. de consilij. Deci. n. 24. Anto. Butrius. n. 97. etiam si lex esset de rebus, quae Ecclesijs, aut Ecclesiasticis hominibus fauerent: quia lata esset, & posita ab eo qui Clericis, & Ecclesijs imperare non potest. Neque enim satis est, si lex sit aequa, & iusta, nisi feratur ab eo, qui ius, & potestatem habet in eos, quibus legem praescribit. Quare leges in toto tit. de sacrosanct. Eccle. tit. de Episcopis, & Clericis, tit. de Episcopali auctoritate Authenticae constituti. de sanctiss. Episcopis, Reuerendiss. Clericis, & Monachis, de Ecclesiasticarum rerum alienatione, & de Ecclesiasticis. tit. quatenus sunt imperatoriae, siue ciuiles in foro conscientiae

Clericos, & Ecclesias non ligant: at vero quatenus aliquid continent, quod est naturali, diuino, vel Canonico iure praecipuum, in foro conscientiae Clericos & Ecclesias tenent: non quia iuris ciuilibus leges sunt; sed quia naturali, vel diuino, vel canonico iure confirmantur. Nulla enim lex Laicorum obligat Clericos, vel Ecclesias, quod deest in Laicis auctoritas, & potestas obligandi, vt est sententia communis, quam docet contra Bart. l. mol. in c. Eccle. S. Mariae de consilij. nu. 11. Alex. conf. 209. 210. lib. 2. & conf. 217. & 79. lib. 4. Ioan. Ligan. in c. postilla ad Bart. in l. conuictos populos. q. 5. c. de sum. Trin. post Bal. in l. conuictos populos modo citata, & alios, quos citat Felin. in Ecclesia S. Mariae supra dicto n. 89. Decius nu. 233. Abb. in c. qui Clerici nu. 18. de foro compei. Si vero leges ciuiles, aut statuta Laicorum generatim ferantur, ponaturque, ita vt nihil expressim de Clericis aut Ecclesijs constituant, vim quidem habent, sed Clericos, & Ecclesias non constringunt, & solum Laicos alligant: nam Clerici cum sint à laicorum potestate exempti, & liberi, eorum legibus, quamuis generatim scriptis & codicis, comprehendi non possunt.

Si quaeras, quid est, quod dicimus ciuilibus Laicorum legibus, vel statutis obligari Clericos, & Ecclesias, non vi, & ratione ipsius ciuilibus legis, sed quatenus ciuili lege aliquid continentur, quod est naturali, diuino, vel Canonico iure praecipuum. Respondeo, clericos, & Ecclesias iure naturali, diuino, vel Canonico, non ciuili teneri. Finge ergo lege ciuili quidpiam praecipui, quod est naturali, diuino, vel Canonico iure imperatum, si Laicus contra fecerit, non solum naturale, diuinum, vel Canon. ius violabit, sed etiam ciuile: at si contra Clericus egerit, peccatum quidem admittet, contra ius naturale, diuinum, vel Canon. non tamen contra legem ciuilem: quia ea lege non alligatur. Praecipiat Imperator, vel Princeps statuat legem, ne quis arma noctu deferat, ne quis armatus in publicum forum certis temporibus prodeat, ne quis alea ludat, ne quis hoc vel illo vestis genere utatur, ne quis venetur certis temporibus, locis, aut certo retis, laquei, vel instrumenti genere: si Laicus arma noctu gestat, aut procedit armatus, aut ludit alea, aut venatur tempore, vel loco sibi interdicto, Principis legem infringit: at Clericus si arma deferat, alea ludat, faciet quidem contra Canones, quibus ei interdicitur armorum usus, vel ludus aleae; non tamen faciet peccatum contra ciuilem Principis legem. Vnde fit, vt Laicus, aliquando duas, aut tres leges pertrumpat, cum tamen Clericus vniam tantum, aut duas, & tres leges infringat, tamen si idem faciat, quod Laicus. Pone, lege Principis, prohiberi, ne quis in fame ex oppido, prouincia, vel regno frumentum exportet, aut ne merces Reip. belli tempore arma deferat, eive arma vendat, ne quis patriae proditoribus, Haereticis, & auxiliis, & opem ferat, ne quis Turcis, alijve Christiani nominis inimicis, secreta sibi, commissa pandat: reuera si Laicus contra fecerit legem naturalem, aut diuinam simul, & ciuilem peruertet: at si Clericus contra egerit, erit legis naturalis, vel diuinae violator, non ciuilibus. Ex quo duo colliguntur. Primum, Laicum, qui legi Principis non parerit, incidere in poenam lege Principis constitutam

in eos, qui legem non seruauerint: Clericum uero, qui contra legem Principis ciuilem facit, non incurere in poenam ciuili principis lege positam, quia etsi contra legem naturalem peccat, non tamen contra legem ciuilem. Secundum Laicum, qui ciuili legi praedictae non obtemperat, a principe iure mulctatur, cuius legem soluit; at Clericus legem ciuilem quae simul est naturalis, uel diuina, non seruans, non a Principe, sed a suo Episcopo condemnari, & poena affici debet, & quia solum naturalis, uel diuina, non ciuilem legem Principis uolauit, poena arbitraria ab Episcopo puniatur: neque enim cogitur tunc Episcopus in Clericum ea poena animaduertere, quae est lege ciuili Principis imposita.

Quarto Queritur, an legibus, & statutis Laicorum, quibus iusta rerum uenaliu, siue eorum omnium, quae uaduntur pretia taxantur, Clerici, uel Ecclesiae si frumentum, uinum, uel oleum suum uendiderint, obligentur? *Sot. lib. 1. de iust. q. 6. a. 7. Nau. in man. c. 23. n. 84. Ang. in verb. lex. q. 5. Silu. ord. verb. q. 15. Bannes 2. 2. q. 67. a. 1. dub. 2.* docet, his legibus Clerici teneri. Ego tamen distinguo: aut questio est, an Clerici aequae Laici ijs legibus ciuiliu principu alligentur: an uero Clerici cogantur suas res uendere iusto pretio, quo Laici coguntur. Si questio est de primo, non aequae Laici, Ecclesiae & Clerici obligantur: quia lex praedicta ciuilis, quia iusta reru pretia taxantur, quatenus ciuilis est, Laicos: non Clericos, & Ecclesias teneri: at si questio est de secundo, Clerici & Ecclesiae aequae Laici, coguntur res suas uendere, locare, permutare iusto pretio: quia iuris naturalis, & diuini est, ut quisque rem suam iusto pretio uendat, alioqui si quis plures uendat, quam aestimetur res, furtum admittit: at ius naturale, uel diuinum Laicos, & Ecclesias obstringit: iusta uero pretia reru, quae uenduntur, locantur, uel permutantur communi hominum estimatione, uel Reipublicae aut principis legibus constituitur, posita ergo Reipublicae, uel principis lege, ut uinum, uel frumentum tantum, non plures uendatur, Clericus suum uinum, uel frumentum cogitur iure naturali, non ciuili principis lege tantum uendere, Laicus uero eodem pretio uendere, non solum naturali, sed etiam ciuili iure compellitur, & hinc est, ut si principis lege poena sit constituta in eos, qui plures uendiderint, eius poenae Laicus sit reus, non Clericus, quod si princeps expresserit, ut ea poena afficiantur etiam Clerici, qui plures uendiderint, nihil ualet ex ea parte lex: quia poenam statuit in eos, a quibus eam exigere, & sumere non potest.

Quinto Queritur quid dicendum, si Statuto Laicorum caueatur, ne certa bona, quae in ciuitatibus, aut in finibus agrorum, siue in confinijis sita sunt, externis uendantur, id est, ijs, qui subditi non sunt: item ne certa domus, uel aedes ad publicum usum necessariae, quamuis sint in priuatorum ciuium dominio, transferantur in eos, qui subditi non sunt: insuper ne mulier, quae filios habet, contractum inire queat cum externo, nisi usque ad certam pecuniae quantitatem: ne itidem possit aliquid testamento relinqui cum detrimento, & damno legitimae portionis, quae filijs communi iure debetur, num Clerici, & Ecclesiae huiusmodi statuta teneantur. *Felin. in c. Ecclesia sanctae Mariae*

de const. num. 88. & 90. docere uidetur, teneri: quia talia statuta nihil Clericis, aut Ecclesijs officium, & sunt de rebus, quae ad communem Reipublicae salutem, & pacem spectant, nam interest Reipublicae plurimum, ne in agris, & possessionibus finium uariatio contingat, quae solet populis nocere. Item, ne filij portione sibi debita fraudentur, ne certa aedes traseant in eos, in quos si deuenierint, non ita facile deinceps locari, & conuocari poterunt: & hoc ille probat testimonio Baldi, Ancha. & Cardinal. Sed certe non uideo, cur his laicorum statutis, Clerici, & Ecclesiae alligentur: si quidem lex in eos ferri non potest, qui Principis potestati subiecti non sunt: quare dicendum existimo, hisce statutis, & alijs, quae laicorum auctoritate generaliter ponuntur de contractibus uenditi, & empti, mutui, commodati, locati, & conuocati, permutati, depositi, pignoris, societatis, de donationibus, alienationibus, testamentis, dotibus, legatis, & fideicommissis, & alijs huiusmodi, Clericos, & Ecclesiae non ligari, si ea statuta considerentur, ut Laicorum auctoritate conduntur: at si aliquid contineant, quod naturale, diuinum, uel canonice ius imperet, eatenus obligantur: ite saepe contingit, ut ciuiles Principum leges aliquid fieri iubeant, quod naturalis ratio, & aequitas non quidem praecipit, sed suadet, ac monet, ut id generaliter feruetur ab omnibus, & Clericis, & Laicis, & tunc Episcopi, non Laici erit edicere, ut id Clerici obseruent: ut communis Reipublicae & pax, salus, & bonum facile conseruetur. nam etsi Clerici, ciues sunt, & Reipublicae partes, & membra: at liberi, & soluti sunt ciuili Principum potestate. Idem iuris est de statutis Laicorum quibus praecipitur, ut singuli ciues, hoc, aut illo modo aedes construant, aut fenestras, aut limina: aquam deducant, uiam ante ianuam domus purgent, & mundent: his statutis Clerici, & Ecclesiae non alligentur, quatenus statuta Laicorum sunt.

Caput XIII.

Quaedam laicorum statuta, quibus immunitati Ecclesastica derogatur, discutuntur.

Primo Queritur, An ualeant statuta Laicorum, quibus praedia, uel possessiones ad Clericos, uel Ecclesias transmissae, subijciuntur oneribus, uel contributionibus a Populo imponendis? *Barth. in l. rescripto, §. sciendum. ff. de numeris, & oneribus, consilium dedit, quod omnia praedia, quae sunt in alicuius ciuitatis, uel populi finibus sita, essent tributaria, hoc est in perpetuum obnoxia collectis & contributionibus, ut statutum ea conditione, & lege conderetur, ut singula praedia praedictis oneribus essent in perpetuum supposita: ita ut ad quoscunque transferint, cum tributis, & oneribus transmittantur.* Et hoc modo ait, fecisse Perusinos. At consilium huiusmodi reprobatur est postea ab omnibus, ut ait *Felin. num. 76.* fuit enim consilium in detrimentum Ecclesiae immunitatis, nimirum ut Clerici, & Ecclesiae ad collectas, & pensiones, & contributiones statuto laicorum tenerentur.

Est igitur annotandum, Tributum, uel onus aliud esse, quod est simpliciter rebus impositum, cer-

tum & inuariabile, veluti si statuto decerneretur, vt omnis possessio certi alicuius oppidi, sic obligata quot annis, vt ex ea soluatur pēso certa, definita, & inuariabilis, tunc eiusmodi possessiones trāscentes ad Clericos, vel Eccles. huic oneri subiecte manerēt: vt colligitur ex c. Si tributū. c. Magnū n. 7. 1. c. Tributū. 2. 2. q. 8. Ratio huius est: quia res cū suo onere trāsunt, vt ex vtroq; iure, ciuili, & Canon. cōstat, c. Cū non sit, c. Passaralis, de Decim. c. Ex literis, de pignorib. c. Alienatio ff. de contrahen. empt. Et l. Si diuina, c. de exactorib. tribuor. lib. 1. 0. Aliud verò est Tributum, pensio, & onus, quod aut personis imponitur, aut rebus duntaxat, nō tamen certum, & inuariabile, sed variabile, & incertum. Exempli causa, si Respu. statuat vt omnis possessio ad quēcumq; deuenerit, obligata sit ad solutionē pensionis quotannis, prout Respu. vel Populus contributiones solui decreuerit: tunc si possessiones ad Clericos, vel Eccles. transferint, non sunt eiusmodi contributionibus, & collectis, & pensionibus subiecte, quia à principio non est certa pensio, & inuariabilis constituta. Sic Abb. communi cōsensu omnium, in c. Eccl. s. Marie de constit.

Secundo sciendum est: Si priuatus testamento, Clerico legauerit fundū, potest ea cōditione legare, vt debeat in posterū soluere, quas vocat collectas, vel contributiones ob cōmunem vtilitatē inuendendas: & in foro cōscientie valebit huiusmodi cōditio: quoniam quisq; potest res suas Ecclesie donare ijs oneribus subiectas, & ijs conditionibus affectas, quas ipse voluerit, Felin. loco citato n. 77. Item, si res erat aliqui obligata ad pensionem in certos annos soluendam, quibus nondum exactis, ad Ecclesiam, vel Clericum deuenerit, transit cum suo onere, ita vt Cleric. vel Eccle. debeat tacita conscientia, totum illud pensionis residuum persoluere, vt ait idem Felin.

Secundo Queritur, An si statuto Laicor. contineatur, vt Clericus falsum testimoniū dicēs apud iudicē ciuilem, possit per eū falsi condemnari, valeat eiusmodi statutū: testatur Couar. in Pract. questionib. c. 18. n. 8. Glof. Cyn. Bald. Salicet. Federi. quos ibi citat, sensisse, iure posse condemnari, & puniri, quamuis Federi. dicat puniri solū posse pœna pecuniaria, nō alia corporis pœna, sed ad Episcopum remittēdum, vt eum puniat pœna corporis. Eod. teste Couar. scribit Gulielm. Benedict. apud Gallos esse vsu receptum, vt huiusmodi Clericus per iudicem ciu. apud quem falsum testimoniū dixit, condemnetur, & puniatur etiam pœna corporis. Sed verius est, quod tradiderūt Inno. Hostien. Io. Andr. Anton. Abbas, Felin. Paulus Castrensi. & Bart. quos ipse Couar. citat, & sequitur, iure id fieri non posse, eo quod pugnet cum eo, quod generatim dicitur in cap. si diligenti, de foro cōpet. nec vis vlla p̄scriptio, nec diuina consuecudinis, in hac parte valeat: quoniam Laicus huius potestatis & iuris capacitas non est.

Tertio Queritur, quid sit dicendum de statuto Laicor. decernente, vt portio legitima filiorū sit dimidia bonor. pars, an eo statuto Clerici, & Ecclesie adstringantur? Exemplū sit, Titius filio suo tantum tertiam bonor. suor. partem reliquit, dato Ecclesie reliquo. Queritur an debeat Ecclesia filio restituere totum id, quod pertinet ad dimidiā partem bonorū. Respondeo, in foro conscientie

debere, quoniam statutum prædictum nihil immunitati Ecclesie derogat, & proinde eo Clerici, & Ecclesie tenentur. Abbas, Felinus, & alij, in c. Ecclesia. s. Marie de constit.

Quarto Queritur, quid sit iudicandū de statuto Laicor. quo decernitur, ne suis priuilegijs potiantur ij, qui subditi nō sunt, an huiusmodi statutum deroget Ecclesiasticæ immunitati? Respondeo cum Bart. quem citat, & sequitur Felin. in c. Eccl. s. Marie de constit. non derogare, & ideo Clericos priuilegijs huiusmodi non gaudere. Aliud enim est, Beneficium, vel priuilegium non concedere, aliud verò derogare: nam hoc, quod est non cōcedere, absque vlla iniuria alterius fit: Adimere verò, tollere, aut ex parte minuere, sine iniuria, & dāno minimē contingit.

Quinto Queritur, An statutum Laicorū abrogans aliud statutum suum, quod Ecclesiar. vel Clericor. priuilegium continebat, deroget Ecclesiasticæ immunitati? Exemplum accipe: erat statutum antiquum Laicorū vt singulis annis in certū hominum Collegium piē erogarentur certæ elemosynæ; sed deinde aliud statutum decernit, ne in posterum ea elemosyna præbeatur. Queritur iam, an valeat in foro conscientie secundum eiusmodi statutum? Respondeo Felinus in c. Eccl. s. Marie de constit. num. 97. duas esse opiniones, vnam negantem valere, alterā affirmantem. Sed probabilius est non valere, nam priuilegium concessum, postquam ratum habetur ab eo, in quē collatū est, transit in ius: ergo Laicus potuit quidē principio priuilegiū non concedere Clericis, vel Eccle. at postquā contulit, & Ecclesie, vel Clerici acceptū habuerunt, deinceps abrogare, & tollere iure non potest.

Sexto Queritur, An valeat statutū Laicor. quo cauetur ne quis apprehēdat possessionē Ecclesie, vel beneficij sine facultate eius quī dominatur, vel præest populo, vel Ciuitati, Prouincie vel loco? Respondeo ex cōmuni sententia Pontificij iuris doctor. quā refert Felin. in c. Eccl. s. Marie de constit. n. 96. non valere: quoniam derogat Ecclesiasticæ immunitati. Ecclesia enim habet ius, & potestatem mittendi Clericos in possessionem Ecclesiarum, vel beneficiorum.

Septimo Queritur, An valeat statutum Laicor. constituens pœnam in propinquos, seu cognatos Clericor. eo quod Clerici ipso forū Laicor. statuis parere refugiāt? Profecto non valet, quoniam dāno afficit Clericos, & proinde Ecclesiasticæ immunitati derogat. Felin. n. 99. Idē iuris est de statuto laicorum puniente, opprimēte, vel onerāte, colonos, vel famulos Clericorū, eo qd ipsi Clerici eorū forum & iurisdictionē detrectent, recusent, atq; declinent.

Octauo Queritur, An valeant Laicorum statuta, vt Clerici vna cum Laicis aliquod contribuant ad reficiendum fontem, puteum, pontē, viā, portas, vel muros vrbis cōmunes? Honor. & Theodof. in l. ad instructiones, & Theodofius, & Valentin. in l. iubemus, c. de sacros. Ecclesijs constituerunt, ad instructiones viarum, & pontium, Ecclesias contribuere debere, vnde duas opiniones inuenio, quas refert Sil. immunitas. 1. q. 5. §. 4. vers. de concertationibus. Vnam asserētium Clericos, & Eccle. debere contribuere: sic Innoc. Vincen. Hostien. glof. Card. Anchar. Philippus in c. non minus de Ecclesia. Innoc. si

Alberi. in l. ad instructiones. ubi citat Dinum, Cyn. Oldrad. & alios. Altera opinio est communis, ut ait Siluest. Canonici iuris interpretum consensu recepta, non debere contribuere, nisi ubi tãta fuerit subita necessitas, ut ad Rom. Pontificem commodè aditus non pateat, tunc enim sufficeret Episcopi facultas, & consensus: alioqui nisi Rom. Pontifex consulatur, & consensus petatur, Eccle. & Clerici ad contribuendum compelli nequeunt. Sic Abbas. Ioan. Andre. Butrius: & alij in prædicto, cum minus, de Ecclesia. immu. de quibus opinionibus alio in loco latius agam. Satis est in præsentia dicere iuxta secundam sententiam, statuta, & leges Laicorum clericos, & Ecclesias non tenere, etiam quando communis est omnium utilitas, nisi, vel consulto Rom. Pontifice, vel saltem Episcopo loci. At secundum primam sententiam eiusmodi leges valent, quotiescunq; res sunt, & Clericis, & laicis cõmunes, & alioqui laicorum bona ad cõmunes impensas non sufficiunt, nam secus esset, si sufficeret. Vt puta, cū est fons, vel puteus in vicinia cõmunis, ubi habitat etiam Clericus: est pons, via, vel porta, qua exeundum, vel transeundum etiam Clericis est, ad negotia, & res suas peragendas. Idem iuris est de his, quæ toti populo soluenda imponuntur ad communem custodiam vrbis, murorū, agrorum, ac similib; tempore pestis, belli, latrocinij, vel hostium irruentium. Mihi magis secunda opinio probatur: quoniam licet prima sententia sit iuri civili consentanea, secunda tamen magis cum iure Canonico congruit: & in hac parte ius Canonicū, non civile, locum & vim habet. At verò dubie quæstionis est, an quando huiusmodi res muniri, & refici solent tantum ob cõmunem populi utilitatem, & vrbis ornatū, debeant quoque Clerici contribuere? Rescitur, V. G. via, porta, pons, vel forum, solū propter cõmune civitatis commodum, & Clericus nihil propriū habet in via, porta, ponte, vel foro præter communem civium usum, & emolumentum, Quæritur, an Clericus debeat tacita conscientia contribuere? Dux sunt quoque opiniones, una est communi consensu civilis iuris interpretum recepta, quam refert Siluester: ita enim senserunt Salicetus, Cynus, Dinus, Alexander, & alij, in l. ad instructiones, c. de sacrosan. Ecclesijs, Clericos debere in foro conscientie contribuere: quod probant ex iure Civili, ubi extant leges id aperte constituentes. l. ad instructiones, c. l. i. ubi venus, c. de sacrosan. Ecclesijs, l. cum ad felicissimum, c. de quibus muneribus, & prestationi, lib. 10. l. si divina domus, c. de exaltoribus tributo, l. 10. l. ad portus, c. de operibus publicis, l. nullus penitus, c. de cursu publico, lib. 12. l. Neminem, c. de sacrosan. Eccle. Item, ratione id probant: quoniam res est communis, & ob communem Reipub. utilitatem, ergo Clerici debent etiam onus sustinere, cum ipsi quoque res, & emolumento communi fruuntur. Altera est opinio Pontificij iuris doctorum, asserentium Clericos esse liberos, & immunes ab huiusmodi contributionibus, quod tradiderunt Anto. Butrius. Ioan. Andreas. Anchar. Abbas, & alij, in c. Non minus, c. c. aduersus. De immu. Ecclie. Hæc opinio est magis iuri Canonico consentanea, & facillè deducitur ex c. aduers. & c. non minus, modo citatis. Et licet prior sententia magis cum iure civili conveniat: in hac tamen par-

te maioris est auctoritatis ius Canonicum, quam civile.

Item, solent esse statuta, ut primogenitus excludat secundogenitum in bonis paternis: Item ut masculi excludant foeminas: Quæres, an valeant huiusmodi statuta laicorum contra Clericos, vel foeminas religionis voto consecratas? Est consens multorum, & communis opinio, quæ refert, & sequitur Feli. n. 10. 1. valere, quoniam nihil detrahunt Ecclesiasticæ immunitati. Nam ante Clericorum ordinem susceptum ius est alteri acquisitum, proinde si secundogenitus sit Clericus, nihil mirū est si non succedat in bonis, quia lex constituta fuit, antequam Cleric. crearetur. Similiter si foemina sit sanctimonialis Deo dicata, potest à successione paterna excludi: quoniam non excluditur, eo quod sit sanctimonialis; sed quia antequam Religionis votis sese adstringeret, & Deo obligaret, lex fuerat constituta, ut masculi foeminas excluderent, & propterea excluditur. Sicut etiã secundo genitus non excluditur, quia Clericus, sed quia secundogenitus, ergo eiusmodi statuta nihil immunitati Eccles. derogant & eo ipso, tuta conscientia, firma, & rata censentur. Nonnulli quærun, num clericus res læsæ Maiestatis per iudicem civilem puniri iure queat. Hanc quæstionem tractat Iul. Clar. lib. 5. receptar. sentent. in Præb. crim. q. 36. n. 28. & respondet iure non posse: & ita est. quoniam ex c. si diligenti, de foro compe. generatim clericus, non nisi coram Iudice Ecclesiast. conveniri, condemnariue potest. Nec est, cur alicubi clericus huius criminis reus à laico iudice, vel Magistratu puniatur ob cõsuetudinem in loco vigentem. Nam in hac parte cõsuetudo corruptela est, nec vis vlla præscriptionis longæ ve cõsuetudinis laico ius dare potest: siquidem in laicum Eccl. potestas non cadit.

Nono Quæritur, de quibusdã Civitatū, Principum ve statutis, & Regū etiam legibus, num iustæ sint, cum Ecclesiast. immunitati, & libertati derogare videantur? Sunt statuta, & leges in quibusdã Christianorum, & Catholicorum Principum Provincijs, quibus cauetur, ne externi ad Eccles. beneficia admittantur: nec Ecclesijs præficiantur, ac proinde ne literæ Apost. siue Pontificiæ recipiantur, quibus beneficia Eccles. conferuntur externis ex resignatione, vel permutatione, vel vnione Beneficij. Item ne ex Beneficij, & præbendis Eccles. solvantur pensiones gratia, & causa externorum impositæ, & ne literæ Pontificiæ siue Apost. quibus pensio externo assignatur, recipiantur. Item, ne admittantur literæ Apost. quibus derogatur iuri, quod habent Ecclesiæ ad conferendos Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus, Magistris, vel Doctoribus Theologiæ, vel iuris Canon. Item, ne admittantur literæ Pontificiæ, si derogent iuri patronorum laicorum, quale habent comites, Marchion. Duces, & alij, tum illustres, & primarij viri, tum privati homines: Nec item si derogent iuri, quod habent aliquæ Vniuersitates, siue Academia in nominandis, offerendis, & eligendis Clericis, qui sunt in beneficij instituendi: & multo minus si derogent iuri regali, quod habent Reges nominandi, offerendi, eligendiue Clericos, ad Ecclesias primarias, vel ad dignitates, vel ad præfecturas Monasteriorum, aut etiam conferendi certa quædam beneficia, quale ius habent

Gallia Reges in certis Ecclesijs. Item solent esse statuta, & leges, quibus cauetur, ne Legati, vel Nuntij Apost. ad regnum aliquod, vel Prouinciã auctoritate Pontificia missi vtantur facultatibus sibi à Rom. Pontifice cõcessis, in literis Apost. priusquam facultates, & literæ referantur ad Regia prætoria, & tribunalia, & iudicibus, ac Magistratibus Regijs exhibita legantur, recognoscantur, & discutiantur. Item, sunt etiam statuta, & leges, quib⁹ præcipitur in vniuersum, ne quis ex Regno, vel Prouincia p̄beat literis Apost. priusquam ille in Regio prætorio, & tribunali examinetur, & expendatur.

Hanc quæstionem fusè tractauit Couarr. in lib. practicar. quæstionum, c. 35. & 36. breuius Driedonius, lib. 2. de liber. Christi. c. 2. & in ea definienda ita caute, & prudenter est agendū, vt nihil dicatur, quod vel immunitati Ecclesiæ deroget, vel legitimam Regum, aut Principum potestatem tollat, lædat, aut minuat. Meum in controuersia propositum est, non Reges, & Principes, Ecclesiæ alio qui patronos, & defensores, & bene de Christiana, & Catholica Repub. meritos offendere, aut eos verbis, de suo iure, & potestate deicere; nec Ecclesiæ, quàm vt matrem piè, & Religiosè venerari, & honorare debemus, aliquid ius debiti meae disputatione detrudere, vel denegare, sed explicare duntaxat rei difficultatem, ne facile doctores Catholicos, qui de hac quæstione tractant, approbemus, aut improbemus, vel etiam damnemus: quæ enim mitius, & benignius interpretari possumus, non est cur durius, & seuerius accipiamus, quasi rigidi censores effecti. Primum breuiter dicam, quid nonnulli de tota hac controuersia senserint, & quid item aliqui scripserint: mox meam sententiam, qua potero breuitate, explicabo cap. proxime sequenti.

Et in primis sciendū est, inter excommunicationes, quæ in Constit. Pontificia, quæ dicitur Bulla in Coena Domini, promulgantur, vnã ferri solitam ab anno Domini 1586. quæ constituitur in Laicos, & etiam Clericos, qui Ciuiliū Principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediuntve executionem literarum Apostol. mādatorum vel aliorum Ecclesiasticorum processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiam, & in eos, qui suum ad id consilium, aut assensum, præstant, etiam prætextu violentiæ tollendæ, vel iniuriæ depellendæ, vel causa alterius obtenti iuris, seu etiam donec ipsi appellauerint, ad Roma. Pontificem melius informādum, aut ei supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Rom. Pontifice legitimè prosequantur. Quare meritò dubitatur, an huiusmodi excommunicatione afficiantur iudices, & Magistratus Ciuiles, qui, vim, vel iniuriam repellendi causa literas Apostol. apud se retinent, & impediunt, quo minus executioni mandentur; nec tamen ipsi ad Romanum Pontificem prouocant, nec quippiam aliud ad ipsum referunt, ipsiue significant. Deinde, quamuis fateamur, inquit, & scribunt nonnulli, hoc tempore, Reges, Principes, & iudices, siue Magistratus, ipsorum auctoritate delectos, & creatos, ius habere, & potestatem literas Pontificias ad ipsorum Regna, & Prouincias missas recognoscendi, discutiendi, apud se retinendi, aut aliquo modo

impediendi, id locum solum habet in ijs, quæ sunt iure ipso naturali, diuino, aut Canonico cõcessa, siue permissa. nam in his nihil immunitati Ecclesiæ derogant, eo quòd in huiusmodi Pontificijs literis tacita conditio subest: modo ne iuri naturali, vel diuino, vel Canonico ipsæ literæ aliqua ex parte repugnare videantur: & in his literæ, quas multi à Rom. Pontifice impetrant, sub repositiæ meritò censentur. Vnde in c. si quando, de Rescript. Pontifex Episcopo Eboracensi rescribit: *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod à nobis fuerit præna insinuatione iuggestum, qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur diligenter consideraui, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam pretendas.* Vbi Gloss. quandoque per nimiam importunitatem petentium, Preceptum non concedenda concedit. Et inferius ait, *vbi etiam per constit. rescribit Imperator, non vult, vt sua responsioni pareatur, si quis non velle responsum putauerit. Et c. Cuncte ne amur, de Præbend. ait similiter Pontifex: si non potest mandatum sine scandalo commodè impleri, equanimiter sustinebimus, si nostrum mandatum vniuersum duxeris exequendum.* Vbi Gloss. ait, non est necesse mandatum superioris impleri, vbi ratio non adimplendi reddi potest. Et in c. Filijs. 16. q. 7. *Si Episcopus, & Metropolit. negligat talia gerere, Regis hæc auribus intimare non differant.* & gloss. in c. Principes 23. q. 5. docet, *vbi Ecclesiæ potestas deest, Princeps ciuilis, licet ius reddat in causis etiam Ecclesiæ.* Sic Gloss. quod accidere potest in Prouincijs Hæreticorum aut Paganorum, vbi Hæreticis, aut Gëtilibus sibi omnia vsurpantibus, aut retinentibus, Clerici suo iure, & potestate non vtuntur, aut quia non possunt, aut quia negligunt, aut quia non audent. Quare prædicti auctores plurima ex dictis colligunt: in primis, aiunt, cum literæ, aut mandata Pontificia euidentem violentiam, iniuriam, damnum, offensionemve aliorum inferunt, pariuntve, aut inferre, vel parere verosimiliter creduntur, iure ciuiliū Principum auctoritate impediri queunt, donec Rom. Pontifex certior fiat. Item, si literæ, aut mandata Pontificia derogent iuri Regum, Principum, illustrium virorum, vniuersitatum, Ecclesiarum, Collegiorū, possunt impediri, donec ipse Rom. Pontifex admoneatur, quoniam ius, quod alius sibi acquisiuit, sine causa auferri non potest, tale est ius patronorum, quod habent Laici, vel Clerici, in certis Ecclesijs, talia etiam sunt iura multa, quæ concessa sunt iure Canonico, vel Rom. Pontificum auctoritate, Regibus, atque Principibus. Item, ius, inquit, habet ciuiles Magistratus, & Principes recognoscendi, & examinandi, num literæ Rom. Pontificis ad eorum Prouincias missæ, falsæ sint, an veræ; subreptitiæ, aut legitime, num aliquid cõtineant, quod eorum, vel aliorum iuri detrahatur, tollatur, aut aliquo damno afficiat alios, aut animos offendat aliquorum. Item, iure, inquit, recognoscunt, & examinant: num facultates Legatis, & Nuncijs Apost. datæ aliquid etiam habeant, quod alijs nocere queat: & hoc locum habet, cum damnū est manifestum, aut cum verosimiliter securum esse iudicatur. Secus esset, si nihil de dano, vi, iniuria, offensione aliorum certi constet. Nec item, inquit, derogat immunitati Ecclesiæ, consuetudo recepta, vel lex, aut statutum, ne ad Ecclesias externi deligantur, neue externis beneficia Ecclesiæ

conferatur, ne itidem pensiones in beneficijs constituantur gratia, & favore exterorum. Item, Laici iure, inquirunt, possunt eas causas cognoscere, etiam si ad Ecclesiasticas res, vel personas pertineant, quando id canones, & iura concedunt, quemadmodum Principes, & Magistratus civiles auctoritatem habent, & potestatem includendi in Conclauē Cardinales, quorum est Rom. Pontificem eligere, ad eum eligendum, ut conceditur in c. *ubi periculum*, s. *Præterea*, De electione in 6. & ubi Clerici schisma in Ecclesia fecerint, aut concitauerint, si non possunt ab Ecclesia cohiberi, & sedari, iure communi ciuiliū Principū auctoritate coercentur. *Glossa in cap. 1. de decimis*, & in cap. *De ligariis* 23. q. 5. Sic etiā ciuiles Magistratus possunt animaduertere in Clericos, qui ob certa quædam facinora omni Clericorum priuilegio, ipso iure spoliatur, ut in Clericū publicum ioculatorum, c. *de viis*, & *honestate Clericorum* in 6. Si tertio ab Episcopo monitus non respiciat, & in Clericis minoribus ordinibus initiatos coniugij vinculo adstrictos, nec Clericorum vestes, & tonsurā gestantes, c. *de clericis coniugij* in 6. Et in Clericis minores qui bis ad nuptias transferunt, aut viduam fornicam, vel corruptam in vxorem duxerunt. c. *de Bigamis* in 6. Et in Clericis macellarios, tabernarios, si tertio per Episcopū moniti ab eo vitæ genere non desistant; *Clem. 1. De viis*, & *honestate Clericorum*. Item, Clerici mercaturæ, & negotiationi studentes, soluere vectigalia, tributa, & alia huiusmodi onera sustinere ipso iure coguntur: quod si tertio ab Episcopo moniti, non se correxerint, priuilegio clericorum nudati, laicorum statutis, & legibus subiiciuntur, c. *Ex litteris*, De viis, & *honestate Clericorum*. Item Clerici falsi crimem admittentes, priuilegio Clericorum orbati, Magistratibus ciuilibus puniendi traduntur, c. *Ad falsarios*. De crim. falsi, & Clerici, qui Assassinatorum opera Christianū aliquem occidi fecerint, aut Assassinū ipsum defenderint, aut occultauerint, omni Clericorum priuilegio nudantur, c. *Pro humanis*, de homici. in 6. Itē, aiunt si Clerici, vi aut priuata auctoritate, imò si Episcopi, aut ipsi Ro. Pontif. litteris Apostolicis, iurisdictionem Principum, Magistratumve Ciuiliū sibi usurpare tentauerint, laici iure possunt se ipsos contra eos tueri, atque defendere, ut colligitur ex ipso iure communi, quo quisq; se, & sua defendere potest. Postremo, inquirunt, pœnis iuris Canonici non afficiuntur ciuiles Principes, aut Magistratus, si aliquas causas Ecclesiasticas cognoscant, vel aduocent ad se, consuetudine longa, & veteri, cuius initiū hominum memoriā omnino latet, ac superat: & legitimæ præscriptionis tempore, que ius, & potestatem dare potest. hoc enim modo laicus de prædictis causis cognoscere, & iudicare potest. Quare concludunt, non facile laicos condemnare debemus, tanquā in excommunicatione lapsos. Item, aiunt, iure ciuiles Principes priuilegia sibi, aut suis Maioribus Ro. Pontificis auctoritate concessa defendunt, tuentur, conseruant, donec ea Ro. Pontifex antiquet, abroget, aboleat. Hæc, & alia familia tradiderunt nonnulli, qui hac tempestate nostra scripsere, qui nescio quibus rationibus permoti, magis Principum potestatem tueri, quam Ecclesiæ auctoritatē illam secutare voluerunt. In quibus meo iudicio multa

confundunt, & plerisque auctores citant, qui nihil tale nedom senserunt, sed ne omnia se quidem videntur: ac ideo singula distinctè, & aperte cap. sequenti breuiter disputabo.

Caput XIV.

Quo iure causa quadam, siue questiones Ecclesiastica apud Iudices ciuiles tractari, & iudicari soleant.

PRIMO Quæritur, An possessoria causa de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus, iudicari corā Iudice ciuili agi, cognosci, & iudicari: id perinde est, ac si quæretur, An quæstio possessoria de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus sit ciuilis, an Ecclesiastica, an mixta: quam quæstionem pertractauit Abbas c. *litteras*, de iuramento calumnie, & Couar. lib. *Præctia*, quæst. c. 35. n. 1. De re spirituali, vel quasi spirituali quæstio, siue causa, ut docet Abbas, potest esse simpliciter spiritualis, aut simpliciter ciuilis, aut mixta: simpliciter spiritualis est ea, in qua tractatur de iure, videlicet, An hoc, vel illud matrimonium valeat, An hic, aut alius, sit ex legitimo matrimonio natus; An impetratio, & adeptio beneficij rata fuerit: An hic, aut ille debeat soluere decimā, an potius sit ab hoc onere iure, priuilegio, consuetudine, immunitatis, & liber: An penes hunc sit ius nominandi, offerendi, & eligendi Clericos ad beneficia Ecclesiastica: An sit ius sepulture, ius exigendi decimā, ius conferendi beneficium, ius petendi pensionē Ecclesiasticam. Et hæc causa apud Iudicem ciuilem agi iure non potest. *Tham, de ordine cognitionis*, c. *Lator*, c. *causam*, qui filij sunt legitimi. Causa quasi spiritualis ea est, in qua agitur iudicio possessorio: sed quod requirit etiam quadā ex parte petitorium, quo agitur de proprietate rei, ut cum tractatur de restituenda coniuge marito: opus enim est eam etiā causam agere, scilicet legitimum inter eos matrimonium constituisse. c. *Ex transmissis*, & c. *Ex parte*, De restit. spoliat. Et hæc etiam causa, teste Abbate, agi debet apud Ecclesiasticum Iudicem, quia est ei coniuncta causa spiritualis, siue qua expediri non potest. Causa simpliciter ciuilis, & profana est, in qua nihil spirituale tractatur, qualis est causa, in qua agitur de iure succedendi in hereditate. At mixta est, in qua tractatur, an Titius succedat in regno, vel hereditate, quia simul etiā agitur, an fuerit ex legitimo matrimonio genitus, vel an fuerit hæreticus, vel an sit vinculo excommunicationis obstrictus. His positis, quæstio est inter auctores, an cum agitur, ut Titius Clericus recuperet Ecclesiæ possessionem, è qua est deiectus per vim vel retineat beneficij possessionem, in qua molestè per alium turbatur, sit causa spiritualis, an potius profana, & ciuilis: ut si Clericus Titius contra laicū Seium agat iudicio possessorio retinendæ, & recuperandæ possessionis Ecclesiæ, siue beneficij, infestat enim, & vexat eum laicus, ne possessionem retineat, aut vi de possessione deijciat: tunc enim laico Clericus litem intendit, ne eū in possessione turbet, vel vexet, vel è possessione deijciat. Vnde tunc agitur iudicio possessorio retinendi, vel recuperandi possessionē, & Iudex corā Seium reū pro-

cedit interdicto, Vt possidetis, vel interdicto, Vide vi. Et de hac causa est tota controversia, an civilis sit, & iure queat apud laicum Iudicem tractari. Est enim multorum opinio, eam esse civilem, & ad Iudicem laicum pertinere, & in Gallia esse consuetudine receptum, vt de ea cognoscant, & iudicent Ciuiles Magistratus, etiam inter Clericos; & de possessione rei spiritualis: que vsu foresem inter Gallos defendunt Guido Papæ, Guliel. Benedi. Nicolaus Boerius, Anfrerius, Tho. Grammaticus, Ioan. Gallus, Carolus Degraffalius, Io. Selna: quos omnes refert Couar. lib. Pract. q. c. 35, num. 1. Et probant, quia huiusmodi causam non esse spirituales, docent Vincentius in cap. vii. de iudic. & Glossa in c. cum dilectus, de elect. verb. Iuramento. Innoc. in eodem c. cum dilectus, & Archid. Jac. & Ioan. And. in c. Frequens, de restit. spoliat. in 6. Sed Ioan. Lignanus, & alij apud Panormitanum in prædicto, c. literas, sentiunt hanc causam spirituales esse, vel quasi spirituales, & ad Ecclesiasticum iudicem pertinere, & probant ex Clementina 1. de causa possess. c. Clemens, de sequestrat. possess. vbi causa de beneficio, siue iure petitorio, siue possessorio spiritualis censetur. Abbas potius subscribit priori sententia, quia in hac causa sola est questio facti, non iuris, videlicet, An Clericus possideat, an turberur, vel deturbetur possessione; Quemadmodum, inquit, civilis iudex potest cognoscere de iniuria facta Clerico, altari, templo, calici consecrato. Similiter etiam iudicatur de causa, in qua agitur, vt laicus soluat decimam, quam furatus est. At alij distinguunt: Aut agitur inter Clericos, ita vt tum actor, tum reus sit Clericus, & tunc ea causa penes iudicem laicum agi non potest, quoniam is iudex contra reum Clericum, qui alterum beneficii possessorem, vel turbat, vel vexat, vel possessione deturbat, sententiam ferre secundum Canones, & iura nequit: aut causa agitur contra laicum reum, qui Clericum beneficio spoliavit, vel etiam nunc infestat, & tunc in laicum civilis Magistratus potest animaduertere: Et Clericus cum laicum reum apud iudicem civilem secundum Canones, & iura conuenire potest: quia questio est facti, non iuris. Couarruias secundam sententiam approbare videtur. Et certè magis cum ipso canonico iure conuenit, vt hæc causa vt potè spiritualis, vel quasi spiritualis coram iudice Ecclesiastico, non civili tractetur. Quæres, an ob consuetudinem receptam hæc causa possit ad ciuiles iudices pertinere, cum reus est laicus, & actor Clericus? Concedit Couarruias, & ita in Regno Neapolitano vsu esse receptum, testis est Matthæus de Afflictis decis. 14. vt quæta Respub. sit, bene fiat alicui violentia vel iniuria: videlicet ne quis contra Canones, & iura rei possessione spoliatur. Ceterum, si hæc causa, vt dixi, est spiritualis, vel quasi spiritualis, ad iudicem laicum trahi non potest, nec consuetudo contraria vim, & locum habet. Laicus enim sibi vëdicare nequit, quæ sunt Ecclesiastici iuris, & potestatis. Et idem etiam dicendum existimo de legibus Principum, quibus edicunt, vt huiusmodi causa ad civilem, & profanum iudicem deferatur, & vt consuetudo recepta seruetur.

Secundò Quæritur, An vbi Episcopi, & cæteri his superiores Antistites, negligenter se gerunt

in cognoscendis, & iudicandis causis ad Ecclesiã pertinentibus, aut quia nolunt, aut quia non commode possunt, iudex civilis possit iure eas causas ad se deuoluere, sibiq; vëdicare. Hæc quæstio tractat. Abb. in c. Qualiter, & quando, de iudicij, n. 7. & tandem censet id iure non posse, quauis contra, Ecclesiast. Iudex civilis Magistrat. vicem, & curam supplere queat, cum suum officium negligit. Sic etiã senserunt Innoc. Archid. & Io. Andr. Panormit. ibid. Sed ætate nostra nonnulli Couarruiã sequenti pugnantèr id iure posse affirmarunt. Primò, vt quietè Resp. viuat, & omnis violentia propulsetur: alioqui, inquit, impunita delicta manerent, & innocentes à fontibus & improbis hominibus vexarentur, & opprimerentur. Secundò, quia in c. Filij, vel nepotibus, 16. q. 7. constat, Episcopis, & Archiepisc. negligentibus punitionem eorũ Reclorum, qui bonis Ecclesiast. abutuntur, licere patronis Ecclesiarũ Regem adire: vt illi malo medeatur, & in c. Reg. 23. q. 5. ex Hieronymo referunt. Regum officium est proprium, facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumnicarũ vi oppressos, & peregrinis, pupillisq; & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, & idem colligitur ex c. Ab Imperatorio, 23. q. 3. Tertio, quia in c. Principes, 23. q. 5. ex Isidor. Gratian. testim. produci, vbi innuitur, saculi Principes eam potestatem habere, vt superborum ceruices comprimant, & quod fieri non potest per iudices Ecclesiast. ab ipsis iuxta disciplinã Reipub. velè executioni mandetur. Quarto, quia non est maior ratio cur negligente iudice civili, Eccl. suppleat eius locum, quam è contrario: sed iuxta Canon. & iura primum conceditur, vt patet ex c. literas, & c. ex tenore, & c. ex transmissis, de foro comp. ergo, & secundum. Postremò, id probant ex Glossa in c. Principes, & c. Filij, vel nepotibus, & in c. Administratores, 23. q. 5. sancitum est, administratores secularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarũ protectionem, rapaciumq; refragationem constituti esse proculdubio debent, quoties ab Episcopis, & Ecclesiast. viris cõueni fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secundò quod necessitas expetierit absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant, & in c. si quis cum Clerico, 11. q. 1. Authent. Clerici apud proprios Episc. primum conueniantur. Col. lat. 6. plane habetur, Episcopo negligente, aut recusante, quia non vult, aut quia non potest, disceptionem peruenire debere ad civile iudicem, & ex c. perimus, & c. illud est, 11. q. 1. idem colligi videtur. Sed longè verius est oppositũ, videlicet, id iure non posse. Goffred. Archid. Ioan. Andr. quos citat, & sequitur Abb. c. Qualiter, & quando, de iud. n. 7. Nec enim Canones, & iura voluerunt, vt spirituales causæ ad profanos iudices deferantur, deuoluaturque, nam in c. Qualiter, & quando, de iud. Innoc. 3. sic definiuit. Ne pro defectu iustitie clerici trahantur ad iudicium seculare, quod omnino fieri prohibemus, & idem constat ex c. Si quis Clericus, & c. Placuit, c. Christiani, c. Clerici, 11. q. 1. Nec propterea sequitur, vt impunita maneat delicta, aut innocentes ab improbis hominibus opprimantur. Nam si Episcopi negligenter se gesserint, Canones præcipiunt, vt causa ad Archiepiscopos deferantur. Quid si illi neglexerint Primates, & Patriarchæ aduocentur.

Quibus

Quibus minime curantibus, res tota ad Nunciū, vel Legatū Apost. vel ad ipsum Ro. Pontificem deferatur. Quid si neglexerit ipse etiā Ro. Pontifex dicā ego; Quid si profani iudices inferiores, simul etiā superiores, & ipse etiā Rex negligenter peccata punierit? Cur enim diligentiores profanos, & ciuiles, quā sacros, & Ecclesiast. iudices fore putemus? Sed demus, sacros Iudices, Canones, & iura contemnere; num continuū sit, vt sibi quis ius dicat? Absit; sed superiorem Iudicem Ecclesiā, adire debet, qui seruato Canonum ordine ius reddat. Quemadmodum ergo nemo potest sibi ius dicere, ita nec iudicem profanum conuenire, qui ipsi in causa spirituali ius dicat. Quid si Clerici commorentur in terris Hæreticorum, vel Paganorum, in quibus, nullus iudex Ecclesiast. sit, ad quem causa deferatur? Respondeo: si comode Rom. Pontifex consuli possit, consulendum eum esse, & ab eo petendum, vt Canonum rigorem remittat, facultatemque concedat, qua tractari huiusmodi cause possint apud Iudicem ciuilem, vel aliud remedium opportunum adhibeat. Quod si consuli Rom. Pontifex nequeat, rē necessitas lege cāreat, & id fiet, quod ipsa ratio recta prescribet. Ad id, quod assertur ex c. Filij, vel nepotibus, c. q. 7. respondet Panormitanus in prædicto c. Qualiter, nihil obesse, quia solum ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel reuente, ad Regem causa deferatur, non vt Rex ipse iudicet, atque definiat, sed vt moneat superiorem. Vel respondeo, hoc ius antiquū esse sublatum ab Innocentio III. in c. Qualiter, c. quando, superius aduogato, vt ipse quoque Abbas restatur, & Gloss. quæ habetur in c. illa. Filij, moriō, inquit, Abbas restatur. Ad id, quod dicitur ex c. Si quis cum Clerico, c. q. 1. & in Authent. Vt Clerici apud proprias. Respondeo, ea decreta, & iura quatenus consignant Episcopo negligente, disceptionē ad ciuile iudicem deferenda, esse abrogata ab Innoc. III. in c. Qualiter, c. quando, de iud. vt docent Io. Andr. & Abbas in eod. c. Nec mirum est hoc: nam olim multa fuerunt, vel permilla, vel etiam concessa, quæ postea sunt merito reuocata, mutata, sublata. Ad alia, quæ obijciuntur ex c. Regum, c. Administratores, c. Ab Imperatoribus. Solutio patet ex dictis.

Tertio Queritur, An cum immunitate, libertate; Ecclesiast. pugnent ex leges Principum, quibus statuitur, ne beneficia Ecclesiast. conferantur externis, neue illis soluantur ex beneficijs pensiones: ne admittantur literæ, siue diplomata Pontificia, quæ derogant iuri patronatus Regum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum, ne literæ Apostol. siue Pontificiæ executioni mandentur, nisi in curia Regia per Regios Iudic. prius discutiantur, nisi Rex ipse, aut Princeps suum assensum ante præstiterit, quo annuat, vt Pontific. literæ executioni tradantur. Teste Couar. de præf. questionib. c. 36. extat edictū Caroli V. Hispaniarū Regis, quo iniungitur Episcopis, & Regijs Magistratibus præcipitur, vt diligentissimè curent, ne auctoritate literarum Apostolicarū iuri patronatus laicorū derogetur. Et ideo ex ea pragmatica sanctione in supremo Regis pretorio literæ Apost. quibus dicto iuri patronatus derogatur, recognoscuntur, discutunturque, & earum executio suspēditur,

ac impeditur, donec p supplices literas ipse Ro. Pont. certior fiat; quantum detrimēti Hispaniarum Regna patietur, passurave sint, quā grauis multorum offensio sit exortitura: & tandem, vt velit huic tanto malo occurrere, ne alioqui laici à pijs operibus, Ecclesiar. fundatione, constructione, & dotatione deterreantur, & auocentur. Quod quidem ipsum apud Gallos obseruari, testatur Rebuffus in Praxi Beneficiorum 3. par. signaturæ, in verb. Nec non iure patronatus num. 12. c. 36. Has leges Couarru. eod. c. quibusdam rationibus defendit. Primò, quia ante Philippi II. & Carol. V. tempora fuerunt longa consuetudine receptæ, & approbatæ. Secundo, quia Canones, etiam præcipiunt, ne in externos Ecclesiast. beneficia conferantur. Tertio, quia Reges Hispaniarum sunt Protectores, & Patroni Ecclesiarū; quæ in ipsorum Regno, & ditione fundatæ, vel dotatæ sunt. Quarto, ne contingat aliquos Ecclesijs præfici, qui sint Regis inimici, vel ipsi minus accepti, vel etiam infensi. Quinto, ne in literis Pontific. aliquid concedatur, cum aliorum damno, & incommodo: In hac re, Vnus est omnium cōsensus auctorum, posse Rom. Pontificem iuri patronatus laicorum derogare, si velit, ac proinde, si derogat, violentiam, aut iniuriam laicis non inferre: quia vtitur iure suo, & solū id ius adimit laico, quod habet ab Ecclesia: & hoc docent Gloss. & Arhidia. Innocen. Abbas, quos refert Couarruuis loco citato.

Item prædicto iuri patronatus laicorum, Roman. Pont. non creditur derogare, nisi expressim id faciat: hoc etiam nemo negat, vt Couarruuis ait. Sed quid cum expressim, & apertè derogat? Debetne tunc profani, & seculares iudices literis Pontific. obedire, nihil obstantibus Principū legibus? Debet, quia causa est spiritualis, & Ecclesiæ. Quod si Pontifex excommunicationis sententiam ferat in eos, qui ipsius literis nō parent, ea proculdubio excommunicatione tenentur, nisi id seruent, quod Pius V. in Constitut. quæ dicitur Bulla in Cœna Domini, expressit anno Domini 1568. vbi excommunicationem constituit in laicos, & etiam Cleric. qui ciuiliū Principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediunt, ve executionem & vsum literarum Apostolicar. mandatorū, vel aliorum Ecclesiasticorū processuum, vel decretorū pertinentiū ad gratiā, vel iustitiā: & in eos qui suū ad id consiliū, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ tollēdæ, vel iniuriæ depellendæ, vel causa alterius obtēti iuris, seu etiā, donec ipsi appellauerint ad Ro. Pontificem melius informandū, aut ipsi supplicauerint: nisi supplicationes huiusmodi corā Ro. Pontifice legitime prosequatur. Ex his intelligitur, ciuilibus Magistratibus, siue Iudicibus liberū non esse literas Pontificias rejicere, aut excludere, quarū auctoritate beneficia in externos Clericos conferuntur, aut derogatur iuri patronatus laicorum, nulla facta mentione eiusmodi iuris, vel derogationis, sed licitum est, excipere, vel opponere, de talium literarū subreptione apud conuenientē, & legitimum Ecclesiast. iudicē: tūc enim id faciunt non Regia, vel Imperatoria auctoritate Principū, quorū ministri sunt; sed quia non videtur Pontifex prædicto iuri patronatus

velle derogare, aut externis beneficia concedere. Quod si in literis expressim utriusque iuri deroget: licet coram competenti iudice Ecclesiasticus iuris ordine seruato, ad Rom. Pontificem, appellare, & ipsi supplices libellos offerre, & interim impedire, ne literæ Pontificiæ executioni mandentur: dummodò impediant opera, & ministerio Ecclesiasticus iudicium, & re ipsa appellationem, & supplicationem, ut ait Pontifex Pius V. prosequantur; aliter enim ipsi nec propria, nec Regia auctoritate impedire literas Apost. possent: quoniam eorum potestas est profana, & civilis, non spiritualis, & Ecclesiastica. Idem iuris est de pensionibus: nam si Pontifex in beneficio Hispaniensi pensionem imponat Clerico Italo soluendam per Clericum Hispan. & censuris cõpellat prædictum Hispan. Clericum ad eam soluendam Italo, debet Hispan. Pontifici parere, nec licitum est illi ad Regium tribunal per fugium. Causa enim soluendæ pensionis spiritualis est, & Ecclesiastica, non profana, & civilis: quia in ea agitur de iure soluendi, quod merè est spirituale, vel quasi spirituale.

Quartò Quæritur, Liceat ne civilibus Magistrat. literas Apost. ad Prouincias, vel Regna directas de causis spiritualibus & Ecclesiasticis, recognoscere, discutereque, falsæ, necne sint, subreptitiæ, an legitimæ? Idem Couarru. loco citato, auctor est, in nonnullis prouincijs esse Regum, & Principum pragmaticas sanctiones, & edicta, ne vllæ literæ Apost. siue diplomata Pont. recipiantur, & executioni mandentur, quin prius apud prætoriam Regia per Regios iud. recognoscantur, & discutiantur. Idem Couarru. has Principum leges probat, & defendit, tanquam æquas, iustas, & cum ipso iure congruentes, cuius in hæc parte sententiam alij cõprobarunt. Probat ille, quia id habet, & seruat vsus, & consuetudo in multis Christianorum & Catholicorum Principum prouincijs. Deinde, quia id docuit Driedonius, quem ille citat, vir alioqui pius, & insignis Theolog. Sed non video cur hoc iudicium ad civiles, & regios spectet magistratus. Verù ergo est, quod Driedo. sensit, ad iudices Ecclesiasticos iure communi pertinere, vel etiam ad Laicos, ut ait ille, sed ad hos non iure; at solo priuilegio, beneficio, & consensu Rom. Pontificis, qui potest, si velit, iusta de causa id Regibus, vel principibus demandare, atque committere, ut ipsi non auctoritate, & potestate civili, regia, vel imperatoria quam habent, literas Apost. recognoscant, relegant, discutiant; sed auctoritate Pontificiæ ipsi delegata, ipsi cõmissa, ut tanquam Rom. Pontificis ad id delegati ministri, id faciant: & executioni mandandas curent. Quam potestatem habeat necne hic rex, aut ille, quæstio est facti, non iuris: ipsi Reges, & Principes videant. Non igitur negamus, literas Apost. recognosci quidem, & discuti debere, cum sint dubiæ, & incertæ, sint falsæ, necne: Item, subreptitiæ, an legitimæ. Sed hæc causa, & controversia est Ecclesiastica. & sacrorum iudicium, non civilium, & profanorum: hoc enim iudicium ad Episcopos, vel Archiepiscopos, Primates, vel Patriarch. vel Legatos, siue Nuncios Pontificios, qui ad Prouincias, & Regna mittuntur, spectat. Nam secundum Canones, non secundum leges iudicari

debet, huiusmodi literæ sint falsæ, an veræ, sint subreptitiæ, an secus. Quid si Pontifex contradicat? Quid si prohibeat, quominus id faciant? Debent certè Pontifici parere, aut offendere, quo iure id faciant: nam cum Laici sint, iure potestatem Ecclesiasticam non habent: nec eam præscriptionis iure habere queunt, quoniam Laicus iuris, & potestatis spiritualis, & Ecclesiasticæ capax non est, nec vi illius diuturnæ, & longæ consuetudinis: quoniam consuetudo iure Canonico vim, & locum non habet, nisi fuerit legitime præscripta, non est, de consuet. in 6. & Glof. in c. ultimo de consuetud. sed Laicus, ut dixi, iure præscriptionis potestatem spiritualem, & Ecclesiasticam capax non est, habere nequit: ergo nec vi consuetudinis, si quidem proscripserit esse non potest. Quare solum id iuris, & potestatis habere possunt priuilegio, & concessu Rom. Pontificis, ergo necesse est, ut id priuileg. ostendant.

Sextò Quæritur, An ex leges Principum derogent Ecclesiasticæ immunitati, libertatiue; quibus statuitur, posse eos, quia iudicibus Ecclesiasticis, per vim, & iniuriam censuris opprimuntur, Regios auditores, iudices, & magistratus adire, qui apud supra Regum prætoriam litigantibus iura reddunt, ut vim, & iniuriam propulserit, & edicto cogant iudices Ecclesiasticos ab ea vi, iniuriæ desistere? Tales leges, & pragmaticæ sanctiones, teste Couarru. extant in nonnullis prouincijs, in quibus seruatur vsus forensis in hunc modum. Primum cum lis agitur apud iudicem Ecclesiasticum, etiam inter Clericos, si quis per sententiam condemnatus ad Rom. Pontificem appellauit, iudexque non vult appellationem admittere, & ideo censuris, & pœnis cogit eum, quem condemnatus est, simplici querela coram regis auditoribus conqueritur, quod appellatio non admittatur, vel quod per vim, & iniuriam vexetur, spoliaturque sua Ecclesia, & Beneficio: quo audit dantur literæ regis, quibus rebellioni præcipitur, certa pœna constituta, ni pareat: ut intra breue temporis spatium mittat ad Curiam causam, & processum: & rogatur Ecclesiasticus iudex, ut absoluat excommunicatum ad aliquot dies, qui sufficiant, dum hæc ad Curiam mittuntur, & in ea discutuntur. Quod si iudex Ecclesiasticus non pareat, dantur ad eum literæ iterum, & tertio. Et id facere cogitur pœnis constitutis, videlicet, si contumax fuerit, amittat res temporales, quas obtinet in locis, & terris Regi subiectis: & habeatur extraneus, ita ut Beneficio, & Officiorum in locis totius regie ditionis amplius capax non sit. Discussis vero actus causæ, & processu, id agitur duntaxat, an iure is Ecclesiasticus iudex appellationem rececit. Et si compertum sit appellationem esse frivolum, causa ad eundem remittitur: Si autem iusta fuerit appellatio, repellitur ea vis, & iniuria, quæ aduersus sacros Canones, & auctoritatem Apostolicæ sedis fit appellanti ad Rom. Pontificem, & præcipitur ipsi iudici Ecclesiastico, ut iustam appellationem admittat & excommunicatum soluat, omniaque acta post appellationem reuocet, & ad eum statim reducat, in quo erant, cum reus ad Pontificem appellauit. Item, si Laicus à iudice Ecclesiastico vexetur, cum ipse competens illius causæ

iudex non sit, eo quod reus sit Laicus, & causa, de qua lis est, sit profana: tunc si Laicus ad Curiam appellet, dantur literæ regie, quibus præcipitur, ne iudex Ecclesiasticus de ea causa cognoscat; sed eam totam ciuili iudici relinquat, vel mittat processum in Curiam: quo discusso, si causa pertinet ad iudices profanos, iubetur Ecclesiasticus iudex à cognitione causæ desistere, & eam ad ciuilem, & secularem iudicem remittere. Totum huiusmodi forensem vsum quo Regij magistratus, & iudices in nonnullis Christianorum & Catholicorum Principum prouincijs vtuntur, Couarr. multis de causis, tueri contendit. In primis, ob communem Reipubl. salutem, & pacem: quia alioquin nisi hoc remedio Reges vterentur, & Principes, aduersus Ecclesiasticos iudices, innocentes passim grauissimè vexarentur. Nam Episcopi quoniam procul à Rom. Curia distant, potestate sua Ecclesiastica sæpius abuterentur. Secundò, quia Regij, & Principum est, vt habeatur in c. Regum 23. q. 5. ius cuique reddere, & per vim oppressos à manibus violentorum, & calumniantium liberare, & iniurias repellere. Tertio probat eo eo, quod dicitur in c. Filijs, vel nepotibus, 16. q. 7. Filijs, vel nepotibus, ac honestioribus propinquis eius, qui construxit, vel ditauit Ecclesiam, licitum sit hanc habere suzeritatem, vt si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare prederint, aut honesta conuentione compefcant, aut Episcopo, vel iudici nunciunt: quod si talia Episcopus agere studeat, Metropolitanus eius hæc insinuari procurent, si talia Metropolitanus gerat, regibus hæc intimare non differant, & ex cap. Principes, c. Administratores 23. questio. 5. in quibus habetur, Principes seculi iura Ecclesiam eam potestatem habere, vt superiorum cernices comprimant, & quod fieri non potest, per iudices Ecclesiasticos, videlicet, vel quia negligunt, vel quia nequeunt id facere, ab ipsis iuxta disciplinam Reipubl. vilem, executioni mandentur. Vltimò, quia forensis hic vsum apud Gallos, & alias Christiani nominis nationes seruatur.

Sed certè non video, cur huiusmodi vsum à Couarruua, & alijs tanquam iuri consentaneus probetur: nam contra Canones, & iura est, vt ciuiles iudices, & Magistratus de Ecclesiasticis causis iudicent, clericos ad sua tribunalia vocent, pœnas constituent in Ecclesiasticis iudices. Nam si Clericus, vel Episcopus pœna dignus fuerit, à superiori Ecclesiastico iudice secundum Canones condemnari, & puniri debet: Clericus coram Episcopo conuenitur, Episcopus coram Archiepiscopo, c. ad reprimendam, De officio ordin. & c. sacro de sentent. excom. Archiepiscopus coram Primatè, c. Antiqua, de priuilegijs. Primas coram Rom. Pontifice, vel Legato ab eo ad regna, vel prouincias missis. Dices, procul abesse Episcopos à Curia Romana, & proinde ægrè, & difficile eorum errata, & crimina ad Rom. Pontificem deferuntur. Respondet in Prouincijs, & Regnis adesse Archiepiscopos, adesse Primates, Apostolicos item Legatos, vel Nuncios, qui de Clericorum, & Episcoporum causis cognoscant, & iudicent, Cur ergo si Episcopus delinquit, causa ad Curiam regiam defertur, & non ad Archiepiscopum, non ad Primatem, nõ ad Nuntium, vel Legatum Pontificium? Cur si Episcopus iustam appellationem non admittit, Regius Magistratus præcipit, vt admittat, etiam pœnis

constitutis, nisi paruerit? Cur Canones, & iura nõ seruantur? Cur negliguntur? cur violantur? cur Archiepiscopus, Primas, Legatus, vel Nuntius Apostolicus non præcipit Episcopo, vt sacros Canones seruet, & iustam appellationem admittat? Item, si Episcopus innocentem vexat, opprimit, spoliat iure suo: Si res Ecclesiæ negligit: si vim, & iniuriam facit; eam secundum Canones, & iura propulset iudex Ecclesiasticus Episcopo superior, videlicet Archiepiscopus, Primas, vel Legatus, aut Nuntius Pontificius. Quod si hi quoque deliquerint, res tota ad Rom. Pontificem deferatur. Si dum Rom. Pontifex conuenitur, Reipubl. pax, & tranquillitas perturbatur, tum Regum, & Principum non est de causa, si spiritualis sit, cognoscere, & iudicare, sed impedire, legitimo, Canonico, & recto ordine seruato, ne in Reipubl. mala sequantur, & causam ad Rom. Pontificem referre, vt ipse in Ecclesiasticos Præfectos, res Ecclesiarum perperam administrantes, inquirat, & animaduertat. Non mihi probatur, quod Couarr. docet, Regios Magistratus Ecclesiasticas causas iure cognoscere: quum Ecclesiastici iudices, vel negligunt, vel nequeunt: non enim consequens est, si Episcopi id non faciant, deesse in Prouincijs, & Regnis, iudices Eccles. competentes, cum sint Archiepiscopi, Primates, cum sint Pontificij Legati, vel Nuntij. Quid si ipse quoque Roman. Pontifex, Canones, legesque & iura negligat? delicta impunita relinquat? Innocentes opprimat, vim inferat, res Ecclesiæ dissipet, Regum, & Principum iura peruertat? Respondeo Roman. Pontificem nulli Principum in terris iubeffe, à nullo, nisi à Deo iudicari, c. Nemo, 7. q. 3. c. si Papa d. 40. c. ipsi sunt. cap. cuncta 9. q. 3. Item, superiorem esse qualibet humana potestate, & lege, licet non diuina, non naturali: & quolibet Canone, siue iure Ecclesiastico, scripto. Quare si legi ciuili, si Canoni deroget, vel iuri scripto: Regi, vel Principi iniuriam non facit, vim non infert. Et ideo quamuis peccet, id si absque iusta causa faciat, iudicari, aut condemnari à Rege, vel Principe non potest: sed monendus, & orandus est, ne id faciat: ei sunt proponendæ rationes, & causæ, quibus moueri queat, ne Canones, ne leges, & iura violet, ne Laicorum priuilegia aboleat, & abroget. Item per Cardinales, & alios Ecclesiarum Præsules rogandus est, vt Regum, & Principum paci, & tranquillitati prospiciat. Et hoc est, quod Turrecremata in sum. de Eccles. lib. 2. c. 106. Silu. Papa q. 4. versic. & adde tu, ex Paludano, docuerunt. Ex his, & alijs, quæ ante dixi in hoc cap. q. 3. patet solutio argumentorum, quæ desumpta sunt ex cap. Filijs, vel Nepotibus, & cap. Principes, c. Administratores, & cap. Regum. supra citatis. Et cum obijciatur, iuris naturalis esse, vt vim vi repellamus, l. vi vim, l. de iust. ergo Laicus ius habet vim illatam ab Ecclesiastico iudice propulsandi: verum est, vim vi repelli iure posse; sed locum id solū habet, cum iudex, vel alius quicumque superior, si priuata auctoritate extra iudicium vim afferat, non autem, cum publico iudicis officio functus procedit. Nam vt rectè Glossa annotauit, in l. vi vim, ff. de iust. iniquè vim illatam ab homine priuato postumus iure depellere, non illatam ab eo cuius imperio subiecti sumus, quod probat ex l. iniuriarum,

ff. de iniur. tunc enim, cum iudex publica auctoritate agit, si vexet, opprimat, & condemnnet innocentem, peccat quidem, sed aduersus eum, secundum leges, Canones & iura, ordine seruato legitimo agendum est, videlicet appellandum est ad superiorem, recusandus est; contra eum aliquid excipiendum: his enim, & alijs modis innocens se tueri iure potest apud superiorem iudicem. **Quid inquit, si supremus iudex damnet innocentem?** **Respondeo**, innocentis esse, poenam patienti, & æquo animo sustinere, non iudici manus, arma, & vim inferre. Nec probo sententiam *Victoria in repetitione de potest. Papæ & Concilij in 22. propositione.* asserentis; ubi mandata, facta, & dispensationes Papæ essent in destructionem Ecclesiæ, potest resisti, & potest impediri executioni mandatorum: poterunt gubernatores ipsius Ecclesiæ, & principes resistere in his. Quia vim, inquit, vi repellere iure naturali licet. Sed Papa infert vim huiusmodi mandatis, & dispensationibus, quia facit iniuriam; erga licitum est resistere illi. Cuiuslibet enim est ius ad resistendum iniurie, ad impediendum eam, si se tueatur, & defendat. Et subiungit, Non solum liceret non parere talibus mandatis; sed etiam factis, & vi, si opus esset, resistere illis, & impedire executionem talium mandatorum, maxime intercedente publica auctoritate Principis. Hæc omnia *Victoria loco citato.* Sed certe modum excessisse videtur aliqua ex parte. Nec eo modo loquuntur in hac re *Paludanus, Turreo.* & *Siluester* locis supra citatis. Nec vim ullam infert Pontifex, si iuri scripto humano derogat, si publica auctoritate procedat, ceu supremus iudex, ut dixi. Quapropter ego forenssem hunc usum, quem approbat *Couarru.* existimo secundum Canones, & iura defendi non posse; cum Canones prohibeant, quod minus Laici, etiã Imperatores, & Reges, & Principes, de Clericis, ac de causis spiritualibus, & Ecclesiasticis cognoscant, & iudicent, & cū sacris Canonibus pugnet, ut à sacris, & Ecclesiasticis iudicibus ad profanos, & civiles appelletur. *Colligitur ex c. qualiter, & quando de iudic. c. si quis clericus, c. Placuit, c. Christianus, c. Clericum 11. q. 1.* Nec verò obijcias mihi consuetudinem receptam, qua Laici de certis Ecclesiasticis causis sententiam pronuntiant. Hanc enim consuetudinem Canones corruptelam appellant: neque enim in prescriptionem ullam venire potest, ut Laicus, vel Clericus ius dicat, vel de causis Ecclesiasticis quidquam statuat: sed nec satis est, si consuetudo sit temporis diuturnitate firmata, cuius initium non appareat: quoniam ut docent *Ioan. Andr. in c. 2. de Preb. in 6. & Abbas in c. quanto, de consuet.* Consuetudo longi temporis decursu munita, cuius initium in hominum memoria non est, dat quidem ius ei, qui capax est potestatis, iuxta id, quod habetur in *c. 1. de prescript. in 6. & in l. 1. f. ductus aqua ff. de aqua quod. & assi.* Sed non dat ius vllum ei, qui capax non est, ut sæpè dixi.

Septimò Queritur, an potestas à Rom. Pontifice data Legatis, vel Nuncijs, quos solet ad Regna, vel Prouincias mittere, discuti iure queat à ciuilibus Regum, vel Principum Magistratibus; *Couarru. c. supra citato num. 4.* defendit etiam tanquam iuri congruentem consuetudinem in plerisque Regnis, & Prouincijs receptam, qua Legatorum, vel Nunciorum Apostolicorum facultas in Curia Regia recognoscitur, discutiuntur, antequam ea uti

incipiant Legati, vel Nuncijs, ne, inquit, aliqua facultate vtantur, cum ipsius Regni, vel Prouinciæ detrimento, & incommodo, aut cum aliquorum ciuium damno. Cùm enim plerunque sint exteri, ignorant, quæ sint Regni, vel Prouinciæ propria. Sed certè hoc argumentum solum probatur, Legatorum, vel Nunciorum potestatem discuti debere per iudices Ecclesiasticos, qui in Regnis, vel Prouincijs commorantur: quales sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Primate: facultates enim Pontificias secundum Canones, & per Ecclesiasticos, non secundum leges, & per Laicos indicari oportet. **Quare** huiusmodi consuetudinem ego non tanquam iuri consentaneam probo: fateor expendendum esse, an literæ sint verè à Rom. Pontifice datæ; sed ciuiliam magistratum auctoritate, facultates in literis Pontificijs contentæ examinari iure non possunt, ut nonnulli eorum permisso illis uti non liceat, ut falso *Couarru.* sentit. Exhibere debent Legati, vel Nuncijs Pontificijs literas suæ legationis ex mente Pontificis, ut Regi, vel Principi innotescat legatione neque enim videtur esse Pontificis mens, ut asserenti se esse Legatum, vel Nuntium Apostolicum statim credatur, etsi Pontificias suæ legationis, suarumque facultatum literas ostenderit, ut colligitur ex *Glossa in cap. Nobilissimus diff. 97. & docent Speculator, & Antonius*, quos refert *Andreas Gambatus in tractat. de Officio, & potestate Legati lib. 1. f. Qualiter Legatus se gerere debeat, iam Prouinciam est ingressus. num. 3.* Et olim Legati ab Imperatoribus missi, literas ostendebant, ut deducitur ex *l. 1. c. de manda. principum*, & ingredi in Prouinciam debebant per loca alicui consuetæ: secus enim tanquam Legati nõ excipiebantur, quia non credebantur ab Imperatore missi, *liberare. f. hoc etiam. ff. de offi. Proconsulis*, & teste eodem *Andrea*, quidam Legatus Pontificijs Bononiam missus, cum per portam vrbis insolitam ingredi voluisset, à toto populo est cachinnis exceptus. Sed quid si Pontifex Legato, vel Nuntio priuilegiū concesserit, ne cogi queat ostendere literas Pontificias suæ legationis, vel suarum facultatum? **Respondeo**, tunc cogendum non esse, at dicis, quo modo constabit veritas? **Respondeo**, vel ex testibus idoneis, vel ex alijs literis Pontificijs ad ipsos Reges, vel Principes, vel alios primarios viros, aut Magistratus, & Iudices missis. Porro animaduertendum est, aliud esse, literis Pontificijs, quas certè constat tales esse, non parere, fidem non habere, auctoritatem non deferre, earum usum prohibere, vel impedire; aliud verò, de literis Pontificijs, quum dubia sunt, & incerta, bona fide probabiliter ambigere, disputare, sint, nec ne Pontificias, sint nec ne subreptitiæ: hoc enim fas est, nec is, qui dubitat, aut disputat, etiã Laicus, vllam iuris poenam incurrit. Primum verò nefas est, & is, qui non pareret, vel literarum usum impedit, vel prohibet, iuris poenas contrahit.

Postremò Queritur, An penes Regem, vel Principem sit ius, & potestas, Episcopos, & alios Ecclesiarum Antistes, & Præfectos conuocandi, ut Ecclesiarum, quæ in ipsius ditione, & imperio sitæ sunt libertatem, tranquillitatem, & salutem conferuet, atque defendat? **Sunt** qui censent,

Regem

Regem ratione sui muneris, & dignitatis esse tutorem, curatorem, custodem, defensorem, & vindicem Ecclesiarum sui Regni, & propterea ius habere conuocandi Præsules, & ceteros sacros, & Ecclesiasticos viros, vt communi Ecclesiarum salutem prospiciat. Addunt etiã Regem vt rex est, esse Ecclesiarum sui Regni fundatorem, & proinde patronum, & ideo ius habere nominandi, designandi, & offerendi eos, qui sunt Ecclesijs primarijs, hoc est, cathedralibus, & collegialibus præficiendi, ne in Ecclesijs Episcopos inuiti contingat ipsi Regi inimicos, minus gratos, & acceptos, vel etiam infensos. Scio Archidiaconum in c. lctis, dist. 63. vtrum alioqui iuris Canonici peritissimum, & magis auctoritatis dixisse, omnes Reges patronos esse in cathedralibus Ecclesijs, quæ in ipsorum Regnis constitutæ sunt. Et Archidiaconum sequuti sunt alij, & ingenio, & doctrina conspicui, Dominicus in c. lctis, dist. 63. Card. Alexandrinus in eod. cap. lctis. Bald. in prohem. Greg. prop. finem, & in c. quædam, de iudic. Paris. de Puteo, in tract. Syndic. in verb. ciuitatis cap. 2. ad finem. Meo iudicio, huiusmodi auctores non docent, Reges esse patronos, quod attinet ad ius nominandi, & offerendi, siue præsentandi Clericos ad Beneficia, solum intelligunt, eos esse patronos, quod pertinet ad protectionem, & defensionem Ecclesiarum. Sed de iure patronatus Regum, & Principum suo loco fusius disputabo. Ego sanè ex iure Canonico colligi non video, ius patronatus nisi ex fundatione, extructione, vel donatione Ecclesiarum, vel ex priuilegio, & beneficio Roma. Pontificis, vel ex consuetudine, vel præscriptione, quibus rationibus Regalia permitti, & concedi videntur in cap. Generali, de electione in 6.

Item non video, cur Rex ratione sui muneris, & dignitatis ius habeat Episcopos conuocandi: potest quidem hortari, inuitare, suadere, vt congregerentur: potest à Rom. Pontifice impetrare priuilegium, quo illi in vnum conueniant: præterea, quia Episcopi solent esse Regni proceres, & principes, Regum est præcipere, vt tanquam tales, non quatenus Episcopi sunt, vnà cum alijs conuocentur ob communem Regni salutem, & bonum.

Caput XV.

De relaxatione legis, quæ dispensatio vocatur, qua Princeps aliquos suis legibus soluit.

A Nimaduertendum est, inter hæc quinque magnum esse discrimen, legem interpreta-ri, irritam facere, relaxare, seu dispensare, vt vulgò dicitur, Abrogare, Derogare. Interpretatio legis est, cui declaratur, casum, dubium, obscurum, & aliqua ratione incertum, non esse lege comprehensum, aut cum legis verba ambigua, vel obscura explicantur. Irrita lex fit, cum lex inferioris Magistrat. auctoritate constituta, à superiore rescinditur, & infirma fit, & inanis. Vnde ad legem irritam faciendam, sufficit sola superioris potestas, & auctoritas: nam tota vis legem irritam reddendi nascitur ex eo, quòd materia legis sit supe-

rioris potestati subiecta. Abrogatio legis est, cum Princeps, qui tulit legem, eam in totum tollit, & abolet. Olim enim Romanorum leges non ferebantur, nisi Magistratu populum rogate, vt iuberet, & decerneret, & deinde Populus iubebat. Sic igitur lex rogabatur, cum ferebatur; sic cum in totum auferebatur, abrogabatur. Derogatio verò legis est, cum ex parte lex tollitur. in l. Derogatur. ff. de verbor. signif. dicitur. Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahatur, abrogatur legi, cum profus tollitur. Cicero lib. 2. de Inuention. Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari. Relaxatio autem legis est, cum eius rigor remittitur, & mitigatur, videlicet, cum Princeps certum hominem à lege excipit, ne ea teneatur: vel cum à lege certum casum eximit, qui alioqui erat lege comprehensus: & is cui hoc beneficium Princeps concedit, lege soluitur: Et quod latine dicitur, legem remittere, relaxare, mitigare, aliquem lege soluere: iuris interpretes recentiores, dispensare vocant: & secundum eos dispensatio est rigoris legis, siue iuris per eum, ad quem spectat, misericors, & can. relaxatio, vt colligitur l. 1. q. 7. §. multorum, siue §. Nisi rigor, & ibi Glossa, verb. vt plerisque ad cap. Requiritis.

Primo Quæritur, An Princeps possit, vt aiunt, in suis legibus dispensare? quod est, quærere, An possit fieri Principis beneficio, vt quis eius lege soluatur? Ratio quæritur, est, quia eo ipso, quòd lex est iusta, videtur esse contra rationem, vt Princeps aliquos sua lege soluat: quoniam si lex est iusta, æquum item est, vt pars omnis cum toto consentiat. Communis est omnium iuris Canonici, & Ciuilibus interpretum, & Theologorum sententia, auctoritate Principis posse aliquos legibus solui, quia fieri potest, vt causa iusta sit, ne aliquis lege teneatur. Exemplum adhibeo. Lex est Can. ne Episcopi sine consilio Canonicorum res arduas, & difficiles decernant: Ratio legis est, vt cautiùs, maturius, & prudentius res ipsi Episcopi constituant, & negotia expediant. Id autem fit, cum res consilio multorum definitur. Item, ne Episcopi temerè, faciliè, & leuiter aliquid deliberent: & nihilominus iustæ possunt causæ contingere vt concessa, & beneficio Rom. Pontificis Episcopus quippiam decernat sine Canonicorum consilio, quòd id statueri possit expeditius citius, atque commodius. Occurrunt enim casus, in quibus posset mora nocere. Quo fit, vt causa legis sit iusta, & rationi admodum consentiens; & nihilominus sit quoque iustum, & æquum indulgentiæ relaxationis, siue dispensationis beneficium, quo quidam lege soluantur. Vtrumque est æquum, & bonum ob varias rei, loci, ac temporis circumstantias: quibus variatis, res quoque ex parte mutatur.

Secundo Quæritur, An ad soluendum, & eximendum aliquem à lege, causa iusta sit necessaria? quod est quærere, An Princeps peccet, si solo suo arbitratu sine aliqua causa iusta, & legitima, aliquos soluat lege, quam condidit? Duplex est opinio: Prima quorundam ciuilibus iuris doctorum, asserentium, eum minimè peccare, quoniam tota vis, & auctoritas legis deriuatur, & pedit ex voluntate Principis: ipse enim voluntate sua legem tulit, & potest eam, vel ex toto abrogare, vel

ex parte

ex parte tollere, prout ei libitum fuerit: ergo pari ratione, idem potest citra vllam culpam aliquos lege suo arbitrato soluere, & liberare: Sic videtur sentire Glo. in l. delegati. ff. de pœn. verb. ex aliqua causa. vbi ait: magna, & iusta causa est Principis volumus: qua Glof. dicit esse singularem. Bart. ibid. & Iafon. in l. quoniam. ff. de sum. & Felin. in c. que in Ecclesiis. de cons. num. 6. **Secunda opinio** est aliorum dicentium eum peccare. Probat, quia lex est iusta, ergo sine causa ab ea quempiam eximere peccatum est: nam partis est, cum toto congruere. Sic S. Tho. 1.2. q. 97. a. 4. infidelis esset, & imprudens, qui sine causa debita legem, vel ius relaxaret. Couar. de Matr. p. 2. c. 6. q. 9. nu. 7. & 10. Sor. lib. 1. de iust. q. 7. a. 3. vers. in his autem, que meri sunt possit iuris, Cai. 1.2. q. 96. a. 5. prope finem. **Obijcies**, possit Principem nutu suo legem, vel ex toto, vel ex parte dissoluere: quæ ratio primæ opinionis auctorum fuit. Respondent secundæ opinionis doctores, longè diuersam esse rationem de excipiendo aliquem à lege, quàm est de abroganda, vel deroganda lege. Quoniam ad aliquem lege soluendum, causa iusta requiritur, ne pars à toto sine causa dissentiat: sed ad legem ex toto, vel ex parte abolendam sola Principis sufficit voluntas, qua initio est constituta. Hæc opinio verior videtur: & mihi ea magis probatur: non enim video cur Princeps in eo non peccet, cum id temerè, & imprudenter, hoc est, sine vlla iusta ratione facere videatur: sufficit tamen si id faciat qualibet iusta, & rationabili causa. Solum enim asserimus Principem peccare, si aliquè lege soluat temerè, & imprudenter: temerè autem fit, quod sine debita causa fit, & causa iusta creditur, nisi euidenter iniusta videatur.

Tertiò Queritur, an exemptus sine causa à lege, beneficio, & indulgentia Principis, peccet ea vtens. Duas opiniones inuenio: vna est asserentiū eum peccare, sic Fortun. Bernar. & alij, quos citat & sequitur Couar. de Matr. p. 2. c. 6. §. 9. nu. 7. & 11. Sic etiam Cai. 1.2. q. 96. q. 5. ac proinde iuxta hanc sententiam. & peccat, etiā si motu proprio Principis facta sit iuris relaxatio, qua vtitur, & multò magis peccat, cum petit absque causa iuris relaxationis; quia est causa peccati, quod facit Princeps ius ipsum absq; causa relaxando. Secunda sententia negat peccare. Sic Felin. in c. ad audiendum, 2. de rescrip. Gigas de pensio. q. 6. nu. 13. Sor. lib. 1. de iust. q. 7. a. 3. nisi quando beneficium, quo Princeps soluit aliquem lege, notet alijs, qui eo ipso plus oneris sustinere coguntur, vel aliquo modo læduntur, aut offenduntur. Certè probabilius est, eum non peccare: propterea quod eiusmodi indulgentia auctoritate Principis rata est, & firma. Sed quid dicendum, si Princeps citra causam, quempiam sua lege soluat, an legis relaxatio sit rata, & firma. Bern. Fortun. Hippolyt. Iafon, & alij, quos citat Cou. loco citato, nu. 3. aiunt in foro iudiciali valere; sed apud Deū vim nullam habere, eo quòd sit legis, & iuris dissipatio. Ceterum probabilius est, quod dicitur Sor. & Couar. ratam esse relaxationem. Sic etiam Iano. Ab. Deci. Felinus, quos citat Couar. citat etiam multos Gigas, de pensio. q. 6. nu. 9. & 13. **Vnde plurimum interest**, si indulgentia in iure humano, aut si in naturali, vel diuino concedatur: hoc enim ius si Princeps relaxet sine causa iusta, non solum indulgendo, & ius relaxando peccat, sed

ipsa quoque iuris relaxatio non valet; nec is, cui indulgentiæ beneficium conceditur, eo potest iura conscientia vti. Sor. & Cai. & Couar. supra citati: at verò cum suam legem relaxat Princeps, peccat quidem, si absque vlla causa aliquos sua lege soluat, valet tamen in foro conscientie indulgentia, & relaxatio. Ratio vtriusque est, quia Princeps suæ legis est auctor, proinde potest, quæ voluerit, ab ea excipere: at verò legis naturalis, vel diuinæ nequaquam ipse auctor, sed minister tantum est, tutor, & custos. Si queras, An Episcopus suarum const. possit vigorem relaxare, ob aliqui priuati hominis commodum? **Respondeo** cum Naua. in Man. c. 25. nu. 74. & Prelud. g. num. 15. si absque iusta causa relaxet, & mitiget, eum peccare: item, peccat etiam Episcopus, si relaxando, alteri nocet. Peccat item is, qui vtitur indulgentia, & relaxationis beneficio sine iusta causa impetrato: quia pars iure naturali debet cum toto congruere; at relaxatio sine causa facta valet.

Quartò Queritur, An Rom. Pontifex leges Apostolorum relaxare iure possit? quod est querere, An possit aliquos soluere legibus, & const. Apostolorum? De quo Turrec. lib. 3. in iunna. c. 54. & seq. Alua. lib. 2. de planct. Eccles. c. 11. Aug. de pecc. & c. 1. q. 60. Glof. in c. Sum quidam. 25. q. 1. Abbas, & alij in c. super eo. de Biga. Coua. de Matr. p. 2. c. 6. §. 9. nu. 4. & 6. **Questionem mouet**, quia Apostolorum Const. & Tradit. reputantur, & censentur diuinæ, quales sunt parvulorum baptisma, & sacrarum imaginum cultus, & vsus, coelibratus Sacerdotum, Quædragenerium ante Pascha ieiunium: inter Pascha, & Pentecost. in precationibus genu non flectere, eodem tempore ieiunium non colere, Deum versus Orientem vultu conuerso precari: Item, in c. super eo. de Biga. Lucius 3. definit. cum Biga. contra Apostolo dispensare non licet. Idem etiam tradit Innoc. 3. in c. nuper. & c. à Nobis. eod. tit. & c. Sum quidam a. 5. q. 1. ait Urban. Papa, vbi aperte Dominus, vel eius Apostoli aliquid definirunt, ibi non nouam legem Rom. Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est vsque ad inuicem, & sanguinem confirmare debet, & c. omne quod, & c. cau. & q. constituit Marcellus Papa. nequaquam quod contra Evangelicam, Prophet. vel Apostolicam doctrinam alium fuerit, stabit. **Respondeo** iuxta communem Theologorum sententiam, Apostolos aliquid tradidisse, vel constituisse, primò quidem, vt ministros Christi Domini, & viua Spiritus sancti instrumenta: & quicquid hac ratione tradiderunt, constitui iure. Traditio est, vel constitutio diuina, sic. n. scripturas Canon. ediderit: sic Baptisma parvulorum, cultus, & venerationem sacrarum imaginum, viuorum pro mortuis suffragia, Inuocationem sanctorum habitatorum cœli, perpetuam Deiparæ Virginitatem, Symbolum fidei, & alia pleraque docuerunt: & ab his Rom. Pontifex aliquem soluere nequit, quoniam sunt iuris diuini, cuius auctor, & conditor fuit Deus; **Apostoli** verò tantum promulgatores. **Secundò**, aliquid constituerunt Apostoli, vt pastores, præfides, & præfati Ecclesiæ: à Christo Domino delecti, & creati, & hoc modo ediderunt Canones, qui Apostolorum esse dicuntur, quorum rigorem, iure potest Rom. Pontifex mitigare, & relaxare: talia etiam sunt multa præcepta, quæ apud Paulum commemorantur, de

homicida vel ebrioso minimè ad ordines promo-
uendo, de bigamo non ordinando, de non eligen-
do Neophyto, eiusmodi etiam sunt quædam aliæ
Apostolorum traditiones, vt Quadragenarium
ante Pascha ieiunium, de quo in suo loco disputa-
batur: continentia sacerdotum, quorundam festo-
rum dierum obleruatio, Dominica diei cultus,
trina in aqua merfio eorum, qui sacro Baptisma-
te abluuntur, in quarta, & sexta quaque feria ie-
iunium, & præceptum itidem, de abstinendo à
sanguine, & suffocato. Item Canon contra Apo-
stolum relaxatur, ca. presbyter. d. 82. c. l. e. l. e. d. 34.
Gloss. & Abbas, & alij. Et criminofus contra Apost.
ordinatur, ca. si clericus, de iud. Sic quæ sunt obiecta
soluantur facili, videlicet non posse Papam sine
causa iusta, & debita relaxare.

Quinto Quæritur, An Rom. Pontifex queat in-
dulgentiæ & dispensationis beneficium confer-
re in ijs, quæ sunt iuris solius Canonici: cuius-
modi sunt Patrum, & Conciliorum Canones, &
decreta. Constans est omnium opinio, posse. Ita
Gloss. in c. vbi periculum de elect. in 6. Abb. in c. significa-
sti, de elect. Ioan. Andr. & alij in eodem c. significasti, Al-
mai. rra. de potest. Ecclesie. 13. & 14. Obijciunt ex c.
contra 25. q. 1. id, quod Zosimus ait: Contra statuta Cano-
num, nec huius etiam sedis est dispensare. Idem habe-
tur, cap. sunt quidam, & cap. omne quod. ea. cau. & q. Re-
spondeo, intelligi id debere, non posse dispensa-
re sine iusta causa. Deinde obijciunt id, quod
refertur in cap. Non liceat Papa 12. q. 2. vbi dicitur.
Non liceat Papa prædicare, aut rura Ecclesie alienare, sed
tantum domos. Respondeo, alienationem rerum
Ecclesiasticarum esse quidem iure Canonico in-
terdictam; ita tamen, vt iusta ex causa res Ec-
clesiæ distrahi possint. Vnde id, quod dicitur:
Non liceat Papæ; intelligitur, absque iusta cau-
sa, & graui Ecclesiæ necessitate. Non probo
sententiam Victorix in relictis, de potest. Papæ, &
Conc. in proposi. 12. dicentis. Si Concilium generale le-
gem aliquam statuerit, quam indicasset relaxari non debe-
re, nunquam licere Papæ eam relaxare: & lethaliter pec-
care, dispensando ex quacunque causa. Sic ille. Sed certè
probabilius est, & longè verius oppositum, vt di-
cam, cum de auctoritate, & potestate Romani Pô-
ntificis agam.

Sexto Quæritur, an Ro. Pontifex possit secum
indulgentiæ, seu dispensationis beneficio vti, si-
cut potest cū cæteris eius potestati subiectis, quod
est quærire, an se ipsum lege soluere queat, vt pu-
ta, voti, aut iusurandi religione, sicut potest cæte-
ros. Ratio propositæ questionis est, quia nemo po-
test in se ipsum iurisdictione vti, sed aliquos lege
soluere, est iurisdictionis actus. Dux sunt opinio-
nes. Prima negat eum posse se lege soluere, reli-
gione, aut vinculo voti, vel iusurandi, bene ta-
men cæteros. Sic sensit Anton. Butrius in c. Canonum
de cons. vbi in Gregor. 12. inuehitur, qui tempore
magni schismatis, antequam Pontifex crearetur,
iurauerat publico, & solenni ritu, sese abdicatu-
rum Pontificia potestate: postea verò Pôntifex ele-
ctus noluit Pontificatum deponere, & plures in
Cardinalium Collegium cooprauit: hanc senten-
tiam videtur probare August. Beroius in eod. cap.
Hicse autem argumentis mouentur. Primò quidè
quia in cap. vlt. de institutionibus aperte decernitur:
inter dantè, & recipiètem debere esse distinctio-

nem personarum, & proinde inter agentè, & pa-
tientem: ergo inter absoluentem, & eum, qui ab-
soluitur, inter indulgentem & eum, cui quis indul-
get. Item in cap. Per nostras, de iure patronatus dicitur,
nemine posse seipsum offerre, seu presentare ad
Beneficium, nec instituire in Beneficio: quia inter
instituentem, & institutum, præsentantè, & præ-
sentatum debet esse distinctio personarum. Item,
in c. Debitum, de Baptismo, & eius effectu habetur, nemi-
nem posse sibi ipsi Baptismum conferre, & c. vlt.
De Penitentis, & remissionibus, conceditur Episcopis
facultas eligendi eos, qui possint ipsorum cõfide-
siones excipere, & ipsos à peccatis absoluere:
quoniam absoluere se ipsos non possunt.

Secunda opinio ait, posse Rom. Pontificem se
ipsum à lege soluere in ijs, in quibus potest cæte-
ros sibi subiectos. Ita Felinus, & Decius Abbatis
auctoritate permoti in c. Canonum de Constit. vbi
quamuis nihil explicitè Abbas tradiderit, ait tñ,
Ro. Pontificem nõ posse seipsum eximere à voto,
& iureiurando, sine iusta, & debita causa. Ex qui-
bus verbis à contrario sensu sumpto argumento
concludunt recentiores Canonici iuris interpre-
tes, Abbatis sententiam esse, posse Ro. Pontificem
ex iusta causa votum à se factum, & iusurandum
adhibitum relaxare. Id ipsum etiam probant ex
l. si consul. ff. De adoptionib. vbi statuitur: Si fili-
us familias consul fuerit, posse auctoritate alteri
concedere, qua ipsum adoptet, vel emancipet.
Theologi nihil apertè de hac quæstione tradide-
runt: quamuis Dur. 4. d. 20. q. 5. n. 6. & Pal. 4. d. 20. q.
4. n. 3. conc. 5. de vi, & effectu Eccle. condonationum,
quæ indulgentiæ vocantur disputantes, ex eo co-
nentur ostendere, Indulgentias non esse iurisdic-
tionis, quoniam Ro. Pôntifex earum fructu, si ve-
lit potest potiri, & gaudere; cū tñ, si iurisdictionis
essent, eis frui nequaquam posset. Sorus verò fate-
tur, ad indulgentias concedendas, requiri iurisdic-
tionem, & nihilominus Ro. Pontificè posse vti,
si velit, Indulgentijs à se concessis: idq; probat, &
declarat exemplo. Quoniam si Princeps, inquit,
bona Reipublice cõmunia in ciues distribueret,
posset partem sibi debitam sumere. Ro. item Pon-
tifex alios potest à ieiuniorum legibus soluere,
ergo & seipsum. Præterea indulgentiæ vnuerfim
conceduntur omnibus, qui certū quid effecerint:
ergo si Rom. Pontifex id fecerit, quid ni indulgẽ-
tiarum fructum consequatur? Verum enimverò,
adhuc quæstio vim suam videtur habere. Nam ne-
mo potest ius sibi dicere: & quidam Canonici iu-
ris doctores ex hoc colligunt, Romanum Pontifi-
cem indulgentijs à se concessis non vti, nec frui:
quod si ipse eis frui non potest, consequens est, vt
nec reliqui Ecclesiarum Antistites indulgentijs à
se concessis gaudere queant, quod vtrumque est
falsum.

In hac itaque controuerfia primò compertum
est, non posse Romanum Pôntificem in seipsum iu-
risdictione sua vti in ijs, in quibus iure diuino
personarum distinctio requiritur. Vnde nemo po-
test se baptisate abluere, confirmare, à peccatis
absoluere, ordinare: nam in his Christus Domi-
nus instituit ministrantem, & dantem à suscipi-
ente distinctū. Pari ratione nequit Romanus Pon-
tifex seipsum excommunicationis, suspensionis,
vel interdicti pœnis afficere. Deinde, nõ est iuris

diuini, aut naturalis; sed tantum Canonici, ut nemo possit seipsum instituere in Beneficio, aut nominare, & offerre ad Beneficium, aut sibi ipsi illud conferre, aut seipsum eligere, ut docet Felin. in cap. Canonum, de Constitutionibus. Postremò, non videtur negandum, posse Romanum Pontificem se ipsum soluere à voti, & iurifurandi religione, & lege, (modò iusta, & debita subit causa) posse itè Indulgentijs à se concessis vti: Licet enim hæc ad iurisdictionem pertineant, potest tamen Romanus Pontifex in his ius sibi dicere, quia non est id iure sibi diuino interdictum, non enim hic vlla personarum distinctio requiritur. Haud tamen inde efficitur, ut Episcopus, vel Archiepiscopus, Primas, vel Patriarcha potestatem habeat seipsum voti, vel iurifurandi nexu, vel excommunicationis, aut suspensionis vinculo soluendi, sicut alios potest sibi subiectos ab huiusmodi vinculis soluere, ac liberare: quoniam Episcopi, & Patriarchæ, ac Primates, Romani Pontificis potestati subduntur, & proinde eorum votum, & iurifurandū eadem Pontificia auctoritate relaxari debent, quæ nulli, præterquam diuinæ subijcitur potestati. Sic etiam Romanus Pontifex potest sacerdotem eligere, cui sua peccata confiteatur, sicut cæteris facultatem dare solet, qua idoneos sibi confessarios deligant.

Septimò Quæritur, An Magistratus, & Præfecti inferiores possint alios à communi iure scripto, beneficio Indulgentiæ, seu dispensationis excipere: quod est quærerè, An Ecclesiarum Antistites, vel Legati, ius commune Canonicum, & Prætores, ius commune civile relaxare ex parte queant, ita ut ab eo iure possint aliquos eximere, & soluere. De hac quæstione agit Siluester verba Dissensatio q. 9. Sotus lib. 1. de iust. que. 7. art. 3. Cai. 1. 2. q. 97. art. 4.

In præsentibus breuiter est dicendum, eos non posse, nisi in certis casibus, quos ipsis leges, & iura concedunt, & constat ex cap. Dilectus, de temporibus ordina. Atque id etiam ratio conuincit: nam ius commune Canonicum constitutum est Concilij generalis, vel totius Ecclesiæ, vel Romani Pontificis auctoritate: Ius item civile commune, sancitum, aut confirmatum est auctoritate Imperatorum: Sed qui minoris, & inferioris est potestatis, ius & auctoritatem contra superiorem non habet, Ergo sicut supremus Princeps nequit à iure naturali, vel diuino aliquos excipere: sic nec inferior Præfectus, vel Magistratus à iure communi scripto, Pontificio, Imperatorio, vel Regio potest aliquos soluere. Ex quo efficitur, non posse quemquam Antistitem ius Constitutionibus vim abrogare, si sint Romani Pontificis auctoritate munitæ, & confirmatæ, quia non potest eam confirmationem ex toto, aut ex parte tollere: similiter si ipse eas constitutiones, interposito iure iurando firmauerit: quia non potest se ipsum à iurifurandi religione, & vinculo soluere.

Porro si de pœnis iure communi irrogatis loquamur, videndum est, an ius commune inferiori Magistratui concedat, siue permittat, ut eas pœnas possit remittere, & tunc poterit eas pœnas condonare: quòd si ius commune prohibeat legis pœnam lenire, & mitigare, eam pœnam ille

remittere nequit. Si verò nec veter explicitè, nec expressim concedat, tunc etiam ex iure Canonico, potest à pœnis ob delictum contractis reos nonnunquam absoluerè. Hoc enim colligitur ex cap. Nuper, de seuer. excommunic. in c. vbi dicitur: Ab excommunicationis sententia, lata à Romano Pontifice, vel iure communi pronuntiata, posse Episcopum absoluerè, si eam sibi non reseruauit Romanus Pontifex, vel conditor Canonis.

Præterea sciendum est esse aliquas causas, in quibus ob consuetudinem moribus vrentium receptam possunt Episcopi in iure communi canonico indulgentiæ beneficio vti, & aliquos ipsis legibus soluere.

Primò, ratione consuetudinis legitimo tempore præscriptæ. Secundò, ratione grauis, & magnæ necessitatis, vel utilitatis subito contingentis, ita ut facili, & commode non pateat ad Principem aditus; item ratione alicuius necessitatis crebrè accidentis. Tertio, ratione leuitatis, & paruitatis materiæ: esset enim difficile in minimis Principem adire, & consulere. Quarto, ratione frequentiæ; ut si crebrè casus certus accideret. Hæc Siluest. Sor. & Caiet. locis supra citatis, imò Sor. & Cai. alium quartum casum excipiunt, quando lex superioris quidem est; sed pertinet ad proprium bonum ciuitatis, vel cõmunitatis: ut si lege regia statuatur, ne frumentum, vel vinum in oppidum aliunde aduehatur, porerit, qui oppido præest, relaxare. Sed certè hoc idèd est, quoniam lata lex videtur solum in bono proprio, non commune: videlicet, ut vendi, & impendi possint proprii priuatorum ciuium fructus ex bonis collecti, & percepti.

Octauò Quæritur, Quæ sint iustæ causæ aliquos legibus soluendi, & eximendi? Respondeo, multas: easque non ineptè colligi ex prima quæstio. septima, cap. Necessaria, & cap. Quod pro remedio. Prima est temporum mutatio. Hinc factum est, ut multa ieiunia olim canonibus indicta, in vltis, & more iam esse desierint. Similiter etiam, ut nocturnæ vigiliæ Apostolis & Martyribus sacra, temporum progressu sublata fuerint. Secunda, Vtilitas cõmunis, nimirum, ut alij facilius, & citius respiscerent, ad meliorem vitam frugè conuenterentur. 2. 2. q. 4. c. Ipsa pietas. Tertia: Personarum conditio, & status, si sit aliquis de cõmuni Reipublice salute benè meritus, si scientia, & experientia valeat; si vita, & moribus præstet; si generis nobilitate præmineat. c. Tama. c. Didici. 1. q. 7. Quarta: Necessitas. c. Tama. 1. q. 7. Quinta, Pietas. Sexta: Rei euentus. Septima: multorum offensio, cap. Vt constitueretur, dist. 50. Possent, & aliæ causæ occurrere, quæ iustæ, & legitime boni viri arbitrio censeantur.

Nonò Quæritur, An legis, & iuris communis relaxatio causæ cognitionem requirat? Quod est quærerè, An, ut quis legibus, vel Canonibus soluat auctoritate, & beneficio Principis, necessaria sit causæ cognitio? Respondeo ex Innocentio, Glossa, & Abbate, quos citat Couar. de marim. 2. 2. c. 6. §. 9. num. 12. vbi etiam alios profert, Baldum, Alexandrum, Felinum, Ripam, Curtium, si id fiat auctoritate Principis, nullam requiri causæ cognitionem; sed solam eius sufficere voluntatem, quando quis soluit legibus, quæ solius iu-

ris scripti sunt, non diuini, vel naturalis. Si autem fiat auctoritate Magistratus, aut Episcopi, aut alterius cuiuslibet Præfæcti inferioris, necessaria est causæ cognitio: alioquin iure potest puniri is Præfæctus, vel Antistes, qui legem relaxat. Sed quæres, an valeat eiusmodi relaxatio sine causæ cognitione? Respondent aliqui, quod attinet ad eum, qui legem relaxat, valere, ita ut deinceps eam indulgentiam reuocare sine causa non possit, & cum eam tribuere potuerit, valuit, si tribuit. Quod verò pertinet ad superiorem Principem, potest, quando cunque voluerit, eam indulgentiam, & legis relaxationem rescindere. Sed longè verius est, quod docet Couarruias, nec in iudicio, nec apud Deum valere, eo quòd data est illis hæc facultas, hac conditione, ut non nisi cum causæ cognitione ius relaxent. Quæres deinde, an is, qui auctoritate Præfæcti inferioris lege soluitur, tunc possit vti eiusmodi indulgentiæ beneficio citra iustam causam, sed cognitam, & expressam concessio? Respondet cum Innocentio, & Abbate, & Couarruias, tuta conscientia eum vti non posse, in quo indulgentia, & dispensationis beneficium sine causa iusta non valet, quamuis in foro iudiciali impune eo vtatur, donec à Principe abrogetur, nam tria sunt necessaria: primum, ne inferior Præfæctus ius relaxet absq; iusta causa. Secundum, ne relaxet nisi cognita causa. Tertium, ne id faciat, nisi exprimat causam, cur id faciat, alioquin enim in iudicio puniri poterit.

Decimò Quæritur, An Princeps eo ipso videatur aliquem à legibus eximere, quòd eum ad ea scienter admittat, à quibus erat alioqui per leges exclusus? Respondet, cum Abb. Hostiensis in c. diuersi fallacis, de clerici. conu. Nau. in man. prælud. g. num. 15. & c. 15. mon. 74. Si is qui scienter admittit sit Princeps, eo ipso legem relaxare creditur, quia, ut antea dixi, ut Princeps aliquem lege sua soluat, ac liberet, & valeat eius indulgentia, sufficit sola eius voluntas, nec alia causa requiritur; si tamen sit inferior Princeps Magistratus, non eo ipso, quòd scienter aliquem admittit, iure communi, & legibus soluit, quoniam ut id faciat, & valeat, quòd facit, necessaria est causæ iustæ cognitio, & expressio. Silu. dispensatio. q. 15. ex Innocentio, Archidiacono, Abbate. Rogabis, Quid dicendum, si Præfæctus inferior ex iusta causa admittat sciens ac volens aliquem vi legis inhabilem, cui tamen possit indulgentiæ, & dispensationis beneficium concedere? Respondet, in foro iudiciali animaduerti meritò posse in eiusmodi Præfæctum, eo quòd legem, & ius commune relaxet, absq; cognitione causæ, quamuis iusta causa ad id faciendum non desit, etiam si Episcopus sit, vel Archiepiscopus, Legatusve Apostolicus: quoniam nequeunt sine causa relaxare. Respondet quoque in foro conscientiæ indulgentiam, & relaxationem non valere in hoc enim foro requiritur, & iusta causa, & causæ cognitio. Sic Nauar. in Nauar. prælud. g. num. 15. & c. 25. num. 74. at verò quories Episcopus scienter iubet, vel permittit aliquid fieri contra suam constitutionem, vel suorum antecessorum, tacite, eo ipso, relaxat eam, etiam nulla mentione facta de ea. Nauar. prælud. disto. g. num. 15. Dixi scienter: quoniam si per ignorantiam, vel errorem id fecerit, tacite constitutionem non creditur

relaxare: quoniam quòd ita fit, voluntarium non est.

Caput XVI.

De abrogatione, & interpretatione legis.

Primò Quæritur, Quomodo, & quando lex vna per aliam tollatur? Respondet, legem priorem per posteriorem sibi contrariam tolli, & abrogari, ut deducitur ex cap. 1. de cognitione spirituali, & l. Non est nouum, ff. de legibus. Tribus modis priores leges ad posteriores trahuntur: Primò, quando legem priorem posterior corrigit, ut lex. Generali. c. de sacrosanctis Eccles. corrigitur per authenticam ingressi. In eodem titu. Secundo modo, quando posterior lex priorem contrahit, & restringit, ut lex. 1. c. Quando libellus Principi datus, per secundam, c. eodem titulo, arctatur. Tertio modo, quando lex prior per posteriorem suppletur. Vnde in l. Non possunt, ff. de legibus, perspicuè decernitur: Quia non possunt omnes articuli singularium, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi: idè cum in aliqua causa sententia manifesta est, is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. Et in l. Nam, ut ait, ff. eod. titu. subiicitur: Quoribus legibus aliquid vnum, vel alterum introductum est, bona occasio est, cetera, que tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretationem, vel tertè iurisdictione supplere. Verbi gratia, Lex tantummodo statuit, ut pater fame pressus possit filium vendere, potest lex huiusmodi ad similia trahi, ut possit filium alteri quomodocunque obligare, & pignori dare, & locare.

Secundò Quæritur, An lex posterior priorem tollat, tamen nullam faciat eius mentionem? Respondet Silu. lex. q. 28. §. tertio tollitur. Si vtraque lex sit generalis, & à Principe lata, priorem per posteriorem simpliciter abrogari: quia Princeps suas leges, vel constitutiones non videtur ignorare, ergò si posteriorem priori contrariam condiderit, eo ipso creditur probabiliter priorè scienter sustulisse. cap. 1. de constitutionibus. in 6. Romanus Pontifex posteriorem constitutionem condendo, priorem reuocare existimatur: nam vtraque ex eius voluntate pendet, ergò posterior valet. Abb. in c. cum accessissem, de constit. c. 2. Bart. in l. omnes populi, ff. de iust. & iure. & Silu. loco cit.

Tertiò Quæritur, An si prior constitutio Principis clausulam habeat posteriori derogantem, tollatur per posteriorem nullam mentionem prioris facientem? Negant quidam eam tolli, nisi prioris mentionem posterior fecerit: quia prior, inquit, clausula derogat posteriori. Sed verius alij senserunt, etiam tunc priorem clausulam per posteriorem auferri, nec oportere fieri mentionem prioris: nam Princeps probabiliter suas Constitutiones nosse censetur; ergò hoc ipso, quòd posteriorem cum priore pugnantem condit, videtur totam priorem abrogasse. Silu. lex. q. 26. §. tertio tollitur.

Quartò Quæritur, An constitutio abroget etiam consuetudinem priorem generaliter receptam? Respondet, si est consuetudo generalis, abrogatur, alioquin enim constitutio esset superuacanea, & inutilis. Glossa in c. 1. de constit. in 6. verbo, noster, ad finem. Si tamen est specialis alicubi, &

non ubique locorum recepta, non tollitur. *Gloss.* ibide n. tum, quia Princeps non creditur nosse peculiare locorum consuetudines: tum etiam, quia si in vno loco specialis consuetudo seruatur, in alio non seruatur, ibi constitutio vim habebit; at secus est de consuetudine generali, & quam Princeps scire creditur, & quæ definit omnino per legem contraria sublata. *Bart. in l. omnes populi. ff. de inst. & iure.* docet generatim, consuetudinē priorē per legē sequentem tolli, etiam si lex mentionem consuetudinis non faciat, & ait oppositum doctores canonici iuris sentire: hoc ideo dicit, quia in c. 1. de consit. in 6. habetur, consuetudinem specialem in certo loco receptam non tolli per constitutionem Pontificiam sequentem: at vt Glossa ibi annotauit, consuetudo generalis aboletur, licet nō specialis. Vnde fit vt si Respublica statutum ediderit contra consuetudinē in ea Respublica receptam, tollat eam, quamuis nullam mentionem faciat; quia ciuitas probabiliter creditur consuetudinem suam nosse, idem iuris est in Episcopo.

Quintò Queritur, An statuta specialia lege Principis contraria abrogentur, quando nihil aliud decernunt, nisi quod ius commune. *Respondet* Glossa in c. 1. de constitutionibus. in 6. abrogari, etiam si eorum expressa mentio non fiat, quia si Princeps suam priorē legem tollit, & abrogat, multo magis abolet inferioris Magistratus statutum, quod nihil aliud constituit, & continet, nisi quod ius ipsum commune decernit.

Sextò Queritur, An si prior lex, sit à Principe iureiurando firmata, per posteriorem vnā cum iureiurando tollatur? *Respondet*, Minime: quia iurandum est aliud longè arctius, & strictius vinculum, quo quisque sese Deo obstringit: ergo nisi Princeps iurifurandi mentionem fecerit, & illud relaxauerit, prior lex iureiurando confirmata per posteriorem non tollitur. *Obijcies,* Quando lex iureiurando firmatur, solum vim habet, ac retinet iurifurandum adhibitum, quamdiu, vel donec lex sublata non sit. *Item,* iurifurandi materia est lex, ergo si lex abrogatur, amplius iurifurandi materia non permanet. *Præterea,* id, quod accedit ad alterum, sequitur naturam eius. c. *accessorium.* de reg. iuris in 6. & l. *principalis.* ff. de reg. iuris; ergo si lex, cui iurifurandum accedit, finitur, ac cessat, iurifurandum quoque definit. *Respondet*, cum legem conditam Princeps iureiurando confirmat, iurat se id facturum, quod est lege constitutum: quare ni se iurifurandi religione, & lege soluat, non videtur id, quod est lege decretum, abrogare.

Septimò Queritur, An lege Principis generali tollantur Priuilegia, rescripta, statuta, vel consuetudines speciales locorum? *Respondet*, Minime: siue huiusmodi priuilegia, rescripta, vel statuta clausulam habeant derogantem, siue secus, vt facile constare potest ex cap. licet. De constitutionibus in 6. Nam, vt ibi dicitur Princeps probabiliter creditur ignorare priuilegia, rescripta, statuta, & consuetudines speciales locorum, & proinde, nisi eorum expressum meminerit, non videtur auctoritatem earum abrogare. *Silu. lex. q. 26. §. tertio tollitur.*

Octauò Queritur, Quid sit dicendum, quando Princeps certo viro, populo, ciuitati, vel col-

legio priuilegium concedit, clausula adhibita; ne derogatum esse intelligatur, nisi eius ad verbum expressè facta sit mentio; & deinde Princeps legem condit, vel priuilegium contrarium concedit, clausula subiuncta: Non obstant quocunque priuilegio, rescripto, vel statuto habente clausulam: ne derogatum esse censetur, nisi expressè eius ad verbum facta mentio. *Queritur,* an prioris priuilegij clausula per posteriorem abrogetur? quotidiē enim experimur, huiusmodi priuilegia sibi contraria, Principum auctoritate concedi. *Respondet* breuiter, priorem clausulam per posteriorem tolli, & abrogari: quoniam verba posterioris clausulæ satis indicant mentem Principis fuisse, speciale priuilegium tollere, & abolerē. *Pedericus conf. 225.* sentit primum priuilegium non esse per secundum sublatum, sed sententiam mutat, vt constat ex *conf. 46.* & nos de hac questione inferius agemus, cum de priuilegijs differemus.

Nonò Queritur, Quo pacto legem interpretari nos oporteat? *Respondet* Silu. *lex. q. 16. ex Abbate, & alijs, & q. 16. ex Bartolo, & q. 20.* Ex communi vñ verborum, qui præferri debet omni rigori, & significationi vocum, l. *liberum.* §. *quod tamen Cassius, ff. de legatis 3. & cap. cum dilectis, de consuetudine.* Teste *Abbat. in cap. ad Audientiam, de decim.* in legibus diuersitas vocabulorum diuersitatem rerum inducit; alioqui enim lex super fluè vocabulis diuersis vteretur, l. *si idem codicilli, c. de codicill.* *Item,* si ex lege ipsa constat mens legis, tunc etiam contra propriam significationem vocabuli tenenda est mens legis. l. *cum pater.* §. *dulcissimus.* ff. de lega. 2. *Præterea* legem interpretari debemus mitius, & benignius, in l. *Benignus, ff. de legibus, dicitur;* benignus leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conseruetur. Hoc præsertim locum habet, si alius ex ea sensus absurdus nascatur; vel sit necessarius ad incommodum trahenda, vt docet *Bartolus ibid.* *Exempli causa,* Decernit lex, eum, qui occidit hominem, capite puniendum; interpretanda est huiusmodi lex, ita vt furiosus occidens alium, occidi non debeat: nec si quis seipsum tuendo, interimat eum, qui in ipsum inique irruit. *Item,* quando in lege exprimitur ratio legis, ex ea interpretari, & elicere sensum, & colligere similiter mentem, & animum legislatoris iure debemus, *Clement. 1. de electione.* Veluti in cap. *ex parte, de postulando,* interdicitur Monachis aduocare: eadem lex ad Canonicos regulares trahitur: quoniam licet à Monachis Canonici differant: quia tamen eiusmodi legis ratio in Monachis, & Canonicis est eadem, nimirum regularis instituti, & vitæ obseruatio, lex quoque ad Canonicos non immeritò protenditur. *Item,* quando cunque vna lex per aliam declaratur, in eo sensu eam accipere oportet. *Item,* in l. *In obscuris, ff. de regul. iuris* habetur, in obscuris inspicere solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. *Insuper, in l. in ambiguis, ff. de reg. iur. dicitur.* In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda eius, qui eas protulisset. *Præter hæc,* nisi ratione cogamur, nunquam verba legis improprie sunt accipienda. Vnde *Ciuilis, & Canonici iuris interpretes* vulgò dicere solent, verba legis non esse impropranda, id est, ad sensus improprios trahenda.

henda, & detorquenda: at si ratio manifesta cogit, tunc legis verbum improprie acceptum esse iure creditur, ne alioqui ex lege sensus incommodus, & absurdus oriatur. Item, si de interpretatione legis queratur, in primis inspiciendum, quo iure ciuitas retro in huiusmodi casibus vsa sit: nam vt habetur, in *l. si de interpretatione, ff. de legibus*, optima est legum interpretatio consuetudo.

Decimo Queritur, An lex trahi possit ad casus connexos, & similes? **Respondet** Silu. *lex. q. 18.* quado est eadem ratio, eam legem trahi iure posse; quia de connexis, & similibus idem ius esse videtur, *cap. translata, de constitutionibus*. Hoc tamen licet sepius sit verum, aliquando tamen locum non habet, praesertim cum casus sint tantummodo similes iuris fictione, non re ipsa. Vnde in *l. non possunt, ff. de legibus* dicitur; non possunt omnes articuli singulatim legibus comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni praest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.

Vndecimo Queritur, An lex in delictis, & poenis ad similia quoque trahatur? **Respondet** Silu. *lex. q. 18. ex Abbate, Ioan. Andrea, & alijs*, trahi, quando est eadem omnino in similibus ratio legis: alioqui illud seruetur, quod habetur in *l. interpretatio, ff. de poenis*, interpretatione legum poenae mollendae sunt, potius quam asperandae.

Duodecimo Queritur, An lex, quae certum quid non prohibet, id concedere videatur tacite? **Respondet** Silu. *lex. q. 21. in cap.* Inter corporalia, de translatione duo dicitur primum, *Nominum quae intelliguntur prohibita, quod non est concessum; Secundum: concessa creduntur omnia, quae non sunt prohibita.* Vbi Glossa *primam*, ait, habere locum in iudicijs, & contractibus stricti iuris, vt in arbitrijs, priuilegijs, & rescriptis; *Secundam*, in iudicijs, & contractibus bonae fidei, in beneficijs, absolutionibus, & in edictis prohibitorijs, in quibus omnes ij admittuntur, quibus non est interdictum.

Hostiensis docet, teste Siluestro: Quando constitutio generaliter aliquid concedit, nihil excluditur, nisi id quod fuerit alioqui vetitum, quoniam qui totum dicit, nihil excipit. Veluti, lege omnibus conceditur matrimonium contrahere: tunc potest quilibet, nisi alioqui sit per aliam legem exclusus. Pari modo, si lex quippiam in vniuersum prohibeat, id omnibus intelligitur esse interdictum, nisi alioqui sint lege exempti: vt tamen si lege in vniuersum vetetur, non esse surandam, non esse occidendam, attamen lege naturali excepti sunt, qui vim vi repellendo occidunt, qui in bello iusto interficiunt, ergo alium licet occidere, vt nos ipsos tueamur, & in bello iusto similiter licet alios necare. **Tempore** item extremae inopiae, & egestatis res sunt communes; ergo licet pauperi extreme indigenti alienum capere, vt seipsum conseruet in vita. Ex quo efficitur, vt si auctoritate Principis aliud imperetur in vniuersum, aut vetetur, nihil sit eximendum, nisi id, quod alioqui exceptum esse constat.

Decimotertio Queritur, An lex ad praeterita trahatur? **Respondet** Silu. *lex. q. 23. per se* legem de futuris, non de praeteritis decernere, *c. cognoscentes, de constit.* & proinde lex ad praeterita non trahitur; vt si lata sit de testamentis, legatis, fidei

commis, donationibus, contractibus, vel quasi contractibus, delictis, vel quasi delictis, poenis, censuris, & alijs huiusmodi. Hoc autem locum habet, quando lex nihil expresse de praeteritis constituit: potest enim lex voluntate Principis de praeteritis ferri, praesertim quando praeterita aliquid habent, quod ex futuro pendeat. Vnde in *l. leges, c. de legibus*, sic dicitur, Leges, & Constitutiones futuris certum est dare formam negotijs, non ad facta praeterita reuocari, nisi nominatim, & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs caurum sit. Haec ibi. **Item**, sciendum est, lege aliquando non nouum ius condit, sed antiquum declarari: & tunc ea lex ad praeterita protenditur, quia qui declarat, non nouum ius condit, *l. heredes palam, ff. de testam.* Praeterea, aliquando lex antiquum ius renouat, poenis nouis irrogatis, quas poenas non contrahunt ij, qui ante deliquerunt. *Abb. in cap. quoniam simoniaca, de simonia ex Paulo.* Sic etiam Cardin. in *Clem. ex grati. de vsur.* **Quaeritur**, quid sit dicendum de eo, qui certum aliquid ex loco coeperit extrahere, & deinde statuto, vel lege id extrahere prohibetur? **Respondet**, ea lege eum hominem minime teneri, quia ante legem editam extrahere coeperat; lex autem est de non extrahendo. Vnde in *l. Cesar. ff. de Publicanis, c. Vestigalibus*, cum lata esset Principis constitutio: Ne quis post Idus Martias cotem ex insula Creta fodito, neue eximito, neue auellito: cuiusdam nauis onusta cotibus ante Idus Martias ex portu Cretae profecta, vento relata in portum erat: deinde, iterum post Idus Martias profecta fuit: Quaerebatur num contra legem Principis post Idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur. **Responsum** est nihil contra legem factum esse, propterea quod iam initio ante legem Principis cotes ex insula euectae fuerant. **Quaeret aliquis**, an lex, vel statutum conditum per verba praeteriti temporis, & aliquid concedens ad futura trahatur. **Respondet** cum Abbate in *cap. cognoscentes, de constit.* minime. Verbi gratia, sit statutum: Quilibet publice proscriptus, si soluat decem, liber existat: non intelligitur de ijs, qui in posterum proscibentur, sed de ijs, qui fuerant ante proscripti, ne detur occasio peccandi.

Decimoquarto Queritur, An lex concedens aliquid, quod possit esse detrimento, & iacturae alterius, intelligi debeat saluo eo, quod alterius interest? **Respondet** ex Baldo, & Abbate, quos citat Silu. *lex. q. 22.* esse interpretandam legem sine detrimento, & damno alieni iuris: sic etiam priuilegia sine damno alterius interpretantur, neque enim creditur princeps concedere cum detrimento iuris, quod alter habet. Glossa in *cap. ex tunc, de auctor. c. vsu pallij, ex cap. licet, de offic. ordin. c. licet, de translata.*

Decimoquinto Queritur, An cessante sine legis, lex quoque ipsa cessare videatur? **Respondet**, legem non cessare, si ratio, & causa legis in aliquo priuato cesset. Si tamen in vniuersum legis, finis, & ratio cesset, desinere quoque lex putatur. Animaduertendum tamen est id locum habere, quando definit finis, & ratio legis, quae ad ipsam legis substantiam spectat, non autem si ad finem legislatoris pertineat. Verbi causa, lex corripiendi fratrem peccantem, in eum finem a Christo

Matth. 18.

Domino lata est, vt à nobis admonitus ille respiciat: eiusmodi causa est substantia legis: quare emendatum iam corripere non oportet. Similiter indiget Titius cibo, vel potu ad vitam necessarios, lege misericordiae, & charitatis compellimur ad ei subministrandum necessaria. Si tamen aliunde sibi prospexerit, eo ipso, sumus lege soluti. **Indixit** verò Ecclesia ieiunia, vt carnis illecebras cohiberemus: non cessat ieiunij lex, quamuis ea sint repressæ, atque perdomitæ. Hæc enim non est legis substantia, sed finis, quem sibi Ecclesia proposuit, cum ieiunia imperauit. **Præterea**, si lex duas habeat suæ institutionis causas, quamuis altera earum cesserit, non eo ipso definit lex. Pono exemplum: Fuit enim Circumcisio instituta, tum vt originis peccatum deleteretur, tum etiam, vt eo signo Hebræus insignitus, ab Ethnico distingueretur: & præterea, si quis in vtero matris diuinæ gratiæ beneficio mundatus ab omni peccati labe nasceretur, circumcidi nihilominus deberet, vt tanquam cuius in populuma Dei adscriberetur. **Hinc** est, vt leges, quæ ponuntur ad euitandas fraudes in contractibus, vel quasi contractibus, si dolus, & fraus non sit, vim, & locum non habeant, cōtra verò leges, quæ in contractibus solennem formulam constituunt, valent contra contractus ea formula carentes.

Decimosexto Quæritur, Cuius sit legē interpretari? **Respondeo**, in ambiguis, obscuris, & incertis, solius esse Principis legē interpretari. **Vn** de in l. vii. c. de legib. leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. *Cap. Inter alias, de sentent. excommunic. & Glossa in cap. Contra eum, de reg. iur. in 6. in manifestis verò & certis non est opus vlla Principis declaratione, siquidem ex ipsius verbis legis sensus eruitur, & constat. Quare Rom. Pontificis solius est, ius Canonicum, & diuinum declarare, cap. Per venerabile, qui filij sint legitimi. Imperatorum verò, & Regum, & aliorum Principū superiorem non agnoscunt, & non habentiū, est ius ciuile interpretari.*

Decimosextimo Quæritur, An quæ facit quis contra legem, rata sint, & firma. **Silu. lex q. 28.** latè tractat hanc quæstionem? **Respondeo**, esse Regulam iuris in 6. in cap. *Que contra*: vbi dicitur: **Quæ** contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi: & in cap. *Imperiali. 25. q. 2.* habetur: **Imperiali** constitutum est sanctione, apertè, vt quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint, & in cap. *Vides, dist. 10.* dicitur: **Vides** fili charissime, quia quicquid contra leges accipitur, per leges dissolui meretur. **Id** ipsum etiam colligitur ex cap. *Sacrosancta. De electione.* **Quidam** hæc omnia tantum locum habere arbitrantur, vbi leges, & iura non solum aliquo prohibent, sed etiam addunt hoc: *Aliter factum si irritum, & inane. Vel: Nullius sit momenti, vel ponderis, vel: Non valeat.* **Sed** horum sententia manifestè pugnat cum eo, quod decernitur in l. *Non dubium, C. de legibus*, vbi habetur: *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, ne specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Sed & si quid fuerit subsequutum ex eo, vel ob id, quod interdum lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile ef-*

se præcipimus. Et paulò antè: Nullum, ait lex, factum, nullam conuenientem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Et inferius: Secundum prædictam itaque Regulam, qua vbiunque non seruari factum lege prohibente censuimus, certum est, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vilius esse momenti, nec sacramentum admitti. Hæc ibi.

Sed contra hanc Regulam iuris, & legem, multa obijcit Glossa in cap. *Que contra*, & in cap. *Vides*, Glossa item in l. *contra, ff. de legibus.* **Nam** matrimonium in primis post simplex castitatis votū contractum, censetur ratum, & firmum, cap. 1. de voto, & voti redemptione in sexto. **Deinde**, coniugium initum temporibus ab Ecclesia interdictis subsistit, vt constat ex iure, de matrimonio cōtracto contra interdictum Ecclesiæ. **Lege** etiam cauet Ecclesia, ne in diebus festis, & sacris res vendantur, & tamen venditio rata est, & firma. **Præterea**, cap. *Per catechismum. De cognatione spirituali in sexto* præcipitur, ne matrimonio copulentur, qui cognationem spirituales cōtrahunt per catechismum, & tamen matrimonium, postea contractū non dirimitur. **Sententia** itidem sub conditione lata vim habet, cap. *Biduum, 2. q. 6.* **Et** tamen lex præcipit, ne ita feratur. **Item**, Ecclesiæ consecratio ab alieno Episcopo facta, rata est, & firma, cap. *Episcopus in diocesi, 7. q. 2.* **Est**, & Regula vtriusque iuris; *Multa fieri prohibentur, que tamen facta tenent.* **Promisi** me fundum venditurum Titio, vendidi Caio, venditio subsistit. **Iurauit**, me non reuocaturum testamentum, postea tamen reuocauit, reuocatio rata est, & firma. **Multa** itidem quæ contra leges, & iura fiunt, postea confirmantur. **Sciendum** est, vt respondeamus, aliud esse facere contra legem, aliud in fraudem legis facere. **In l. ff. de legibus, dicitur**, *Contra legem facit, quod lex prohibet: In fraudem vero legis, qui salus verborum legis, sententiam eius circumuenit.* **Verbi gratia**, lex prohibet, minorem alienare res immobiles absque auctoritate tutoris, & decreto Iudicis. **Si** ergo, minor res suas alienet non seruata hac legis conditione, facit contra legem. **In** fraudem verò legis facit, qui verba legis seruat, sed non sensum, ac mentem; **Vt** puta, præcipit lex ne filij familias pecunia numerata mutuo detur, Titius non dat mutuo pecuniam, sed fundum, vel aliam rem, vt filius familias vendat, & pecuniam mutuo accipiat, factum est in fraudem legis. **Item**, cauet lex, ne vir vxori donet. **Titius** Maritus donat aliquod Caio, vt ipse postea id donet vxori ipsius Titij, facit in fraudem legis. **Item**, Titius ratione priuilegij sibi auctoritate Principis concessi, liber est à tributo, & pensionem, si res suas vendat, Caius amicus eius res suas vendit, opera, & ministerio Titij. **Et** idè tributum, vel pensionem non soluit, perinde ac si res vendita esset Titij: **Caius** tunc vendit, ac facit in fraudem legis.

His positis difficile est, quod in Regula, & lege prædictis præscribitur, scilicet ea, quæ contra legem fiunt, nullius esse momenti: quare plurimum negotij accessit huiusmodi Regulatum Canonici, tum Ciuilibus iuris Doctoribus, qui eam ob id variè interpretantur. **Quidam** aiunt, eam solum locum habere, quando lex aliquid in

perpetuum prohibet, non ad tempus. Verbi gratia, præcipit lex, Ne matrimonium inter certa personarum consanguinearum, vel affinium genera contrahatur: Lex in perpetuum id prohibet, ac proinde contractum irritum est, & inane, prohibet tamen quo minus celebrentur nuptiæ certis temporibus, aut quo minus fiant rerum venditiones festis diebus. Si contra fiat, factum vim habet: quia lex ad id tempus tantum prohibet. Verum alij aliter exponunt; sed reuera probabilius est, quod quidam existimant, id, quod fit contra legem, nullius esse momenti, nisi quando ex alia lege, iure, ratione, ve certa & manifesta constat illud ratum esse, & firmum. Unde quæ Glossæ prædictæ obiecerunt, facile hac ratione solvantur: quoniam ex alijs legibus, aut certè ratione manifesta patet, ea quæ sunt obiecta, & facta contra leges aliunde subsistere. Sic etiam rata sunt multa, quæ per metum sunt facta, cum tamen leges, Canones, & iura caueant, ne quid per metum fiat.

Caput XVII.

De Consuetudine, quæ vim legis habere dicitur.

Primo de consuetudine pauca Theologi: ac Summi verbo, *consuetudo*, multa, & iuris Canonici consulti *ist. de consuetudine*, & iuris Civilis periti, *de quibus ff. de legib. Rochus Curcius tractatum* edidit de consuetudine super caput vltimū de consuetudine. **Quæritur**, quid sit consuetudo? Certo constat esse ius moribus ventium inductum, & approbatum, quod pro lege habetur, ubi lex desideratur, ac deficit, *c. consuetudo, dist. 1. consuetudo dicitur ius non scriptum. Vnde in l. de quibus, ff. de legib. statuitur*, de quibus causis scriptis legibus non uti. *mur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est, & l. diuturna, ff. eod. tit. habetur, diuturna consuetudo pro iure, & lege in ijs, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.*

Secundo **Quæritur**, Quotuplex est consuetudo? **Respondet** Abb. *in c. vii. de consuetud. n. 20.* cum communi consensu, triplicem esse, aut contra legem, aut præter legem, aut secundum legem: Sic etiam **Bart. in l. de quibus, ff. de legibus, de quibus est nobis singularitatem in præsentia differendum.**

Tertio **Quæritur**, An consuetudo vim aliquam habeat contra legem naturalem? **Communis est** omnium vtriusque iuris interpretum, & Theologorum sententia, nullam habere vim, *cap. vii. de consuetud. & ibi Doctores, & Glossæ, s. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1.* quoniam quod lex nature iubet, aut vetat, est per se bonum, aut per se malum, ergo hominum usu, & consuetudine tolli, aut abrogari, non potest. Quare consuetudo contra legem naturalem inducta vocatur in iure Civili, consuetudo contra bonos mores, abus, & in iure Canonico, corruptela.

At enim contra hoc, quod diximus, aliqua possunt obijci. **Primum**: Contra legem naturalem est, si quis habeat plura beneficia Ecclesiastica, & tamen multis in locis est consuetudine receptum, ut vnus multa possideat. **Respondet**, inter Auctores non satis de hoc conuenire, alij asserentibus esse contra ius naturale, ut simul quis habeat

plura Beneficia, quando vnum sufficit ad conuenientia eius alimenta, ex quibus honestè, & commode sustentetur: contra alijs dicentibus, id solum esse contra ius Canonicum, quando Beneficia simplicia sunt absque vlla animarum cura. **Mihi prima sententia magis probatur**, & quicquid dicant **Innoc. in cap. vii. de cleri. non resi. & in c. cum iam dudum, de preb. & Glossa in cap. gratia, de rescript. in 6. & Cardin. in cap. cum iam dudum**, verior apparet opinio **Panorm. in c. extirpanda, s. qui verò num. 35. de preb.** consuetudine quidem induci posse, ut auctoritate Episcopi ius commune relaxantis ex causa aliqua iusta, quis simul habere possit plura beneficia simplicia, etiam quando vnum eorum sufficit ad beneficiarium commode sustentandum; at verò nequit consuetudine introduci, ut habeat quis plura beneficia huiusmodi absque vlla auctoritate legitima, qua superior, videlicet Episcopus ius ipsum relaxet, quia ius naturale prohibet, quominus aliquis simul habeat plura beneficia, quando vnum sufficit ad commode clericum sustentandum: sed consuetudo contra ius naturale corruptela est, & in præscriptionem venire non potest. Item, ius naturale prohibet, quominus quis simul habeat plura beneficia sine causa iusta, at nihilominus ex causa iusta habere potest, ut dicam inferius.

Deinde obijciunt, ius naturale est, ut Beneficium propter officium conferatur, ut aperte dicitur *in cap. vii. de Rescriptis, in 6.* & proinde sicut omne Beneficium requirit officium clericum, sic etiam eius assiduam in Ecclesia præsentiam, & tamen alicubi est more introductum, ut quis habeat in certa Ecclesia Beneficium, nec tamè ipse in ea commoretur, ac residet assidue. Item, sunt alij Clerici Beneficij, qui in Ecclesijs, quibus sunt destinati, nec commorari, & residere, nec vllum alium substituere in sui locum, iure coguntur. In Hispania enim sunt multa beneficia, quæ dicuntur Præbendæ, vel Præbendiales portiones, quæ libera penitus sunt ab omni iure, & præcepto residendi, aut clericum alium sufficiens, & supponendi. **Respondet**: quicquid sit de Beneficij cura animarum obstrictis, Beneficia simplicia iure tantum Canonico, non diuino, aut naturali residendi legem, & præceptum imponunt: proinde vsu introduci potuit, ut quis Beneficium simplex habeat sine vilo iure, & præcepto residendi, vel sibi alium clericum surrogandi, de qua re proprio in loco fusiùs disputabo: & consuetudine introduci potest, ut simplicia beneficia habentes tunc redditus, & fructus percipiant, etià absentes, ut docet ex Glossa, & alijs **Couarru. lib. var. resolut. 3. cap. 13. nu. 9.** Tertio obijciunt: **Vfus** sunt naturali iure damnata, & tamen alicubi locorum more, vsuque receptum est, ut Iudæi vsuras sibi promissas in foro iudiciali exigant, & ij, qui promiserunt, sententia iudicis cogantur eas soluere: nec deinde datur ipsis actio, si solutas repetant. **Item**, apud nonnullas gentes Christiani etiam nominis, consuetus est, imò, & Principum legibus constitutus, ne Iudæi exigant vsuras vltra certam pecuniæ quantitatem: **Respondet**: Quicquid Silu. *vsura, 9. q. 22.* & Ang. *vsura, 2. q. 14. Pila. vsura, 4. s. 3. & Armi. vsura, v. 54.* & quidam alij tradiderint, eiusmodi consuetudines nequaquam

cum naturali iure pugnare: non enim illæ approbant vsuras, sed impunè permittunt: permittere autem impunè aliqua flagitia, quo sic plura alia grauiora, & deteriora deueniunt, non est per se malum. Non igitur ea consuetudo est contra legem naturæ prohibentem vsuras, dummodò vtentium moribus, vel legibus Principum caueatur, ne Iudæi ultra certam pecuniæ quantitatem eas petant; hoc enim non est statuere, vt exigant vsuras, sed ne exigant immodicas. Non est item contra ius naturale, Iudæis concedere, vt vsuras sibi promissas in foro iudiciali petant: nec etiam contrarium eidem iuri, legiue naturali est, sententiam ferre, vt vsuræ Iudæis promissæ soluatur, vt dictum est: hoc enim nihil aliud est, nisi sententiam pronuntiare, vt pacta, & conuenta seruentur, in quò peccatum non est. Is præterea, qui promissit vsuras, & deinde soluit promissas, nec in promittendo peccat, nec in soluendo. Nam, vt constat ex cap. *Debitores, de iureiurando*, licet Ecclesia non cogat solui vsuras simpliciter promissas, compellit tamen ad soluendum iuratas: ergò non est peccatum iure naturali damnatum, si in foro iudiciali vsuras simpliciter promissas aliquis soluere iubeatur, licet iure Canonico in *Clementina, Ex gravi, de vsuris*, id interdictum esse videatur: iuri tamen Canonico potest consuetudo recepta derogare. Quare vbi ius canonicum moribus vtentium receptum est, in excommunicationem incidit Magistratus, Iudices, & Principes statuta condentes, vel distantes, vel ministri scribentes ea statuta, quibus decernitur, vt vsuræ soluantur, aut ne repetantur soluta, aut ne restituantur, de qua re proprio in loco dicemus. Quartò obijci possent: nã sicut iure Ciuili introductæ sunt leges vsucapionis, & tamen sunt iuri naturali contrariæ, sic etiam vsu induci poterit vsucapio. Item, quem admodum iure Ciuili innocens, qui deprehenditur secundum allegata, & probata in iudicio reus, capitis damnatur, quod videtur iuri naturali refragari; sic etiam idem iuris, poterit consuetudo introducere, & confirmare. Ad hæc tamen planius in proprio loco respondebo: in præsentia sit satis, dixisse, nihil in hac parte ius ciuile, & scriptum contra naturæ leges statuisse: non potest igitur per consuetudinem iure fieri, quod cum naturali iure pugnat. Verbi gratia, vt quis plures simul vxores habeat: vt vxorem repudiet: vt filijs alimenta denegat vitæ simpliciter necessaria: vt ex mutuo lucrum acquirat: vt inimicum odio habeat, vt priuata auctoritate se vlciscatur, & vindicet: sed dubitari potest, an valeant statuta, vel consuetudines, quibus permittitur consanguineis, vt consanguineorum iniuriam, & necem vindicent. Item vt publicè à Principe, vel Republica proscriptus, occidi possit impunè. Item, vt homicida poena tantum pecuniaria mulctetur: in proprijs locis explicabo. Couarruias *de matrim. par. 2. cap. 6. §. 9. nu. 4. de reg. peccatum p. 2. §. 11. nu. 3. nò probat Iurisconsultorum sententiam, dicentium ius naturale non ex toto, sed ex parte posse mutari, de quo dicam inferius.*

Secundò queritur, An consuetudo vim habeat contra ius Diuinum? Conflās est opinio omnium Theologorum, non habere: quoniam ius diuinum

est à Deo constitutum, quod ipse præcipit, vt seruetur: ergo sicut non potest humana lege tolli, sic nec consuetudine, quæ vim suam ex moribus vtentium fortitur, & obtinet. Sic Doctores, & Glossa in cap. *vt. de consuet. 5. Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. ad. 1.* Quare hæc quoque consuetudo cõtra ius diuinum inducitur merito dicitur Corruptela, & contra bonos mores, & abusus. Animaduertendum est, plerosque Canonici, & Ciuilis iuris interpretes docere, ius diuinum posse iustis de causis augeri, restringi, cõtrahi, minui, & ex parte mutari, distinguendo consuetudine, & constitutione humana. Sic Innoc. Hostiensis, Ioan. Andr. Abbas, Felinus in c. *vt. de consuet. 5.* Sic quoque Cynus & hic est communis consensus inter iuris Ciuilis Doctores, in *1. manifestione, ff. de iust. & iure, & l. 2. c. de seruit.* Sed hoc ideo docent isti auctores, quia latius ius Diuinum accipiunt, quam Theologi, vt in alio loco trademus, verbis enim tãtummodo, non re à Theologis dissident.

His quædam possent opponi. Primò: Iuris Diuini est, vt ij, qui sunt excommunicatione affecti, à consortio fidelium, & piorum hominum, Sacramentorum communione arceantur, iuxta illud Christi Domini; *si Ecclesiam non exderit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* At verò consuetudine, vel potius constitutione Ecclesiastica est receptum, vt tantum duo genera excommunicatorum deuitemus; Notorios videlicet Clericorum percussores, & Nominatim denunciatos. Respondeo, in excommunicatione aliquid esse iuris Diuini, aliquid tantum iuris Canonici. Iuris Diuini est, vt dum quis excommunicationis vinculo tenetur, à diuinis, & sacris ministris, & Sacramentis exclusus, remotusque sit: & contra hoc nullam vim habet consuetudo, vel lex humana: & hoc sensu Christus dixit: *si tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* ethnici enim, & publicani à diuinis, & sacris duntaxat arcebantur: Iuris verò Canonici est, vt eorum, qui sunt sententia excommunicationis obstricti, consortium deuitemus; & proinde hoc potest, vel lege Ecclesiastica, vel consuetudine abrogari. Deinde, opponitur illud ex Deuteronomio cap. 17. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum:* ergo iure Diuino sufficiunt in causis duo aut tres testes: & tamen alicubi est in more positum, vt in multis questionibus, & controuersijs non satis sit numerus, nisi nouem, octo, septemve testium. Respondeo, Iuris Diuini latè, & fusè sumpti multa esse, quæ tamen non sunt iuris diuini pressius, & strictius accepti. Iuris Diuini esse dicuntur, quæcunque in Sacris literis ad cæremonias, & administrationem rei publicæ pertinentia continentur, quæ modo iuris Diuini non sunt: ergo in lege veteri ad rēpus, non in perpetuum præcepit Deus, vt sufficeret in causis, & controuersijs dirimendis, triū vel duorum testium numerus: post Christum id potuit, vel lege humana, vel vsu, vel more aboleri. Tertio obijciatur, Iuris Diuini est, vt quis Eucharistiã suscipiat extremo vitæ suæ tempore; & tamè apud Gallos, & Hispanos in more positum fuisse fertur, ne damnatis ad mortem ob delictum atrox, & immane, cuius poena diutius differri cõmodè nequiret, Eucharistia præberetur. Respondeo, talem consuetudinē à quibusdã reprehendi

tanquam

tanquam iuri Diuino contrariam, sed non est cur facile condemnetur. Sunt enim duæ Theologorum sententiæ, vna affirmat iure Diuino quemque debere sumere Eucharistiam vltimo vitæ tempore; negat altera id iuris Diuini esse, sed Ecclesiastici; & proinde consuetudine introduci posse, ne quis eo tempore Eucharistiam suscipiat, præsertim in ijs Prouincijs, & locis, in quibus seuerius delicta puniuntur. Sed tamen dicamus id iuris esse diuini, vt probabilius est opinio id afferentium, potest iustis de causis ea iuris obligatio aliquando desinere, vt in proprio loco fusè dicemus: in præsentia sufficit dicere, de hac consuetudine aliquod tractasse Nauarrum de penit. & remissio. Confil. 16. & Sotum, 4. d. 12. quest. 1. ar. 12. Quarto obijcitur id, quod Actorum 15. refertur; nam in Apostolorum Concilio Hierosolymis coacto clarè dicitur: *Visum est Spiritui sancto, & vobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos, ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: & tamen consuetudine est introductus vltus sanguinis, & suffocati.* Respondeo, nunc non esse iuris Diuini, ne sanguis, & suffocatum edantur, fuisse tamè Diuinum Veteris legis præceptum, quod quia ad legem veterem iudicalem pertinebat, per legem nouam est penitus abrogatum. Apostoli verò ea potestate, qua fuerit Ecclesiam Antistes & rectores, legem tulerunt, qua ad tempus teste Augustino lib. 32. c. 13. contra Faustianum, eius suffocati animalis, & sanguinis interdiceretur, vt Gêtes facilius, & commodius tunc temporis conuenirent, ex quibus vnum Ecclesie corpus constaret, ac deinde elapsu temporis paulatim eiusmodi præceptum Ecclesiasticum sublatum est, præsertim in Occidente: nam in Oriente diutius retentum esse legitur. Durauit in Occidente per aliquot annos, vt constat ex Concil. Aurelian. 2. can. 20. & Concil. VVormatiens. can. 65. & ex Pœnitentiaro Theodori, Bedæ, & Rabani.

Et certè nihil refert, an in eo Actorum loco, quem reuulimus, quatuor præcepta, an tria duntaxat contineri dicamus: nam eius scripturæ duæ olim fuerunt apud Patres lectiones. Irenæ. lib. 3. cap. 12. Cyprianus, aduersus Iudeos, ad Quartum lib. 3. cap. 119. Tertullianus lib. de Pudici. cap. 12. & in Apolog. cap. 9. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam, Gaudentius Episcopus Brixianus tractat. de Machab. & Hieronym. in Ezechiel. cap. 44. solum legunt ab immolatis simulachrorum, sanguine, & fornicatione: ita vt tria tantum præcepta data esse ab Apostolis, significent; primum de idololatria, secundum de cæde hominum, tertium de omni impudicitia deuitanda. Et Ambros. ad Galat. 2. ait, tria hæc mandata ab Apostolis, & Senioribus data reperitur, que ignocant leges Romanæ, id est, vt seruise ab idololatria, & sanguine, sicut Noe, & fornicatione. Que Sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinentiam, adulterarunt scripturam, quarum mandatum addentes, & à suffocato abstinentiam, quod pato nunc Dei nutu intellectari sunt, quia iam supra dictum erat, quod addiderunt. Augustinus lib. 32. contra Faustianum cap. 13. legit, ab immolatis, sanguine, & fornicatione: in speculo ex lib. Act. Apostolorum. legi: ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Et huius lectionis sensus potest esse du-

plex, aut enim appellatione sanguinis possumus intelligere cædem hominis, aut esum sanguinis, & nomine suffocati intelligitur animal, quod moritur antequam eius sanguis effundatur: at omnes codices Græci, & Latini consentiunt, & habent, à suffocato, & sanguine. certè Genes. 9. Leuit. 17. & Deuteron. 12. ex quibus locis hæc desumpta sunt, videtur solum vnum præceptum constitui, quo prohibentur Hebræi esu animalis ante sanguinem effusum extincti. Nam in Genesi dicitur: *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis: & in Leuitico: (Anima carnis in sanguine est) quasi dicat, Vita, aut spiritus vitalis animalium est in sanguine, hoc est, sanguine nutritur, & conseruatur. Nec ratione efficaci cogimur dicere, illud, à suffocato esse additum à Græcis, non positum ab Apostolis. Vnde dicere possumus, in eo, quod dictum est in Concilio Apostolorum à sanguine, & suffocato, tantum vnum præceptum dari. Nam particula, &, in sacris literis, Hebræorum more plurimque sumitur pro particula, id est, explicante quod præcessit, vt sententia sit, à sanguine, id est, ab esu animalis suffocati. Quinto obijcitur, quod habetur, cap. Parochianos, & cap. tua 1. & 2. de decimis, & cap. reuertimini 16. quest. 1. in quibus locis planè dicitur, decimam fructuum partem iure diuino deberi, & id in his capitibus apertè docent Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Archidiaconus, Ancharanus, Abbas, Butrius, Francus, & Glossa; & tamen alicubi locorum, decima demore non soluitur. Respondeo, in veteri Hebræorum populo decimam diuino præcepto Iudeos soluere consueuisse: ac licet iuris naturalis sit, vt ministris Ecclesie stipendia iusta, & debita reddantur, quibus possint conuenienter alii, atque sustentari; iuris tamen naturalis non est, sed tantummodo Ecclesiastici, vt certa, & definita pars fructuum, nimirum decima persoluetur, quod docuerunt S. Thom. 2. 2. q. 87. ar. 1. & Henri. quodl. 4. q. 28. & Sot. lib. de iust. 9. q. 4. ar. 1. Quare licet consuetudine effici non possit, quin debita ministris Ecclesie alimenta præbeantur, nisi ipsi de suo iure cedant: at verò vsu introduci potest, ne decima fructuum portio reddatur: cum aliudè ministri Ecclesie commodè sustentantur, vt alio in loco tractabo. Nam quanquam Innoc. Hostien. Archidia. Ioan. Andr. Ancha. Abbas, Francus, Butrius, & Glossa, Theologos in hac parte reprehendunt, quod sentiant decimam fructuum partem non diuino, sed canonico iure deberi, sufficit tamen contra eos vnus S. Thomæ pro Theologis auctoritas, vt in proprio loco docebo.*

Tertio Queritur, Quam vim habeat consuetudo, vt loco constitutionis humanæ, & scripturæ legis habeatur? Respondeo, quadruplicem habere vim interpretandi legem scriptam: nam consuetudo, vt dicitur in l. Si de interpretatione. ff. de legibus, & in cap. Cum dilectus, de consuetudine, est optima legum interpret. Secundo, habet vim corroborandi, & confirmandi legem: quod enim lex imperat, consuetudo pariter aliquando muniat, atque corroborat. Et hæc vtraque consuetudo dicitur secundum legem. Tertio, habet vim introducendi legem, vbi lex non est: & tunc huiusmodi consuetudo dicitur esse præter legem, & ius, nõ contra. Quarto, habet consuetudo vim corrigendi

legem.

Gen. 9.
Leuit. 17.

legem, & abrogandi, derogandi que auctoritatem eius, id est, in totum abolendi, vel ex parte tollendi legem vsu receptam, & hæc dicitur esse contra legem.

Quarto Queritur, An consuetudo contra ius gentium inducta valeat? **Respondeo**, cum **Rochus** in tract. de consuetud. in folio paruo. 46. columna 3. non valere; quoniam ius gentium est naturale. Unde non habet vim, & auctoritatem consuetudo, quæ alicubi est, ne pretium soluat ijs, qui priuantur vinea, vel agro suo, vel domo, vt via publica fiat, vel muniatur, vel reficiatur, vel renouetur. Sic **Rochus**, **Quamquam** Glossa in l. si locus, ff. quemadmodum seruiti, amii. videtur consuetudinem prædictam approbare. **Item**, consuetudo, qua principes ciuibus suis pecunias auferunt, vt bellum gerant, quamuis alioqui iustum, vel ob aliquam publicam causam, & eas nunquam restituant, corruptela est: **Rochus** loco citato. **Valer** tamen consuetudo, qua Respublica, vel Princeps ob publicam causam cogit ciuem vendere rem suam, videlicet domum, vel agrum. **Item**, qua tempore famis, siue penurix, cogit mutuo dare frumentum, vt seminetur. **Item**, qua vnus cogitur pro alio pecuniarum debitum soluere, vel qua vnus pro alio punitur pecuniaria pœna: **Rochus** ibidem. **Secus** tamen est de consuetudine, qua vnus punitur pro crimine alterius pœna capitis, ac si fideiussor esset in causa criminali, vt in ciuili.

Quinto Queritur, An rationabilis debeat esse consuetudo, vt legem vsu receptam possit iure abrogare? **Respondeo**, cum omnibus Canonici, & Ciuilibus iuris Doctoribus, Consuetudinem debere esse rationabilem: nam in c. Cum tanto, de consuetu. dicitur, eam oportere esse rationabilem & legitime præscriptam. **Sed** merito aliquis queret, quænam consuetudo dicatur esse rationabilis? **Respondeo** Glossa, eo capite, eam esse rationabilem, quam Canones, leges, iura non damnant, & improbant. **Sed** hanc regulam **Abbas** in cap. vlt. de consuetud. non omnino approbat: quoniam multæ consuetudines receptæ sunt contra canones, leges, & iura. **Aliam** regulam Glossa constituit: eam consuetudinem esse rationabilem, quæ non est Canonici instituta inimica, & aduersa. **Sed** hanc quoque regulam rejicit **Abbas**, quoniam multæ sunt consuetudines contra Canones introductæ. **Tertiam** regulam addit Glossa, eam esse rationabilem, quæ neruum Ecclesiasticæ disciplinæ non impedit, tollit, aut minuit, nec derogat Ecclesiasticæ libertati. **Cæterum** aliquæ sunt consuetudines receptæ contra hanc Glossæ regulam. **Hæc** tres Regulas Glossa colligit ex multis iuris Canonici decretis, in quibus aperte pronuntiat. **Nihilominus** tamen **Abbas**, & multi alij Doctores Canonici iuris interpretes in cap. vlt. de consuet. respondet id esse arbitrio Iudicis relinquendum.

Mihi tamen videtur ea consuetudo esse rationabilis, quæ est sine peccato: **Quæ** verò est contra ius diuinum, vel naturale, vel gentium, ea dicitur esse corruptela, & proinde rationabilis non est. **Ea** item, quæ est contra legem, vel canonem à tota Republica, vel maiori parte receptum, dicitur esse corruptela, & præter rationem. **Alia** verò quælibet non dicitur corruptela, sed potius consuetudo rationabilis.

Sexto Queritur, Quantum temporis requiratur, vt consuetudo sit contra legem quasi præscripta, vt vocatur? **Respondeo**, cum Glossa, & **Abbate**, **Felino**, **Rocho**, **Siluestro**, **Nauiro**, & alijs doctoribus, Glossa quidem in cap. vlt. de consuet. ver. legimus **Abbat** vero eodem cap. num. 11. quando consuetudo est contra ius canonicum, quadraginta annorum spatium requirit, & postulat: & in hoc casu, quando consuetudo est contra ius canonicum, necessaria est præscriptio, quoniam consuetudo est contra ius. **Ergo** vt iuri deroget, requiritur præscriptio: ac proinde in hoc casu consuetudo dicitur præscripta cap. vlt. de consuetud. & cap. non est, de consuetud. in 6. Sic etiam **Siluestro**, consuetudo. q. 4. **Nauiro**, de consuet. consi. 1. **Rochus** in cap. vlt. de consuet. **Felino** cap. 1. de ireu. & pace. num. 11. & 13. **Si** verò consuetudo sit contra ius ciuile, deposcit longi temporis spatium. **Longum** autem tempus in iure ciuili est decennium: & proinde ad hoc, vt consuetudo contra legem ciuilem introducta vim, & auctoritatem habeat, necessarium est, & sufficit decennium: quia decennium in iure ciuili ad præscriptionem, longum tempus censetur l. vlt. c. de præscript. long. tempor. & ita sensisse **Bartholomæum**, & **Cyrum**, ait **Abbas** loco citato. **Sic** etiam **Siluestro**, consuetudo. q. 4. §. secundo requiritur. **Felino** c. 1. de ireu. & pace num. 11. & 13. **Quæres**, an ad consuetudinem quasi præscriptam contra legem, opus sit, vt ipsa consuetudo introduci cum titulo incipiat? **Respondeo**, titulum non requiri, sed quasi titulum, quoniam omnis præscriptio legitima titulum postulat, ac consuetudo non titulum, sed quasi titulum requirit, & postulat. **Ex** quo efficitur, vt à primis, qui contra legem vsu receptam, consuetudinem inducere incipiunt, præscriptionis tempus computari nequeat: quoniam ij primi contra legem facientes delinquent: Titulus autem, vel quasi titulus iustus esse non potest, nisi omni culpa, & peccato vacet. **Tempus** itaque præscriptionis incipit numerari ab ijs, qui sine peccato incipiunt facere contra legem; hi autem sunt, qui primis succedunt. **Non** enim si primi, legi non obtemperantes peccarunt, consequens est, vt delinquant, qui successerunt: ij enim priorum exemplum secuti, bona fide legem non seruant: sed debent existimare priores peccasse, nisi euidenter constiterit eos legi non obtemperando deliquisse. **Et** tunc quando tempus præscriptionis contra legem incipit computari, incipit quoque consuetudo esse rationabilis, quia est cum bona fide, & iusta causa, & proinde est etiam consuetudo contra legem sine peccato. **Hæc** omnia **Siluestro**, consuetudo q. 7. ex **Abbate** c. 1. de ireu. & pace. Sic etiam **Felino**, eodem cap. 1. de ireu. & pace. num. 13. & **Rochus** ait esse communem sententiam. **Animaduertendum** est toto tempore, quo aduersus legem quasi præscribitur, esse ius, & auctoritatem penes Principem, compellendi populum sibi subiectum ad ipsius legis obseruationem, tametsi populus legem non seruans minime delinquat. **Vnde** iure potest ministros constituere, qui iustis, ac debitis pœnis in populum contra legem facientem animaduertant. **At** enim **queres**, quo iure possit Princeps populares abiq; peccato legem non seruantes punire? **Respondeo** interim, dum consuetudo cõtra legem inducitur,

subest

subest tacita conditio inter Principem, & populum, ut ij, qui contra legem faciunt, plecti queant, si deprehendantur: elapso verò legitime præscriptionis tempore, Princeps nequit populum punire, quòd legem non seruet, quia per consuetudinem quasi præscriptam, lex est abrogata, licet denuò possit à Principe sanciri. Deinde obijciat: Illud nequit esse iustum ex vtraque parte: ergo si Populus contra legem faciens tempore, quo contra ipsam quasi præscribitur, non peccat, cum suo iure utatur, & ex altera parte Princeps iure punit ciues legi non obtemperantes: populus, & Princeps secum iuste pugnant, & sibi inimicè obijciunt? Respondeo, dum contra legem quasi præscribitur, ex parte vim amittere, & ex parte retinere: nam desinit habere vim obligandi, ita ut, qui eam non seruat, non sit culpeus: habet tamen vim obligandi, ita ut, qui ei non parat, iure compellatur ad poenam sustinendam, eo quòd incipiente tempore præscriptionis contra legem, incipit lex ad interitum tendere, & res dum incipiunt interire, incipiunt quoque vim, & firmamentum amittere. Populus itaque contra legem faciens, tamen non peccet, obijci tamen se periculo poenæ lege sancitæ, si deprehendatur: Princeps verò iure punit, quia nondum est cõsuetudo contra legem præscripta, & metu poenæ potest Populum in officio, & legis obseruatione continere. Quod si post inceperit præscriptionis tempus Populus à perfringenda lege destiterit, ita ut eam iterum seruet, præscriptio ipsa interruptitur, adeò, ut sit necessarium ad præscriptionem, tempus ipsius iterum incipere, quoniam præscriptio interrupta nullius est momenti.

Septimò Queritur, An ius ciuile requirat consuetudinem præscriptam, ut vim, & auctoritatem contra legem habeat. Abbas in cap. vi. de consuet. censet ius canonicum consuetudinem præscriptam requirere, non ius ciuile: & ita docent Petrus, Angelus, Cynum sequuti, quia præscriptio dat ius contra eam, quòd dominium habet: sed consuetudo est ius aliquid constitutus. At Rochus in suo tract. de consuet. in c. vi. de consuet. §. Gloss. su. Abbatis sententiam non probat, ait enim ex Bart. & Bald. senten. in iur. ciu. etiam esse necessariam præscriptionem ad cõsuetudinem, ut vim habeat. Sed certè questio est nominis, non rei: nam ius ciuile, licet cõsuetudinem nunquam dicat præscriptam, & ius canonicum præscriptam appellet, nihilominus ius ciuile vocat consuetudinem diuturnam, longæuam, tenaciter obseruatam, constat ex l. diuturna, ex l. sed ea que. l. si de interpretatione. l. de quibus. ff. de legib. & in l. vi. l. 2. c. l. i. c. que sit longa consuet. ac consuetudo longa eadem est, que in iure canonico præscripta appellatur, hoc est, cursu temporis inducta, & vim, & auctoritatem habens.

Octauò Queritur, quoniam sint necessaria, ut consuetudo contra ius siue contra legem recepta, valeat iure præscriptionis? Respondeo, præter ea, quæ paulò ante diximus requiri, ut cõsuetudo ex certa scientia, non per errorem, & ignorantiam inducatur, hoc est, ut qui incipiunt legem negligere, scienter id faciant, non errore, & ignorantia moti, quoniam actus ex quibus con-

suetudo inducitur, debent esse voluntarij. Voluntarium autem cum errore, & ignorantia esse non potest. Glossa, & Abbas loci proxime citati Sila. consuetudo, q. 4. versicu. Quinto requiritur. Secundò, ut consuetudo inducatur ab ijs, qui sunt iure habiles, & idonei ad introducendum: nec enim pueri, amentes, peregrini, & externi consuetudinem inducere queunt. Item, quado lege solùm viri tenentur, foemina contra legem facitares nequeunt consuetudinem inducere. Pari modo, si constitutio solùm Clericos liget, ac teneat, ex actibus laicorù non trahitur consuetudo, ex quo fit, ut quando res non est iure talis, in quam leges, & iura præscriptionis cadere queant, consuetudo contra legem etiam per mille annos continuata non valeat, quia præscriptio in ea re locum non habet. Explicabo rem. Laici nunquam possunt consuetudinem inducere, qua aliquod ius spirituale siue ecclesiasticum sibi vendicent, ut docet Abbas cum communi consensu cap. vi. de consuetu. nu. 15. neque enim per vllam consuetudinem etiam longissimam possunt acquirere ius excommunicatione, vel anathemate aliquem ferendi, remouendi ab officio, vel Beneficio, interdicendi sacris, eligendi, creandiue ministros Ecclesiæ, beneficia conferendi, exigendi decimam, vel pensionem ex beneficio Ecclesiastico, absoluedi à censuris, & poenis Ecclesiasticis. Ita presbyter simplex nequit vlla consuetudine sibi acquirere id, quod est proprium solius ordinis Pontificij; nam non potest consuetudine induci, ut sit ordinarius minister eorum sacramentorum, quæ sunt propria Episcoporum, qualia sunt sacramentum confirmationis, vel ordinis; sicut nec Diaconus potest vsu sibi vendicare ea, quæ sunt propria ordinis sacerdotij. Tertiò requiritur, ut tradidit similiter Glossa. eod. cap. & Abbas ibid. nu. 8. ut tota communitas, vel maior pars consuetudinem inducat: neque enim potest à sola minori populi parte consuetudo introduci.

Nonò Queritur, An cõsuetudo, quæ inducitur non contra legem vsu recepta, sed præter legem, vel canonem, debeat esse quasi præscripta, ut vim habeat? Respondeo, ex Glossa, in c. vi. de consuet. verb. legitime. Felin. eo. ca. & tit. & c. 1. de treu. & pace. nu. 12. & 13. non debere. Plurimùm enim interest, an consuetudo contra legem recepta inducatur, an verò præter legem. Nam quæ contra legem inducitur, eam non abrogat, donec sit legitimo tempore quasi præscripta: at verò quæ præter legem inducitur, quasi præscriptione non indiget: quia lex non est, contra quam sit opus præscriptione, consuetudo enim præter legem inducta ea vocatur, quæ moribus vrentium inducitur, vbi lex nulla est, quæ contrarium imperet, aut veter. Quæres, an eiusmodi consuetudo vim legis habere queat, nisi fuerit vrentium moribus approbata. Respondeo, non posse, & proinde debet induci scienter & animo, ac voluntate obligandi; & ab his, qui possunt legem ponere, nimirum à populo, cuius etiam est præter Principem statuta condere. Debet autem cõsuetudo per eos populares induci, qui possunt quippiã statuto decernere: nõ enim potest induci à pueris, amentibus vel externis. Item, debet vel à toto populo, vel à maiori eius parte introduci. Deindè, scribitabere, quantũ temporis necessariũ

fit, vt

fit, vt consuetudo præter legem inducta vim legis accipiat? **Respondeo**, quando consuetudo est præter ius siue Civile, siue Canonicum, teste Abbate, c. *vt. de consue. num. 11. ex Glossa. in c. vlti. de consue. in 6. c. in c. consuetudo. d. 12. teste etiam Felino c. supra citato*, requiri, & sufficere decennium, quoniam longum id tempus reputatur: dummodo tamen in eo decennio actus ex quibus consuetudo inducitur, frequenter repetantur, populo id videntem: nam eo ipso, expressè, vel tacitè populus creditur consentire. Si roges, an huiusmodi consuetudo, ex vno tantum actu gigni possit. **Respondeo**, cum Syluestro verbo *consuetudo. q. 4. non posse*, quia consuetudo fit ex actibus identidem repetitis: nec dici potest populi consensus adesse in vno, aut duobus actibus tantum, quoniam fortè per errorem, vel ob causam vitandam alterius mali, populus vnum, aut alterum actum contra ius permittit impenitè nisi quando vnus actus, ita continuatur ad longum tempus, vt perinde sit, ac si multi actus toto eo tempore replicarentur. V. G. confertur beneficium regulare clerico regulari, & ab eo annis quadraginta possidetur: consuetudo inducitur, & beneficium seculare fit regulare, & contra, c. *cum de beneficio. de præb. in 6. Pari ratione, sit pons publicus, aut molendinum, & durat ad longum tempus: gignitur consuetudo. Syl. loco citato sequens Abbatem. Ex dictis colligitur consuetudine optandi præbendas in aliqua Ecclesia decem annorum spatio induci, vt ait Rochus. Item consuetudo de oblationibus faciendis inducitur decennio. Abb. c. *suam. de simon. Denique, an & in qua re consuetudo ex vno actu possit induci, laicè tractat Rochus in tract. de consuetu. §. Glossa finalis, in septimo requisito ad consuetudinem.**

Decimò Queritur, An quædo lex expressis verbis consuetudinem improbat, & damnat, videatur improbare tantum præteritam, an etiam futuram: quod est querere, An per legem, quæ consuetudinem tollit, sublata censetur præterita tantum consuetudo, an etiam futura, hoc est, An consuetudo valeat contra legem expressim ei derogantem, ita vt denuò induci queat: licet fuerit per legem damnata, ac sublata. **Hanc** questionem tractat Couarr. lib. 3. *var. resolut. c. 13. num. 3. c. 4. & Rochus Curtius super c. vlti. de consuetudi. in paruo fol. 52. colum. 4. Dux sunt opiniones, prima est communi consensu iurisperitorum recepta, quam sequitur Sotus. lib. 1. de iust. & iure. q. 7. a. 2. putans eiusmodi lege etiam consuetudinem futuram, & non solum præteritam tolli: quod probat, quia consuetudo contra legem, vim non habet nisi consensu Principis expresso, vel tacito: sed quando lex expressim tollit, damnat, aut improbat consuetudinem contrariam, vt si dicat, nihil obstante consuetudine contraria, expressus est Principis consensus, ne consuetudo vim habeat. ergo lex non solum præteritam consuetudinem, sed futuram etiam abrogat. **Hoc** idem tradiderunt Bartolus, Ioan. Andreas, Antonius Butrius, Ioannes Lignanus, Decius, Felinus, Alexander Imola, Paulus Leazarus citati à Couarru. lib. 3. *variar. resolut. c. 13. num. 3. c. 4. Quod probant, quia lex eiusmodi semper loquitur, l. Ariani. c. de Hæresi. ergo semper consuetudinem damnat, vel improbat. Secunda opinio**

docet, denuò posse consuetudinem induci, quamuis sit per legem semel sublata, & extincta: quia potest ex noua causa verosimiliter non cogitari, aut ex antiqua non cognita, cum lex ferebatur, introduci. Sic Couarru. in loco citato, qui citat Abbatem, Glossam, Gemianum, vtrunque Cardinalem, Ioannem Imolam, Petrum Ancharanum, Baldum, Romanum, Iafonem, Rochum, approbantes Glossam in Clem. statum, de elect. verb. *consuetudine*. Id dupliciter probant, Primò ex cap. *Si Episcopus, De parisi. c. veniit. in 6. vbi dicitur nulla consuetudine posse induci, vt quis sine sui superioris consensu eligat sibi confessarium, qui ipsum à peccatis absoluat, & tamen ante Concilium Tridentinum, simplices presbyteri sibi inuicem peccata confitebantur, à quibus absoluebantur. Deinde, verba legis, quibus dicitur: Non obstante contraria consuetudine, non habent maiorem vim, quam ius scriptum: sed contra ius scriptum potest consuetudo introduci, ergo etiam si ea verba in lege ponantur: Non obstante consuetudine contraria, potest lex ipsa abrogari, ita vt consuetudo in posterum contra legem possit induci. Mihi itaque videtur dicendum; si lex consuetudinem damnat tanquam iniquam, malam, vel cum iure diuino, aut cum ratione pugnantem, aut à bonis moribus dissidentem, quamlibet consuetudinem, & præteritam, & futuram damnat: quoniam eam consuetudinem eo ipso, quòd vocat iniquam, & contra bonos mores, insinuat esse contra ius gentium, Naturale, vel Diuinum, & propterea, tum præteritam, tum futuram consuetudinem damnat, & abolet. Si verò lex solum consuetudinem tollat verbis generatim, aut simpliciter propositis, nimirum, *Non obstante contraria, vel quacunque consuetudine, vel. Nullo modo contrarium fiat, aut valeat, vel contrarium sit irritum & inane, aut speciatim, nihil obstante hac, aut illa consuetudine, ita tunc consuetudo aufertur, & abrogatur, vt possit denuò contra legem induci: & hoc est, quod secunda sententia tradidit, quoniam fieri potest, vt quod certo quodam tempore, tanquam malum lege prohibetur, progressu temporis mutatis rerum causis, & euentis desinat esse malum. Item, quauis lex consuetudinem tollat simpliciter aut improbet, vel dānet, potest tamen contraria consuetudine antiquari, quoniam cum lex sit tantum ius scriptum, potest vsu, & more recepto tolli: licet expressè, & absolute lege ipsa vetetur, ne contraria consuetudo vllius sit momenti, aut ne constitutio more contrario abrogetur.**

Caput XVIII.

Quædam aliæ questiones de Consuetudine diluuntur.

Primò Queritur, quænam consuetudo dicatur esse secundum legem? **Respondeo**, eam duobus modis dici, primò, quia legem ipsam interpretatur, & declarat. Secundo, quia ipsam confirmat. Consuetudo enim, quando est secundum legem, binas vires habet, vt docet ex Bartolo, & Baldo, Abbas, in cap. *vlti. de consue. num. 28. videlicet legem interpretandi, cap. Cum dilectus, de Consuetudine, c. in l. Si de interpretatione, c. l. Minimè. ff. de legibus. & confirmandi legem, cap. Sopite, de censibus, vbi in consue-*

ordine dicitur adinuari, sæpè enim in medium pro-
ducitur lex, & consuetudo.

Secundo queritur, An quando consuetudo, &
vltus confirmat idem, quod constitutio decernit,
abrogata constitutione, sublata quoque consue-
tudo censetur? Respondeo, ex Gloss. in c. 1. de con-
suet. in 6. Abb. in c. vlt. de consue. nu. 21. quod supra iam
dixi, Quandounque ius comune abrogatur, tol-
li pariter statutum, vel consuetudinem, quæ ius
illud commune cõtinebat, & qua ob frequentem
ventium morem confirmabatur; nec est neces-
se, specialem fieri mentionem statuti, vel consue-
tudinis: vt supra indicauit.

Tertio queritur, An Consuetudo legem præ-
cedentem generaliter abroget, an specialiter? Re-
spondeo, cum Glossa in c. 1. de consue. in 6. Abb. in c. vlt. de
consue. nu. 24. si consuetudo generalis sit, hoc est, v-
biq; introducta, tollit generatim legem præce-
dentem; si verò consuetudo sit specialis, abrogat
specialiter eo loco, vbi viget consuetudo.

Quarto queritur, An quando consuetudo præ-
cedit, per legem sequentem tollatur? hanc qua-
stionem supra tractauit, ad quam in præsentia bre-
uiter etiam respondeo, Bartol. in l. de quibus, ff. de le-
gibus, docet, Consuetudinem in vniuersum per le-
gem sequentem aboleri, quod probat ex lege, Pre-
terit ut ff. de sepulchra, violato, atq; Pontificij iuris Do-
ctores contrarium docere in cap. 1. de Constitutionib.
in 6. Sed verius est, quod tradit Abb. in c. vlt. de con-
suet. nu. 24. cõsuetudinem priorem, si generalis sit,
per legem sequentem tolli: non tamen eam abo-
leri, quæ est specialis, quæq; in certo loco viget,
nisi fiat eius specialis mētio, hoc enim apertè de-
cernitur in c. 1. de Constitutionibus in 6. Vbi etiam ra-
tio redditur, cur speciales consuetudines, & sta-
tuta locorum per legem generalem sequentem
nō abrogentur; quia Romanus Pontifex, vel Prin-
ceps, speciales locorum consuetudines, & statu-
ta ignorare probabiliter creditur. Vnde meritò
deducit Abbas: si ciuitas certi aliquid statuat cõ-
tra suam consuetudinem, & morem, eo ipso, eam
consuetudinem tollit, quamuis nihil eius memi-
nerit: ciues enim minimè probabiliter suas con-
suetudines nescire creduntur.

Quinto queritur, An in ijs, quæ spontè, & vltro
geruntur, consuetudo inducatur vim habens li-
gandi conscientiam? Respondeo ex Ange, consuetu-
do q. 20. Sylu. consuetudo 24. ex Bartol. Cyno. Inno. Ioan.
Andr. Abbate, & alijs: quos citat Syluester. minimè: at-
que hæc est cõstans Canonici, & Ciuilibus iuris Do-
ctorū opinio. Vnde si quis alteri liberaliter quip-
piã donet, quamuis per multos annos donet, con-
suetudo non inducitur, qua ei obligetur: vt, si ru-
sticus per decennium par gallinarum obtulit li-
beraliter Principi quotannis, nunquam Princeps
ius acquirit ab eo id exigendi, & potest rusticus,
quandounque voluerit, voluntate mutata Prin-
cipi nihil offerre. Ita etiam, si diues diu quotan-
nis certam aliquam elemosynam in vltus Cano-
nicorum, vel Religiosorum certi collegij sponte
sua gratis, & liberaliter erogat, potest arbitrari-
suo ab ea largienda desistere, nec Canonici, aut
Religiosi possunt vi consuetudinis eam eleemo-
synam postulare. Ex quo deducunt Doctores, si
quis frequenter quidem, sponte tamen sua, ac vo-
luntate soleat ire ad certum molendinum, vel ad

certam cuiuspiam officinam emendi gratia, eum
vi consuetudinis non compelli ad frequentandū,
quamuis eò millies isset. Vnde cõsiderandum est,
quod annotauit Sor. lib. 1. de iusti. q. 7. art. 2. quando-
cunque populus, vel ciuitas certa ieiunia iuscipe-
re, & seruare solet, aut dies certos religiose co-
lere, an ea obseruet pietatis studio, & affectu spõ-
taneo, & voluntario: nam ex eiusmodi obserua-
tione quamuis sæpius repetita nequaquã vis vlla
legis existit, ac surgit: at si ea obseruet animo, &
voluntate cõsuetudinem inducendi, tunc vi con-
suetudinis, tanquam lege populus, ac ciuitas ten-
entur. Quæres, qua ratione discerni queat con-
suetudo ab eo, quod sponte, & liberaliter fieri so-
let? Respondeo, quandoq; populus, aut ciui-
tas dies festos vlt, & more colit, & obseruat, si id
vlt recepto à maioribus seruet, consuetudo vim
legis habens censetur. Idem quoq; iuris est, si ita
ex more seruet, vt eius consuetudinis memoria
non extet, quãdonã ea introduci cõperit. Item,
si ambiguum sit, cõsuetudine necne res obseruet-
tur, tutius est eligendum; & proindè existiman-
dum est, eam esse consuetudinem legis vim, & ra-
tionem habentem. Quando verò certò, aut vero-
similiter constiterit, dies festos celebrari; aut iei-
unia suscipi, & coli voluntariè, pio duntaxat, &
religioso affectu, non est consuetudo pro lege ha-
benda. Ex his omnibus perspicitur, si peregrinus,
vel alius è longinquo veniens frequenter hospiti-
o ab aliquo viro, cerro in loco excipiatur, eum
non acquirere ius, quo sibi hospitium debeat,
quia semper excipitur iure hospitalitatis, & cha-
ritatis, & proindè consuetudo vim legis habens
nequaquam inducitur. Annotandum tamen est, a-
liquando cõsuetudine ius acquiritur in ijs, quæ sunt
liberæ facultatis. Nam vt docet Abbas, loco citato apud
Syluestrum indigenæ, & incolæ, qui in vno oppido
commorantur, consuetudine possunt ius acquire-
re ligna cadendi, lapides effodiendi, animalia pas-
cendi, piscandi, venandi in prædijs, & agris, & flu-
uio alterius populi, vel ciuitatis, dummodo con-
suetudo non sit per vim inducã, vt colligitur ex l.
Venditor. ff. Si constat. ff. communia prædiorum.

Sexto queritur, An quando consuetudo cõtra
legem inducitur, vim, & auctoritatem habeat sta-
tim post decennium, si sciente Principe, & tole-
rante inducã sit per decennium: hanc quaestionè
tractauit Felinus, & postea Rochus, in qua duæ
sunt opiniones, prima docet vniuersim omnem
consuetudinem contra legem, vel canonè venien-
tem valere, si sciente Principe, & impune permit-
tente per decennium fuerit introducã: quoniam
eo ipso, quo princeps scit, & impune permittit,
creditur ius ipsum relaxare. Sic Antonius, Philo. Cor-
nens, Oldradus, quos citat Rosinus in suo tract. de consuetudi-
ne, ff. Glossa finalis. Sed Abb. in c. vlt. de consue. hanc sen-
tentiam improbat, quia nullo iure fulcitur, & quia
multa per patientiam tolerantur, in quibus con-
sensus deficit. c. cum iam dudum ad finem. de præb. Secũ-
da opinio censet generatim nullam consuetudi-
nem cõtra canonem valere ante quadraginta an-
norum spatium, & cõtra legem ante decennium,
etiam sciente, & patiente Principe, nisi eam ex-
pressum approbet, ita vt ius ipsum relaxet. Sic Abb.
Felin. & communis opinio, vt testatur Rochus, de consue. ff.
Gloss. fin. in 2. requisit. post quest. 2. vers. 3. limita.

Septimò queritur, An quando cōsuetudo contra canonem, vel legē est induc̄ta, valeat, si ignorante principe fuerit introducta: hoc est, an ut vim, & auctoritatem contra ius cōmune habeat, necesse sit, vt sciēte principe, vel eo, qui ius cōdere potest, induc̄ta sit, Gloss. in c. vii. de consue. ver. legitime, inter alia, quæ requirit ad consuetudinem, quartum est, vt inducatur sciente principe, vel eo qui potest ius condere, sic etiam alia Gloss. in c. Frustra. dist. 8. Oldra. conf. 237. Sed oppositum sentit, ac docet Abbas, Antonius, Alex. Barba. Philip. Corneus, quos citat, & sequitur Rochus, in suo tracta. de consue. §. Glossa finalis. §. quartum requisitum, & ait, hanc esse communem sententiam. Et hæc est vera: quia sufficit generalis principis cōsentus, quo tacite vult, vt vim habeat consuetudo, si fuerit rationabilis, & legitime præscripta. Nam in c. vii. de consue. hæc duo necessaria esse dicuntur, & nihil aliud præterea: & huic iuri Princeps consentire debet.

Octauò queritur, An sint al. quæ leges vel canones contra quos consuetudo nō valeat, nisi sciente, & patiente principe. Duas opiniones inuenio. Vna docet, quatuor esse, in quibus consuetudo induci non potest, ita vt vim habeat, nisi principi nota sit, & ab eo permilla. Primum est, quando consuetudo introducitur in ijs, quæ sacramentalia dicuntur iure communi constituta. Vnde non valet consuetudo ignorante Romano Pontifice, qua secūdis nuptijs benedictio nuptialis adhibetur, etiam si vir ducat puellam virginem. Item, non valet consuetudo nisi Roman. Pontifice sciente, qua puellæ corruptæ, cum religionē profitentur, sacrantur. Secundum est, non valet consuetudo nisi sciente Principe quando inducitur in ijs, quæ sunt principi, iure communi referuata. Tertium, quando inducitur contra ius, quod iubet aliquid, quod est utilitate publicum. Quartum, quando introducitur contra legem, vel canonem expressim cōsuetudinem improbantem: & hæc est communis opinio doctorum, vt testatur Rochus, loco supra citato, vbi in singulis his quatuor, citat multos auctores, tum iuris Canonici, tum civilis. Cæterum altera opinio docet, vniuersim nunquam requiri ad consuetudinem contra legem, vel canonem, scientiam, & patientiam principis, dummodo sit legitimo temporis cursu confirmata: videlicet, contra canonem, quadraginta annorum spatio: contra legem, decennio. Sic Rochus, & sic etiam Couar. de mar. p. 2. c. 6. §. 10. nu. 17. & probant, quia in c. vii. de consue. nihil aliud requiritur, nisi vt cōsuetudo sit rationabilis, & legitime præscripta, certè valde probabilis est hæc opinio: & magis mihi placet.

Ad argumentum verò contrarium, Respondeo, consuetudinis vim, & auctoritatem non ex sola populi voluntate proficisci, & pendere, sed ex tacito etiam principis consensu, non quidem eo, quem primæ opinionis auctores requirunt, nimirum vt consuetudinem contra legem princeps sciat, ac toleret, sed eo, qui semper adest in tacita conditione, qua leges feruntur ad populum, & promulgantur. Lex enim ea conditione fertur, vt si vsu recipiatur, vim habeat, & omnium conscientias obstringat, sin minus, neminem teneat. Similiter, cum lex est vsu recepta, adhuc tacita conditione pendet, vt nisi contraria consue-

tudine abrogeatur, vim suam retineat; sin minus, amittat.

Nonò queritur, An vt consuetudo præter legē introducatur, necessaria sit scientia principis? quod est querere, An ignorante principe, induci queat consuetudo præter legem: Ratio quæstionis est, quia lex non potest constitui sola voluntate populi principi subiecti, ergo nec consuetudo, quæ vim legis habet, à solo populo absque tacito principis consensu, qui eius requirit scientiam, introduci potest. Hoc argumento permoti alij quidam senserunt, ad huiusmodi consuetudinem requiri principis scientiam. Sed existimo dicendum, non requiri, vt princeps sciat, ac toleret consuetudinem, quoniam princeps profus ignorante potest consuetudo, quæ est præter legem gigni, & confirmari; nam iuris communis, & Civilis, & Canonici est, vt consuetudo præter ius in rempublicam inuecta vim legis acquirat, nec alicubi est iure decretum ad id necessariam esse scientiam, & patientiam principis. Ad obiectionem verò supra positam respondeo, populum, licet suam potestatem in principem transfulerit, posse tamen aliqua sine principe statuta condere, non quidem contra ius commune, vel legem principis, sed præter ius, & legem communem: & pari modo potest leges, & consuetudines inducere, quæ si sint contra ius commune, aut legem principis, eum tacitum consensum requirunt, quem quæstione præcedenti explicauimus. Si verò præter ius, & legem communem sint, nullum alium principis postulant consensum, nisi quod iure ipso, tum Civilium, tum Canonico introduci queant: & cursu temporis legitimo confirmata, siue ignorante, siue sciente principe, vim, & auctoritatem habent.

Decimò, An statutum vel Canon constitutus ipso iure, vel factō pœnam excommunicationis, vel suspensionis in eos, qui non paruertint, consuetudine abrogari queat? Quidam, vt testantur Syluest. verbo consuetudo. q. 1. & Angel. eo. verbo. q. 10. senserunt tolli non posse. Sed verus est, quod Abbas, Antonius, Innocentius in cap. 1. de regu. & pace, & Cardina. in prolo. Clem. Ange. & Syluest. tradiderunt; etiam abrogari posse; Canonem quidem, spatio quadraginta annorum: statutum verò, decennio. Ex quo fit, vt consuetudine præscripta contra facientes, nec Canonem, nec statutum violēt; nec vllam pœnam incurrant: ij verò, qui ante quàm sit præscripta consuetudo, ius non seruunt, sicut peccant, nisi bona fide aliunde excusentur, sic pœnam excommunicationis, vel suspensionis contrahunt, eo quod sit ipso iure lata, & constituta in eos, qui non obtemperant iuri. Sed dubia quæstionis est, an pœna huiusmodi excommunicationis, vel suspensionis ipso iure lata, consuetudine tolli queat, canone ipso, vel statuto non sublato per consuetudinem, sed adhuc suam vim, & auctoritatem retinente. Sunt tres opiniones: Prima docet, quando cūq; lex ipso facto, vel iure, pœnam constituit, consuetudine contraria minime tolli potest: quando verò lex pœnam continet, non ipso facto vel iure latam, sed à iudice ferendam, contraria consuetudine aboleri potest, sic quidam, vt refert Ioan. And. in ca. 1. de Treuga, & Pace, Quod probant ex eo, quod pœ-

na legis ipso facto, vel iure constituta contrahitur, sitim atque lex violatur: ergo si lex abrogata non sit, & poenam contineat ipso facto latam, consequens est, vt qui legem non seruat, eo ipso poenam incurrat. Secunda opinio distinguit: *Si lex (itaquit) lata sit in bonum priuatorum, poena non contrahitur, etiam ipso facto, vel iure sit lata: si vero lex condita sit in honorem, & cultum Dei, vel in communem Reipublice salutem, poena debetur, si ipso facto, vel iure sit constituta: non tamen si est à Iudice inferenda.* Sic Anton. cap. 1. de Treng. & Pace, quia lex lata in bonum priuatorum sicut tolli potest pacto, & renunciatione, vt doctores aiunt in l. de quibus ff. de legi. sic etiam potest consuetudine abrogari. Tertia opinio, absolute, & simpliciter docet vltu, & more posse poenam tolli, quamuis lex ipsa, quæ eam poenam imponit, non sit per consuetudinem abrogata, ita vt consuetudo tunc contra poenam vim habeat, contra legem non item. Ita Gloss. in c. cum muliere. 15. q. 8. Abb. Ioann. Andr. Innocent. Host. in c. 1. de Treng. & Pace, Syluest. consuetudo. q. 7. & q. 11. Angel. eo. verb. nu. 10. Hæc opinio est vera: quoniam sicut lex consuetudine abrogatur, sic etiã poena legis potest consuetudine auferri nõ sublata lege: potuit itidem lex recipi, non recepta poena. Ergo potest poena tolli lege ipsa non abrogata. Probat Glossa: quoniam lege Canonica constitutum est, vt filij Presbyterorũ ex sacrolegio procreati ipso facto sint Ecclesie serui, cui eorũ pater inseruit: & tamen quia Ecclesia non sic punire consuevit, ea poena filij Presbyterorum minimè afficiuntur. Ex quo fit, vt si Episcopus constitutionem sancierit, ne foemina certo quodam vestitus genere vtantur, alioqui ipso facto excommunicationis vinculo teneantur, eiusmodi poenam non contrahant foemina contra facientes, si non sit vltu recepta, aut si contraria consuetudine sublata sit constitutio. Sed est secundũ aliquos animaduertendum: quam documque canon, vel statutum præcipit aliquid, quod non erat alioqui vltu imperatum, aut prohibet, quod non erat alio iure communi interdictionum, & ipso facto, in eos qui non obtemperant, poenam excommunicationis constituit, poena contrahitur, quamdiu canon, vel statutum vim obligandi habet, & non seruatur; & hoc probat argumentum eorum, qui primam sententiam sequuntur, quoniam eo ipso, quod constitutio violatur, poena contrahitur, ac si constitutio per consuetudinem fuerit abrogata, nullam poenam incurrunt, qui contra faciunt: eo quod constitutio vim, & auctoritatem amittit, si tamen sine alia poena, quales sunt bonorum iactura, libertatis amissio, non contrahuntur ipso facto, nisi exigantur, quando vltu receptum est, vt etiam si constitutio vigeat, poena similes non debeantur, nisi peccantur. Ceterum alij generatim sentiunt, poenam, quæcunque sit illa, etiam excommunicationem aliquando per consuetudinem tolli, lege vel canone nõ abrogato, quoniam sicut initio potest lex, vel canon vltu recipi, non recepta poena, sic potest poena per consuetudinem contrariam tolli, non sublata lege. Quæres, quid dicendum, si constitutio ipso facto, vel iure excommunicationis poenam subijciat eos, qui eam nõ seruant, cum tamen lex lata sit de ijs, quæ alioqui iure Diuino, vel naturali sunt constituta, vt potest si lex poena

excommunicationis afficiat ipso facto fures, vel sacrilegos, vel adulteros, an fures incidant in eiusmodi poenam? Questionem mouet ratio à peccato sumpta: nam fures, adulteri, vel sacrilegi delinquant, eo quod consuetudo ius Diuinum vel naturale non abrogat, ergo, eo ipso, poenam excommunicationis incurrunt, siquidem eam, ipso facto, irrogat constitutio. Respondeo: sicut lege humana manente, potest poena, quæ non sit excommunicatio, consuetudine abrogari; ita etiam poena excommunicationis potest vltu, & more tolli, lege naturali, vel Diuina non sublata, constitutio enim, quæ irrogata poena excommunicationis furtum, sacrilegium, vel adulterium prohibet, potest permanere, vt est diuini, vel naturalis iuris, non tamen, vt est humani: ac proinde potest more, & vltu esse receptum, ne excommunicationi fures, sacrilegos, vel adulteros subijciat: quamuis consuetudo nihil impediat, quo minus furtum, adulterium, & sacrilegium sint diuino, vel naturali iure damnata. Et cum obijciatur: peccant fures, ergo in excommunicationem incurrunt. Respondeo, eos quidem peccare, ius naturale, vel diuinum perfringendo; non tamen recipiunt, vt excommunicationem contrahant, quam consuetudo sustulit, quia etiam ipsa constitutio, vt est humani iuris, per consuetudinem sublata censetur, eo ipso, quo excommunicatione non afficiuntur, qui contra faciunt. Ex his omnibus planè liquet, quid sit dicendum de ea constitutione à Paulo Secundo edita, quæ incipit, *Ambrosio, inter communes, de reb. Eccles. non alien. qua statutum est, ne res Ecclesiasticæ, vel fructus beneficiorum Ecclesiasticorum ultra triennium locentur, nisi in casibus iure concessis: alioqui grauissima poena, & censura irrogantur ijs, qui contra fecerint: de qua Pontificia lege variè auctores scripsere.* Breuiter tamen dicendum arbitror, eam constitutionem non esse vltu receptam; alicubi verò receptam quidem, sed ex aliqua parte duntaxat. In ea decernitur, ne vltra triennium locatio fiat: eiusmodi triennium alicubi vltu interpretatur, vt quando res talis est, vt non soleat singulis annis fructus reddere, sed secundo quoque anno, appellatione Triennij, intelligatur iex annorum spatium. Et quando res non nisi tertio quoque anno fructum facere solet, nomine Triennij accipiatur nouem annorum tempus. Porro sic consuetudo eam constitutionem interpretatur, quia mens Pontificia videtur fuisse, vt conductor frui tribus annis fructibus commodè queat. Item, eandem constitutionem vltu declarat, nequam intelligi de domibus, quas Ecclesia, vel Beneficiarij possident iure sui Beneficij, sed de prædijs, agris, & alijs possessionibus. Patet etiam, quid dicendum sit de alia constitutione Pontificia, quæ incipit, *Periculoso, de statu Regularium in 6. vbi præcipitur vt sacratè Deo foeminae clausuram seruent: quæ constitutio, quia non erat vltu recepta, renouata est in Concil. Tridentino sess. 25. cap. 5. & à Pio Quinto in alia constitutione edita, cuius initium est: *Cura pastoralis, & à Gregorio XIII. in ea, quæ incipit: Deo sacris: & tamen multis in locis sanctimonialia clausuram non seruant, prætextentes, eiusmodi constitutio-**

nes non esse more, & vsu receptas. De qua re suo loco dicemus.

Vndecimò quæritur, Quis possit consuetudinem introducere? Respondet, eos, qui possunt statuta condere: vnde pueri, amentes, & alij similes nequeunt consuetudinem inducere: nec foeminae in ijs, quæ sunt virorum. Nonnunquam tamè possunt consuetudinem introducere, etiam qui nequeunt statuta condere. Nam clerici cõtra canones possunt consuetudinem inducere, cum tamen nequeant statuta componere, vt dicam inferius. Sed dubia est quæstionis, quare clericorum consuetudines contra canones valeant, & non statuta, cum laicorum statuta vim etiã habere soleant contra leges suorum principum. Abbas. c. vltim. de consuetudine, respondet, quia leges civiles constitutæ sunt ob bonum cõmune, vel priuatum ciuium, & ideo principes voluerunt, vt possint ciues statuta condere contra leges, quoniam iure suo, & commodo cedere queunt; ac canones sunt instituti ad cultum, & honorem Dei, ad peccatum vitandum, ad conscientias hominum, & mentes dirigendas, quo iure clerici cedere nequeunt, & si contra canones statuta componant, censentur temeraria, & ambitiosa, vt Felin. in c. super his, de maior. & obe. & Alexand. in c. Frustr. d. 8. hanc rationem improbant: nã multi sunt canones constituti ad bonum cõmune, vel priuatum clericorũ, quales sunt canones de iudicijs, & licibus, & ideo Felinus, & Alexandrinus, & Rochus, in suo tract. de consue. s. Gloss. in. in secundo requisito. Respondent aliter, quia Princeps Ciuilis habet suam potestatem à populo: at Ecclesia habet proximè à Deo. Ceterũ, breuius respondeo, rationem esse, quia leges, & Principes voluerunt, vt ciues ac populi possent contra leges ipsas statuta condere, vt colligitur ex l. omnes populi. ff. de iust. & iure. At nusquam ius canonicum permittit, vt Clerici contra Canones statuta decernant, & ponant: & tamen concedit, vt clericorum consuetudines contra Canones vim, & auctoritatem habeant, hoc autem iura ipsa voluerunt, quia difficilius est, tot populos, quot esse solent in principum potestate, vna lege obligare, quàm clericos, & Ecclesias vno Canone tenere. Quæres an Canonicorum Collegium possit consuetudines inducere sine vllõ Episcopi consensu? Respondet, vt in c. Cum consuetudine, de consuetudine, aperte decernitur: Collegium Canonicorum nec posse consuetudines nouas inducere, nec veteres mutare sine Episcopi consensu, quod locũ habet in consuetudinibus, quæ in negocijs magnis, & arduis versantur, qualia sunt in ijs rebus quæ pertinet ad communem Ecclesie, cuius sunt Canonici, statum, vel ad ipsius Episcopi iura. In negocijs tamè exiguis, qualia sunt, quæ ad ipsum Collegiũ spectant, potest, quia in his etiã sine Episcopo solet quippiam statuto decernere, nimirum quando, quo loco, & quo modo debeant Canonici congregari, quo pacto quisque suffragium ferat, quo loco, & ordine sedere debeat, quemadmodũ distributiones quotidianæ sint diuidendæ. Abbas in c. Cum consuetudinis, de consuetudine, nu. 4. & Gloss. cap. 2. de Verbor. significat. in 6. & videtur colligi ex c. Edoceri, de Rescriptis, & ex l. Neque societas. s. Quibus autem. ff. Quod cuiusque vniuersitatis nomine, Præterea, Principe sciente & tacente, immò etiam ignorante, vt dixi supra, omnis ciuitas

populifac subiectus potest consuetudinem inducere, non solum præter, vel secundum, sed etiam contra ius promulgatum, & vsu receptum, immò contra legem explicitè consuetudini derogantem, & contra ius, quod tum auctoritate, tum utilitate est publicũ, & contra ea, quæ sunt ipsi Principi reserua: quoniam vt habet communis opinio, consuetudo, lex tacita appellatur: & lege siue iure scripto solum differt, quòd lex expresso Principis, aut populi consensu sancitur, consuetudo verò ex similibus actuum frequentè repetitione, & tacito principis, aut populi consensu existit, ac surgit; & ex cap. vlt. de consue. solum requiritur, vt sit rationabilis, & legitimo temporis cursu confirmata. Insuper, omnis ciuitas populifac nulli principi subiectus, sicut potest expresso consensu statuta condere, ac ponere, sic tacito potest quoque consuetudinem, siue secundum, siue præter, aut cõtra legem, & ius inducere. Tunc autem est tacitus populi consensus, quando similibus actuum frequentem replicationem populi aut ciuitatis maior pars nouit, ac tolerat. Item, regio, prouincia, ciuitas, vniuersitas principi subiecta possunt præter, & secundum ius, consuetudinem inducere in scio principis: immò etiam cõtra ius, & legem: quoniam etiam si contra legem principis, communitate ius, statuta condere nequeunt, vt nequeunt clerici contra Canones statuta decernere: nihilominus, sicut & Clerici contra Canones consuetudines introducant, sic possunt leges, & iura consuetudines inducere, propterea quòd & iure Ciuilis, & Canonico cõstitutum est, vt ius siue lex, siue Canon communis, more, & vsu abrogari, & tolli queat. Ad hæc, vniuersitas hominum communiter viuendum principis, vel Republicæ auctoritate approbata, siue Scholasticorum, siue Doctorum, siue mercatorum, & negociatorum, siue medicorum, siue artificum, vel opificum, potest non quidè contra ius & legem communem, sed præter, & secundum ius consuetudines inducere. Quo fit, vt inter Magistratus, & Iudices in iudicando soleat mos introduci, qui vocatur stylus; vt stylus Curie Romanæ, stylus Cellariæ. Differt tamen stylus à cõsuetudine, tanquam species, & pars à genere, & toto. Consuetudo enim vniuersè est ius non scriptum ex actibus similibus repetitis introductum; Stylus verò est ius nõ scriptum, ex actibus iudicialijs inductum, vt docet ex Bartolo, & Cyno Salycetus in l. Consuetudinis. c. que sit longa consuetudo.

Duodecimò quæritur, An consuetudo Laicorum liget Clericos? Respondet ex communi Ciuilis, & Canonici iuris interpretum sententia, non ligare. Ita Cynus, Abbas, Antonius Burius, Geminianus, & alij, & colligitur à contrario sensu ex cap. vltimo, de vita, & honestate Clericorum, ad suam, & ex cap. vltimo, de rebus Ecclesie non alienandis. Hoc autem intelligitur eo modo, quo paulò ante dixi: videlicet, statutis laicorum minimè Clericos teneri, in ijs nimirum, quæ libertati, immunitatiue Ecclesiasticæ nocent, vel incommo-dant, hoc enim est, quod in cap. vltimo, de rebus Ecclesie non alien. & in cap. vltimo, de vita, & honestate Clericorum, indicatur.

Decimotertio quæritur, An cõsuetudo teneat, ac liget externos, & peregrinos, non solum indi-

genas, & incolas? Respondeo, Consuetudinibus populi, vel ciuitatis externos non teneri. Ita omnes Ciuilibus, & Canonici iuris Doctores. Hoc autem intelligi debet eo modo, quo supra à nobis dictum est, externos esse liberos, & immunes à statutis, videlicet in hunc modum: Viatores ac ceteri iter facientes non tenentur consuetudinibus receptis in locis, per quæ transeunt, vel in quæ veniunt animo, & voluntate recedendi, non sibi commorandi. At verò ratione contractus, vel domicilij, vel rei in loco fixæ, aut ratione delicti commissi, externi conueniri, ac iudicari possunt iuxta speciales receptas in loco consuetudines; cum tamen alioqui coram iudice originis, aut domicilij cõueniri deberent. Hinc perspicitur quid sit in multis, de quibus dubitari solet, dicendum. Hispani, Galli, Poloni, & Germani veniunt in Italiam, contra Itali aliò extra Italiam se conferunt: singuli quamdiu extra patriam alibi commorantur, vel aliò se recipiunt voluntate commorandi in eo loco, tenentur consuetudinibus, in eo loco receptis, quales sunt ieiunij, abstinentiæ, diei festi colendi, & aliæ similes, & liberi sunt à consuetudinibus in patria vstitatis. At si extra patriam aliò se conferant non voluntate commorandi in eo loco, sed statim recedendi, vel illum transeundi, non ligantur consuetudinibus in eo loco receptis, quoniam nõ in eo loco commorantur, aut domicilium posuerunt. Hispani igitur vel terre stre iter facientes per Galliam, vel nauigantes, & ad Gallorum portus nauigij appulsi non tenentur moribus receptis in Gallia. Ceterum Græci, & orientales clerici, vel laici, quamuis inter Latinos commorentur, aut contra Latini inter Græcos, patrios mores obseruant, eo quòd Ecclesia id permittit, ne cogantur nouos mores addiscere, & veteres deponere, quod esset durum, & difficile, cum sint plurimum diuersi. Glossa in c. illa d. 12. verbo, veneris. c. c. que cõtra, d. 8. docet, viatores, cum in aliquem locum veniunt, teneri consuetudinibus in illo loco receptis, si ibi sint moraturi: fecus verò si confestim sint ex eo loco recessuri. Ambrosius in c. illa d. 12. sic ait: tu ad quamcumque sorte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi, & Augustinus in c. que contra, d. 8. dicit, pactum gentis, aut ciuitatis consuetudine, aut lege firmatum nulla cuius, aut peregrini libidine violatur. Sicille, Viatores igitur confestim profecturi, transitori, recessuriue non tenentur consuetudinibus receptis in loco, per quem transeunt, vel ad quem veniunt. Possunt tamen, & debent eas consuetudines seruari, ne alijs causam præbeant offensionis.

Decimoquarto queritur, An consuetudo liget subditos, qui extra territorium perperam faciunt. Respondeo, Minime: idem enim iuris est de consuetudinibus, quod de statutis: at statuta subditos, qui extra territorium delinquit, non tenent. est enim in cap. 1. animarum §. 2. De constitutionibus in 6. constitutum, ne, si Episcopus excommunicationis pœnam irroget omnibus furtum committentibus, eo statuto comprehendantur subditi furtum extra Episcopi territorium perpetrantes.

Decimoquinto queritur, An consuetudo possit vno tantum actu generari. Hanc quaestionem superius ex parte tractauimus, breuiter dicendum;

Quosdam putasse, posse: Contra alij id communi consensu refutant, eo quod cum ipsa consuetudinis notione, & significatione pugnare videatur. Est enim consuetudo ex pluribus similibus actibus comparata, hoc est, ex actu diuersis temporibus sæpius repetito: cum quippiam à paucis quibusdam factitatum, multi postea sequuti, imitatioque sunt. Dicendum igitur existimo, si proprie de consuetudine loquamur, eam non nisi multis actibus induci posse: at verò ex vno tantum actu potissimum insigni incipit consuetudo, gigni, & introduci, quia eum actum ceteri imitantur, & sequuntur. Item, ex vno actu, eumque populo, aut eius maiori parte sciente, & tolerante, aliquando quidpiam in consuetudinem venit, quia populus id sciens expressim, vel tacite vult, vt pro consuetudine habeatur, atque hoc, opinor, auctores contrariæ opinionis voluisse: sed proprie ea consuetudo non est; sed tacitus quidam populi consensus, quo alius iure possit illud idè efficere. de hac quaestione late agit Rochus in suo tractatu, de consuet. §. Gloss. fin. in 7. requirit. Si queras quot actus repetiti necessarij sint, vt dicatur frequentia actuum. Respondet Rochus, esse aliquorum sententiam, quos ibi refert, id relinqui iudicis, vel boni viri arbitrio. Alios verò sentire, tot actus requiri, vt probabiliter credamus, eos in notitiam populi venisse, ipse verò ex Glossis, & alijs multis docet, sufficere tres actus, quia quod ter fit, in iure dicitur fieri frequenter, & tres dicuntur plurimi, vel plures, immo etiam satis esse, si quid bis fiat, quia quod fit bis, etiam in iure dicitur sæpe fieri.

Decimo sexto queritur, Quid discriminis sit inter consuetudinem, & prescriptionem? Respondet Sylu. consuetudo, q. 22. ex Abbate, Baldo, & alijs in c. vlt. de consuet. hæc duo in multis differre. Prescriptio enim primo consistit in rebus immobilibus, tum corporalibus, tum incorporeis; at verò consuetudo solum locum habet in incorporeis, vt in seruitutibus, iurisdictionibus, electionibus, & alijs eiusmodi. Secundo, prescriptione acquiritur ius priuatae personæ; at verò consuetudine non acquiritur ius priuatae personæ; item consuetudine nõ acquiritur ius magis vni, quam alteri; sed toti rei publicæ, & communitati. Tertio, prescriptio dat ius vni contra ius, quod alter habet: at verò consuetudo dat ius contra legem, vel præter, aut secundum legem. Postremo, ad prescriptionem requiritur titulus, & bona fides; at verò in consuetudine sufficit certus cuiusdam temporis lapsus, nõ titulus; & ideo verum est id, quod supra explicuimus, consuetudinem non proprie prescriptam, sed quasi prescriptam vocari, quia certi temporis spatio exacto consuetudo locum, & vim habet; ita vt iuris, ac legis potestatem acquirat, & comparet: & tunc in iure canonico prescripta dicitur; in iure ciuili diuturna, longa, tenaciter obseruata, vt ante iam dixi.

Cap. XIX.

Quadam consuetudines contra ius commune inducta discutuntur.

Quoniam supra tradidimus, consuetudinem aliquando esse contra ius, aliquando præter, vel secundum ius; præfenti capite quædam

pauca dicemus de ijs consuetudinibus, quæ contra ius inducuntur.

Animaduertendum est consuetudinem, aut in faciendo, aut in non faciendo consistere. In faciendo, veluti consuetudo, qua parentes filiis impuberibus testamenta faciunt, *l. Moribus, ff. de vulgari, & pupillari substitutione*. Item, ut prodigis, qui agnatis carent, bonis suis interdicatur, *l. i. ff. de curatorijs, furioso, vel alijs extra minores, dandis*; ut tutor detur mulieri pupillo, qui cum tutore suo litigare vult; ut arrogatus omnia bona sua faciat arrogantis. In non faciendo verò consuetudo consistit, nimirum, ut mulieres, & serui civilibus officijs non fungantur, *l. cum prator, ff. de iudicijs*. Ut cognatas quasdam ducere in matrimonium non liceat, *l. Sororis, ff. de ritu nuptiarum*. Ut mariti, & uxores nihil sibi inuicem donent, *l. i. ff. de donationibus inter vivos, & uxorem*. Ut qui non propriam, sed alienam iurisdictionem habet, eam alteri non mandet, *l. More maiorum, ff. de iurisdictione*.

His annotatis, in primis consuetudo qua Episcopus, vel patronus, portioni presbyteris Parochis congruenti, & debite aliquid detrahit, condemnatur, *cap. Extirpanda de Præben.* quæ iure tollitur, quoniam iure naturali, & diuino, Ecclesiarum ministris commoda alimenta debentur: nam dignus est operarius mercede sua.

Consuetudo turpis contra honestatem indulta corruptela vocatur; & propterea extirpanda est, *cap. cum decorum, de vita, & honestate Clericorum*; qualis est consuetudo, qua ludos lasciuos in templis, aut in diebus festis, scenicæ personæ, ut mimi, & histriones faciunt, aut qua sententiæ iudicum venales sunt.

Consuetudo, qua Ludos voluptuosos Clerici committunt, corruptela dicitur, & abrogatur, *ca. Inter dilectos, de Excessu Prælatorum*.

Consuetudo, quæ Ecclesijs grauis est, nimirum quia est incommodo, vel oneri, vel damno, debet auctoritate, & officio iudicis tolli, *cap. 1. de consuetudine*. Hoc intelligitur, nisi fuerit legitime præscripta: potest enim processu temporis eiusmodi consuetudo in præscriptionem venire, teste Abbate intelligitur de consuetudine, quæ primū valebat, eo quod esset indulta ex aliqua causa iusta, & sine magno Ecclesiæ detrimento: & postea incipit grauius Ecclesiæ nocere. Vnde extirpanda est consuetudo, qua rustici decimam fructuum partem soluere presbytero recusant, nisi presbyter ipse prius ipsis aliquod munus dederit, potest tamen, ut idem Abbas ait sequutus Innocentium, *e. quod sicut de elect.* consuetudine induci, ut Ecclesia vacante, hoc est, ob sui pastoris obitum destituta, canonici pastorem non eligant, nisi Princeps certior ante factus fuerit de morte pastoris, & nisi eius petatur assensus ad alium pastorem eligendum: quoniam hæc consuetudo non grauius nocet Ecclesiæ, *cap. in c. cum terra, de elect.* nu. 4. ait idem Abbas, hæc consuetudo non obest libertati electioni, & potest introduci: quia interest Principis, admoneat necne Canonicos, ut eligant dignum, & idoneum, vel ne eligant aliquem sibi inimicum, & consiliorum, & arcanorum proditorem, & ut Ecclesiam tueatur, & seruet illasam, & ut omnia in eligendo pastore rite, & legitime fiant. Idem etiam tradit Archi. in c. Reatina, d. 63. & probat

ex eo, *cap. Reatina, & c. principali, ca. literas, d. 63. citat etiam Hofstiensem.*

Consuetudo, quæ canonicis institutis derogat, nullius debet esse momenti, *e. ad audientiam, de consuetudine*. & consuetudo sacris Canonibus inimica corruptela in iure censetur, & seruanda non est, *c. cum venerabilis, de consuetudine*. Item, consuetudo veritati, & legi contraria, & aduersa improbat, & rejicitur, in c. cum causa, de sententia, & de iud. ca. hoc locum habet in consuetudine, quæ non est legitime præscripta, ut ait in eo capite Glossa.

Consuetudo item, quæ cum sanctorum Patrum decretis, & constitutionibus pugnat, damnatur ut praua, & absurda. Vnde Archidiaconus vi consuetudinis, absque Episcopi auctoritate, curam animarum committere non potest, *cap. cum suis, de officio Archidiaconi*: etiam hoc locum habet in ea consuetudine, quæ non est tempore præscripta, *Glossa ibidem*.

Consuetudo itidem, qua Clerici ad Beneficia eliguntur, sine Episcopi, aut eius Vicarij consensu, improbat, eo quod sit aliena à sanctorum Patrum institutis, & Ecclesiasticæ honestati contraria, *cap. Ex frequentibus, de Institutionibus*. Pari ratione, hoc verum est, quom consuetudo non est præscripta. Abbas in eo capite: nam inferiores Episcopi, cuiusmodi sunt Abbates, præpositi, & alij Dignitatem Ecclesiasticam habentes, iure præscriptionis possunt acquirere potestatem instituendi clericos in beneficijs.

Præterea, Consuetudo, qua electio Episcopi ad laicos simul, & Canonicos pertinet, corruptela vocatur; & propterea irrita fit & inanis, *Moysana Ecclesia, & in cap. Sacrosancta, de Electione*, dicitur esse in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis. Cum terra, de Electione, statuitur electionem ex parte eligentium oportere esse liberam, & idcirco consuetudinem laicorum aliquos ad Beneficia eligentium Ecclesiasticæ libertati detrahentem, tanquam Ecclesiæ noxiam damnari ac tolli debere. Ius eligendi pastores Ecclesiarum in laicos non cadit, vnde cum huius iuris capaces non sint laici, nec iure præscriptionis, nec vi consuetudinis, nec ratione foundationis, nec auctoritate Episcopi acquirere possunt, nisi concessu, & privilegio Romani Pontificis. Abbas & alij in cap. Sacrosancta, de electione, immò, ut testatur Ioann. Andr. in cap. 2. de præben. in 6. ad hoc ius acquirendum, non satis est, si laicus vna cum canonicis eligat consuetudine, cuius initium in memoria hominum non sit: At ius tamen nominandi, de signandi, & offerendi clericos, & Antistites instituendos habet laicus ratione foundationis Ecclesiæ, quoniam licet hoc ius sit quoque spirituale, id tamen patronis Ecclesiarum iura canonica concesserunt, ut docent Ioan. Andr. Abbas, & alij locis supra citatis. Item, teste eodem Abbate electione per Canonicos facta potest esse consuetudine receptum, ut de ea certior fiat princeps, vel patronus, ut excipiat, si aliquid, quod opponat, habet, non ut electionem confirmet, vel dissoluat, aut irritam faciat.

Consuetudo, qua vis Ecclesiasticæ discipline enervatur irrita fieri debet, *cap. cum iur.* de consuetudine. Hæc quoque accipienda est cum ea conditione, nisi fuerit legitime præscripta, vel ex

presso vel tacito Romani Pontificis consensu approbata.

Consuetudo, qua presbyter simplex ea præstat, quæ sunt ordinis Episcopalis, nec temeritate vacat, nec vilius est momenti. *cap. Quanto de consuetudine*, ubi Abbas cum cæteris Canonici iuris doctoribus censet, posse quidem presbyterum præscriptione sibi acquirere, quæ sunt dignitatis, & iurisdictionis Pontificiæ; non tamen quæ sunt ordinis, cuiusmodi sunt ea quæ in *cap. Quamvis*, *dist. 68*, numerantur. Quorum sententia quibusdam videtur cum eo, quod in eo cap. refertur, pugnare. Nam ibi dicitur: presbyteros Constantinopolitanos sacramentum confirmationis ministrare consuevisse ijs, quos sacra Baptismatis vnda abluant. Deinde, Abbates non solum ad primam Clericorum tôsuram; sed etiam ad quatuor minores ordines eligere, & promovere solent homines sibi subiectos; & tamen hæc duo non ad dignitatem, & iurisdictionem, sed ad ordinem spectant Episcopalem. Multa item alia, ut constat ex iure communi, ad Pontificium ordinem pertinent; quæ tamen presbyteri potest sibi præscriptione, & possessione longi temporis acquirere. Accedit, quod dicitur *colligiur ex cap. Auditis*, & *ca. Cum olim de prescriptione*. Abbates aliqua ex ijs, quæ attinent ad iura Episcopalia præscriptione sibi acquirere queunt. Canonici tamen iuris interpretes communi consensu tradiderunt præscriptione acquirere posse presbyteros, quæ sunt dignitatis, vel iurisdictionis Episcopalis, non quæ ordinis. Sed verius quidam esse putant, quod alij Pontificij iuris doctores tradiderunt, tacito Romani Pontificis, vel Ecclesiæ consensu aliqua etiam ex ijs, quæ pertinent ad ordinem Episcopalem, posse presbyteros præscriptione, & possessione longi temporis acquirere: nam presbyteri Constantinopolitani vni, & more tacite in Ecclesia approbato sibi sumptant, ut Baptismate initiatos confirmationis sacramento munirent, sic teste Ambrosio. *Ephes. 4.* in Aegypto presbyteri confirmabant absentibus Episcopis, nec ab eo ille mos improbat. Ita etiam ut constat ex *Greg. lib. 3. epist. 26.* & *epist. 9.* eius permissu presbyteri in Sardiniâ absente Episcopo confirmationis sacramentum ministrabant. Et hic mos approbatur etiam in concilio Arausico. *1. canon. 1.* & *2. Tolet. 1. cano. 20. sub Martino Braciarensi Episcopo cano. 52.* & Abbates sibi acquirerunt ius, quo ad quatuor minores ordines possint aliquos promovere. Hoc autem id eo, vim, & locum habere potest, quia licet sacramentorum ordinis, & Confirmationis ordinarius minister sit Episcopus, potest tamen commissa, & demandata à Romano Pontifice; presbyter potest esse minister, qui tamen præscribere nulla ratione potest, ut sit horum sacramentorum minister ordinarius: potest tamen præscribere, sciente id, & tolerante Romano Pontifice, vel Ecclesia, ut sit ex commissa, & delegata potestate minister. Et hoc iuris præscriperunt Abbates quatuor primis ordinibus conferendis, idem iuris præscribere potuerunt presbyteri Constantinopolitani, in sacra Confirmatione ministranda ijs, quos salutari Baptismate abluant; quam tamen consuetudinem Innocentius Tertius in *cap. Quanto*, supra citato abrogat; quoniam Constan-

tinopolis tunc temporis erat in latinorum potestate, & ditione. Hæc illi. Cæterum ego veram in hac parte, existimo communem omnium Canonici iuris interpretum sententiam dicentium, presbyterum iure præscriptionis non posse acquirere, quæ sunt ordinis Pontificij, quia capaces non sunt, unde quæ possunt Abbates in quatuor minoribus ordinibus, ea non habent ratione consuetudinis præscriptæ, sed ipsius iuris canonici permissu siue concessu, quod permittit, ut quatuor minores ordines conferant, non quidem ratione officij, quo funguntur, nec ratione ordinis, quem habent, sed commissa sibi, & demandata potestate à iure ipso, sicut Diaconus habet, ut possit ad populum concionem habere, non ratione ordinis, sed potestate sibi commissa à iure ipso. Pari ratione puto olim commissum fuisse presbyteris Constantinopolitanis, ut potestate, non quidem ordinaria, sed demandata tantum sacramentum confirmationis ministrarent ijs, quos sacra baptismatis vnda proluant: quod valet, dummodo Ecclesia permittat: secus non item.

Consuetudo, qua quis solet Dignitatem deponere sine superioris auctoritate, ut sacris Canonibus inimica, & corruptela, & temeraria censetur, & ideo improbat, *cap. Cum venerabilis*, de consuetu. pugnat cum ijs, quæ statuta sunt, in *cap. ad monet, ca. quod in dubijs, cap. nisi, de renunc.* Nec videtur hæc consuetudo iure præscriptionis excusari; quia hoc ius per præscriptionem acquiri nequit.

Consuetudo, qua potest electus Ecclesiam administrare, antequam electionem superior confirmet, & temeraria, & corruptela vocatur: quia sacris Canonibus adversa, & irrita fit. *cap. Cum venerabilis, de consuetudine*. Aduersatur hæc consuetudo ijs, quæ habentur in *cap. qualiter, de electi.* & *ca. vii, de renunc.* nec videtur iure præscriptionis excusari, nisi concessu, & privilegio Rom. Pontificis, ut colligi videtur ex *Abbate Ioan. And.* & alijs in *ca. cum venerabilis, de consuetu.* & ex *Archid. in c. omni, qui, de preben. in sexto.*

Consuetudo, qua Canoniorum Collegium absque Episcopi consensu statuta, vel consuetudines antiquas, aut approbatas mutat, aut novas inducit, damnatur, *cap. Cum consuetudinis, de consuetudine*; quod & eodem modo accipi debet, nisi fuerit videlicet eiusmodi consuetudo præscripta.

Nulla consuetudine introduci potest, ut aliquis præter sui superioris consensum, Confessarium sibi eligere queat qui eum possit soluere, vel ligare, *cap. Si Episcopus, de Penitentijs*. Ea consuetudo, qua is, qui iudex non est, sententiam pronunciat, nullam vim, & firmamentum habet, *cap. Ad audientiam, de consuetudine*. Vbi Abbas, & ceteri Canonici iuris interpretes communi consensu docuerunt, nulla consuetudine induci posse, ut sententia ab eo, qui non est causa iudex, lata valeat; & tamen ibidem tradiderunt, posse aliquem consuetudine iurisdictionem nancisci. Hæc tamen non sibi inuicem aduersantur. nam consuetudo iurisdictionem aliquando dat, ut habetur in *ca. Cum contingat, de foro competent.* & *c. Irrefragabi, de officio ordinari.* & *l. 1. & vii. c. de emancipa.* & *l. Vros, c. de diuer.*

offic. libr. 12. & Gloss. in cap. Cum coningat, de foro comp. Quod ut plenius intelligamus scire oportet, contra substantiam, & naturam beneficiæ esse, ut feratur in eum, qui non est iudicis potestati subiectus, & proinde merito constituitur, ne firma sit, & rata sententia ab eo, qui iudex non est, pronuntiata. Similiter quia sententia in foro conscientie, qua confessarius poenitentem soluit, ac ligat, iudicialis est, & à Christo Domino instituta, proinde merito decernitur nulla consuetudine introduci posse, ut quis priuatum suo iure, & auctoritate sibi confessarium eligat, qui eum soluat, aut liget: quoniam sicut est contra naturam sententiæ (vt diximus) ut feratur ab eo, qui non est in causa iudex: sic est contra ius Diuinum, quo est sacramentum Poenitentiae constitutum, ut is, qui non est confessarius, soluere possit, aut ligare. At verò consuetudine potest iurisdictio comparari, & acquiri, quoniam in ea adest tacitus superioris consensus, cuius est iurisditionem committere, sicut etiam lege, vel statuto, vel voluntate principis impetrari solet. Et hoc est, quod Pontificij iuris doctores docuerunt, dicentes, posse aliquem iurisditionem consuetudine adipisci. Et ita ante concilium Tridentinum, Presbyteri de more peccata sibi inuicem confitebantur, à quibus solvebantur, vel ligabantur. Eodem modo, cum duæ ciuitates duobus Episcopis subiectæ sibi inuicem sunt vicinæ, incolæ vnius oppidi vsu, & more peccata Presbytero alterius Ecclesiæ præfecto confitentur, à quibus soluantur, vel ligantur: id enim fit tacito Episcoporum, & parochorum consensu.

Consuetudo, qua quis in eadem Ecclesia habet plures Dignitates, vel personatus, etiam si curam animarum non habeant, omnino abrogatur, *cap. De multis, de Præbendis*: immò consuetudo, qua quis in eadem Ecclesia habet duos Personatus, Dignitates, Præposituras, Administrationes, aut eorum alterum cum reliquo, hoc est, Dignitatem cum Personatu, Præpositura, Administratione, vel officio, corruptela censetur, vt potest sacris Canonibus inimica; & ideo damnatur, *cap. 1. de consuetudine in 6. Sed dubiæ questionis est, an consuetudine induci queat, ut quis simul habeat plura Beneficia, hanc questionem tractat Abbas, in vesp. ad cap. exirpanda, de præb. §. qui vero, num. 35.* & multis rationibus concludit id consuetudine introduci non posse, citra legitimam superioris auctoritatem, qua ius ipsum relaxet, siue Beneficia, inquit, habeant curam animarum, siue seculi, siue requirant perpetuam beneficiarum in Ecclesia præsentiam, siue non: hoc est, etiam si Beneficia sint simplicia, dummodo tamen vnum illorum sufficiat ad clericum commodè sustentandum. At Innocent. in cap. vltim. de clerici. non resi. & in cap. cum iam dudum, de præb. censet plura Beneficia posse clericum simul habere iure communi. Sic Gloss. in cap. gratia, de rescript. in 6. idem etiam sentit Cardinal. in cap. cum iam dudum, de præb. & ideo iuxta horum sententiam, consuetudine induci potest, ut quis simul habeat plura Beneficia simplicia: & ita docet expressè Glossa. in cap. super eo, de præben. in 6. & in cap. dudum, de elect. verbo vnanque, ad finem. Cæterum, vt supra iam dixi, magis probo in hac parte Abbatis sententiam, id sola consuetu-

dine excusari non posse, quia consuetudo iuri naturali derogare non potest, & iuris naturalis meo iudicio, est, ne quis habeat simul plura Beneficia etiam simplicia, quando vnum eorum satis est ad eum commodè sustentandum. Solum fieri consuetudine potest, ut Episcopus tuto ius ipsum ex causa iusta relaxet, & vni det plura huiusmodi Beneficia simplicia, sicut etiam si vorum, & insiurandum iure naturali, & diuino impleri debeant: causa tamen iusta, potest Episcopus aliquos soluere voti, & iurifurandi vinculo, quod non sit Romani Pontificis auctoritate referuatum. Hinc fit, ut si consuetudo, qua plura Beneficia simplicia possidentur ab aliquo, nota sit Episcopi, & ex causa iusta tolleretur, excusari possit, sepius non item. Quemadmodum etiam alicubi est more, & vsu receptum, ut quis habeat vnam Dignitatem cum Canonatu in eodem templo, hoc est, in eadem Ecclesia, vt consuet. in cap. Eam te, de Rescriptis. Erat enim quidam Archidiaconus, idem & Canonicus sub eodem templo, & rite sacra. Sicut etiam teste Abbate concil. 96. volumine secundo, rata, & firma erat ante Concilium Tridentinum, consuetudo, quæ alicubi vigeat, vt quis haberet duo Beneficia simplicia in eadem, aut diuersis Ecclesijs; & tamen iure communi Canonico sancitum est, ne quis simul plura Beneficia possideat, quando vnum eorum sufficit ad congruentem clericum victum, *capit. Sanctorum, distinction. 70.* consuetudo ea erat nota, & tolerabatur.

Præterea, de multis ambigi potest, an more, & consuetudine præscripta iuste fieri queant, immò, vt pars decima fructuum Ecclesijs non soluantur. Variæ sunt opiniones, vt referunt Rochus in tracta. de consuetu. folio paruo. 12. colum. 3. & Couarru. libr. 1. var. resolut. cap. 17. numer. 8. Sed breuiter dicendum, posse, præsertim vbi clerici, vel non petunt, vel non indigent, quia alij de habent, vnde commodè sustententur. Item, an consuetudine Clerici possint testamentum facere de fructibus, & redditibus ex Beneficio acquisitis? Communis opinio doctorum, hanc consuetudinem damnat, vt testatur Couarru. de testamentis, cap. cum in officijs. numer. 9. sed non est, cur damnetur, vt ibi Couarruuias ait. An possit consuetudo valere, vt res ad Collegium Canonicorum, vel aliorum quorumlibet pertinentes, non aliter definiantur, nisi ex concordia omnium suffragiorum? An possint excusari clerici videntes iuxta patriæ, ciuitatis, vel populi morem pretiosio, vel alio, iure canonico interdictio vestitu? Possunt, ita Gloss. in cap. Si quis vivorum distinct. 30. & 21. quæst. 4. in sententia. An qui sunt habiles ad matrimonium in eundem, possint iuxta patriæ, vel provincie consuetudinem in habiles effici? respondeo breuiter, cum Glossa, & Hostien. & Abbate in cap. quod super, de consang. posse. Item, An qui iure Canonico sunt ad matrimonium contrahendum inhabiles, possint vsu, vel more ac consuetudine fieri habiles, & idonei? Glossa, & Hostien. & Abbas, loco citato, negant id posse introduci, nisi consuetudo auctoritate Romani Pontificis expressè, vel tacite sit approbata. Couarru. de mat. parte secunda, cap. 6. §. 10. Item, An consuetudine introduci queat, vt Clerici beneficiarum liberi sint

& immunes à lege, & constitutione, horarias officij diuini preces recitandi, & ab omni præcepto refidendi, & loco sui alium substituendi, qui deseruiat Ecclesiæ? Certè prima consuetudo in præscriptione venire non potest, ac secunda potest, vt dicam alibi. Item, An consuetudine portio legitima debita filijs possit, vel ex parte minui, vel etiam ex toto penitus auferri? An alimenta itidem consuetudine denegari possint, vt testatur Rochus in *tr. de consue. in folio paruo. 45. colum. 3.* & Couari uuias de *matrim. parte secunda, capitulo octauo. §. 6. num. 3.* Communis opinio Doctorum habet, posse, alij tamen sentiunt posse ex parte minui, non ex toto adimi. Dicendum est posse id introduci, vt habet communis opinio, sed id locum habet, quando subest causa iusta, & quando filij aliunde habent, vnde commode sustentari queant, alimenta enim vitæ simpliciter necessaria denegari non possunt. Item, an possit consuetudine induci, vt iuræ promissa in iudicio prætantur, & eas solueret is, qui promissit, cogatur, nec detur actio, vt soluta repetantur? potest, quia hæc ius canonicum solum, non naturale, vel diuinum prohibet. De hac dicam inferius. An etiam consuetudo valere possit, qua cuiuslibet privato facultas libera concedatur occidendi eos, qui sunt publica auctoritate proscripsi. An consuetudine clericus possit coram civili magistratu conueniri. An vbi ciuiles iudices de causa aliqua spirituali, & Ecclesiastica sententiam ferre queant. De prima multi censent, vt constat ex Abbate *cap. 101. de consuetud. num. 3.* eam iustam esse, quia potest res publica, vel Princeps consanguineos ministros constituere. Sed mihi non videtur omni ex parte iusta, quia præbet materiam iræ, odij, vindictæ, offensionis multorum; nam licet res publica possit magistratum creare ad necem fontis, ac promiscuè consanguineos ministros constituere, frequenter materiam supeditat vindictæ, odij, iræ, & aliorum peccatorum. De secunda, & tertia breuiter dicendum, eas consuetudines non valere, quia sunt contra libertatem, & immunitatem clericorum, & Ecclesiarum, & generatim, vt ait Rochus de consuetudine, in *folio paruo. 47. colum. prima, conclus. quinta.* consuetudo contra libertatem, & immunitatem Ecclesiæ corruptela est, nisi priuilegio Romani Pontificis, aut ipsius auctoritate expressa, vel tacita approbetur, tales sunt consuetudines, quibus Ecclesiarum, vel clericorum iura debita perfringuntur ex toto, vel minuuntur ex parte. Item, eæ, quibus Ecclesijs, vel clericis onera imponuntur, & eæ, quibus laici sunt contra clericos audaces, vel clerici timidiore, vt multis exemplis propositis, loco citato, Rochus confirmat. De ijs, & alijs id genus consuetudinibus, valeant nec ne, suis locis suis disputabo. In præsentia satis sic dixisse, consuetudinis vim, & auctoritatem non leuem, & paruum esse, vt dicitur in *cap. cum consuetudinis, de consuetud. vnde multa iuris canonici decreta consuetudine penitus abrogauit. Clerici ieiunium inchoabant septem hebdomadis ante Pascha. cap. Statuimus. distinctio. 4.* & tamen in desuetudinem abiit. Tribus Rogationum diebus proximis ante Ascensionem Dominicam erat vacatio operarum, & laborum, ca. *Pronunciandum, de consecr. distinctio. 4.* & in

eis ieiunium colebatur, *cap. Rogationes, de consecr. distinctio. 4.* & tamen neutrum modo seruatur. Tota hebdomada Paschatis, & hebdomada præcedenti proxime ipsum Pascha ab opere seruii abstinēbatur. c. *Pronunciandum, de consecr. distinctio. 5.* & tamen modò ij dies festi non habentur. Iusurandum interponendum non erat nisi à ieiunio homine. *cap. Honestum 22. quest. 5.* nec in iudicio exigebatur in diebus Quadragesimarij ieiunij, aut Dominicis, aut in quibus Dominicis celebratur aduentus. *capit. Decretis, 22. quest. 5.* & tamen vtrumque consuetudo aboleuit ex parte: item *cap. Omnis, de consecr. distinctio. 2.* Omnis vir ante sacram communionem à propria vxore, continere se debebat tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Nec inter Catholicos haberi, & connumerari merebatur, qui in Pascha, Pentecoste, & Natali Dominico sacrum Christi corpus non sumebat: nunc hæc consuetudine abrogata sunt. Olim sabbato, & sexta, ac quarta quaque feria hebdomadæ ieiunium seruabatur, quod in desuetudinem abiit; retenta in sexta feria, & sabbato abstinentia, qua abstinemus à carnibus, cum in feria quarta carnibus vtamur.

Consuetudo, qua laici præbendas, quas vocant, & Beneficia Ecclesiastica conferunt, non solum corruptela est, vt potest sacris canonibus inimica, sed etiam quocumque temporis cursu in præscriptionem venire non potest, quoniam ius conferendi Beneficia est spirituale, cuius laicus capax non est, nisi Rom. Pontif. concessu, & priuilegio. Sed obijcies multos Principes, & reges id iuris, & potestatis habere. nam Speculator in *tit. de Præb. §. 2. versic. 7.* scribit Imperatorem ius habere, vt in singulis Alemanicæ Ecclesijs, vnum canonicum designet, & constituat, & Lambertinus in *tr. de iure patro. lib. 1. quest. 11.* testatur reges Neapolitanos habuisse ius nominandi Episcopos in quadraginta Ecclesijs primarijs, hoc est, cathedralibus. Bal. ait ad *l. 7. c. de præci. imper. offeren. in regis Angliæ, & Regis Hungariæ fuisse potestatem conferendi Beneficia, Goymerius ad Pragm. sanctionis. tit. Annat. verbo regalia,* scribit Regem Franciæ, ius habere conferendi Beneficia in quibusdam sui Regni Ecclesijs, cum propter obitum pastorum sunt destitutæ, & vacant. Respondeo Reges, & Principes huiusmodi ius aliquando habuisse, habere, vel posse habere, Rom. Pont. concessa, & priuilegio, non autem consuetudinis vel præscriptionis iure, vel Episcoporum sola auctoritate: & ita Speculator, B. L. Lamber. & Guymer. non aiunt id iuris prædictos Reges, & Principes habuisse iure præscriptionis, vel consuetudinis, sed priuilegio Rom. Pont. vel saltem consuetudine nota, & tolerata, auctoritate Ro. Pont. in qua adest tacitus eius consensus.

Consuetudo, qua laici nominant, designant, & offerunt clericos Ecclesijs præficiendos, & non ratione foundationis, edificationis, vel dotationis Ecclesiarum, sacris canonibus aduersatur, qui nõ concedunt laicis huiusmodi ius nisi patronis Ecclesiarum, qui fundarunt, ædificarunt, vel dotarunt. Si obijcias, Archidiaconum in *ca. lectis. d. 63.* omnes Reges in Ecclesijs suorum regnorum patronos esse, si sint Ecclesiæ Cathedrales, & tamè verisimile nõ est, eas fundasse, ædificasse, vel dotasse: idem

quod

quod Archidiaconus, tradiderunt etiam Bald. in cap. quanto de iud. Domini. & Alexand. in c. lectis. dist. 63. Paris. in tract. syndic. in verbo ciuitatis. cap. 2. ad si. Respondeo, Reges, & Principes ius nominandi præficiendos Ecclesijs cathedralibus, vel Abbates in Ecclesijs secularibus, vel regularibus, aut alios, qui in primarijs post Episcopalem Dignitatibus instituendi sunt, non habere nisi ea ratione, qua patroni sunt Ecclesiarum, ratione foundationis, ædificationis, vel dotationis, quia hoc ius, cum sit spirituale in laicos non cadit, nec in eos cadere potest ratione præscriptionis, cum capaces nõ sint, ac proinde nisi habeant priuilegio Ro. Pont. tueri, & retinere nequeunt. Si dicas, Hispaniarum Reges habent ius nominandi Episcopos, & Abbates, & alios primarios Ecclesiarum præfectos in Hispania, India, Sicilia, Sardinia, Rex Polonia, in Polonia. Dux Subaudiæ in ditioe sua. Respondeo, habere quidem, sed priuilegio Rom. Pontificum, non iure præscriptionis, nec iure regio, eo ipso, quo Reges, ac principes sunt, nec ratione consuetudinis præcisè etiam diuturnæ, nisi quatenus ea consuetudo nota Rom. pontifici tacito consensu permittitur, id verò quod Archidiaconus, & Baldus scribunt reges, Imperatores, & principes esse patronos Ecclesiarum Cathedralium, & principalium quæ in ipsorum regnis, imperio, & ditioe sunt. Alij non probant. Boerius in suis decisio. q. 32. p. 1. Lamber. de iure patro. libr. 1. q. 11. Curtius de iure patro. verb. Eccles. q. 1. Remun. in tract. de potest. regia. q. 34. Nec item placet alijs, quod sentit Albericus in l. bene à Zenone. c. de quadriens. præscrip. & Domini. in c. licet. de præb. in 6. Reges, & principes ex longissima consuetudine posse ius habere conferendi beneficia, falsum est, nisi intelligant consuetudinem notam Rom. Pontif. & ab eo permissam. & Syn. Trid. sess. 25. cap. 9. de reformat. in principibus, communitatibus, vniuersitatibus ad probandum ius patronatus requirit multiplicatas per longum tempus præsentationes, & ita continuatas, vt non minori quam quinquaginta annorum spatio authenticis scripturis probetur, & effectum omnem sortita fuerint.

Consuetudo etiam, qua reges, & principes Ecclesia vacante administrant, quæ ad eam Ecclesiam pertinent temporalia simul, & spiritualia, cū sacris canonibus pugnat, vt in proprio loco dicam: vnde nec ratione præscriptionis, nec iure patronatus, nec iure regio excusantur ij, qui ea consuetudine vtuntur, nisi id faciant priuilegio Rom. Pontificis, vel consuetudine ipsi nota, & ab eo permissa, & tolerata, in qua ad sit tacitus eius consensus.

Cap. XX.

Ciuites aliquas leges canonico iure abrogatas, vel correctas esse.

Sciendum est leges ciuiles, quæ cum Iure naturali, vel Diuino, vel Canonico pugnant, iustas non esse, ac proinde legis imaginem, & speciem, ac nomen quidem habere, non vim, & auctoritatem siue rationem legis.

Primo queritur, quænam sint leges ciuiles, aut cum Canonico iure pugnant, aut ab eo corre-

ctæ? Respondeo esse nonnullas. In primis lex ciuilis concedit matrimoniū consistere inter duorum fratrum liberos, qui patreles, vel duarum fororum, qui confobryni, vel fororis, & fratris, qui amitini dicuntur. vt constat ex l. Celebrandis. c. de nuptijs, & Instit. de nuptijs, §. Inter eas. At iure Canonico huiusmodi matrimonium est irritum, capit. Quedam, 35. Questio. 3. & capit. non debet. de consangu.

Lex itidem ciuilis prohibet raptam contrahere matrimonium cum rapto, vt constat ex lege Raptores, C. de rapru Virginum. Sic etiam antiqui Canones. cap. Piacui. cap. de Puellis, 36. questio. 2. At iura huiusmodi corriguntur iure Canonico capitul. vltim. de Raptoribus, vbi permittitur, vt rapta libere contrahat cum rapto, etiam priuilegium eam restituat his, à quibus eandem rapuerat. Ceterum in concil. Trident. sess. 24. capit. 6. de reformatio. matrimonij, statutum est, inter raptores, & raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manerit, nullum posse consistere matrimonium, nisi postquam à raptoe separata, & in loco tuto, & libero constituta fuerit. Si queras, an rapta contrahens matrimonium cum raptoe amitrat bona ipsius raptoris sibi per legem delata. Nam l. a. c. de rapt. Virgin. & Authent. de rap. mulie. que rap. nubunt. coll. 9. ad finem, rapta si raptori nuplexit priuatur bonis ipsi raptoris, quæ ipsi donauerat. Glossa in c. Cum secundum leges, de Hæreticis in 6. lentit ea bona raptam amittere, quia lex ciuilis eam penam constituit, nec canonico iure damnatur, eo quòd, lex ciuilis constituens, vt ea bona amitrat, non irrogat propriè penam contrahenti, sed impedit potius, ne rapta sibi lucrum ob delictum raptus acquirat. Sed verior est opinio eorum, qui negant ea bona raptam amittere. Sic l. a. Gloss. in cap. de puell. 36. questio. 2. quam sequitur communis opinio, vt ait Couarr. de mari. par. 2. ca. 3. §. 9. num. 1. Nam cum lex ciuilis prohibens huiusmodi matrimonium, iure Canonico abrogatur, eodem iure poena iuris ciuilis sublata censetur, siue sit poena priuans raptam, siue raptorem aliquo iure ante acquisito, siue impediens, ne ius acquiratur, satis enim est si sit poena contra matrimonium constituta.

Leges omnes ciuiles, quæ secundas nuptias, primis solutis, varijs poenis puniunt, iure canonico abrogantur, vel corriguntur. In l. a. c. de secundis nuptijs, poenæ constituuntur in viduas intra annum luctus secundas nuptias contrahentes, quæ amittunt proprietatem, & vltim fructum bonorum, quæ sibi prior maritus reliquerat, eo quòd, ad secundas nuptias festinent, & prioris mariti vita functi consanguineos, & propin quos contristare videantur. At huiusmodi poenæ Canonico iure tolluntur, cap. Cum secundum, de secundis nuptijs: vbi iuxta Apostolum secundæ nuptiæ libere permittuntur. Et quamuis quidam contendant, ciuiles leges, quæ poenis viduas nubentes intra annum luctus afficiunt, iustas esse, & communis tamen opinio, quam sequuntur Innoc. Ioann. Andr. Anto. Abb. Decius, Felin. quos refert, & sequitur Couarru. de matrimo. part. 2. capit. 3. §. 9. numer. 4. & 5. habet, huiusmodi leges ac poenas iure canonico esse sublatas. Si queras, an etiam ius canonico locum habeat etiam post obitū mariti intra mē-

sem vidua secundo nupserit, quidam negant locum habere, ac proinde ius civile esse seruandum: quod iustam poenam irrogat viduae tunc temporis nubenti, ob periculum quod instat ex commissione sanguinis primi, & secundi mariti, ex quo proles redditur incerta, Baldus, & Corneus, vt testatur Couarr. *ibidem*. idem sensu Paul. Eleasia, teste Abbate, Abbas tamē, Felinus, Decius, quos omnes citat, & sequitur Couarr. loco citato, sentiunt etiam tunc ius Canonicum esse seruandum. Si roges, an leges Civiles, quae constituunt poenam in viduas secundo nubentes fauore, & gratia filiorum prioris mariti, non autem odio ipsarum viduarum ad nuptias festinantium sint Canonico iure abrogatae? Respondet minimè, sed solum eas, quae viduas properantes ad nuptias puniunt. Sic Innocentius, Ioannes Andreas, Henricus, Antonius, Felinus, vt ait Couarruias, quamquam Abbas, teste Felino, in cap. De Francia, de sponsalibus, oppositum docere videatur. Ex quo fit, vt mater tutrix filiorum secundo nubens, non petito tutore ipsi filijs, nec ratione reddita administrationis bonorum, incurrat in poenas iure civili constitutas in l. 1. c. de secundis nupt. & in Authent. eisdem. c. de secundis nupt. huiusmodi enim poenae, iure Canonico non corriguntur, quoniam gratia filiorum sunt irrogatae, Sic Couarru. loco citato n. 6. Ex his etiam efficitur, vt mater secundo nubens, immo etiam pater, ad secundas nuptias transiens debeat filijs ex primo matrimonio susceptis reseruare lucra sibi ex illo coniugio delata, vt docet Couarru. *ibidem* nume. 7. ex communi omnium sententia iuxta id, quod statutum est, in l. Generaliter, c. de secundis nupt. vbi vir reseruare debet filijs ex priori matrimonio natis, si ad secundum transierit, quae ad ipsum ex dote, vel ex bonis prioris uxoris peruenerunt. Et idem dicendum est de lucris, & bonis acquisitis vi alicuius alterius legis, vel statuti, idem iuris est, vt docet Cardin. in cap. gemma de sponsalibus, & approbat Felin. in cap. de Francia, de sponsalibus numer. 14. Si pater filiae promiserit, se certam partem patrimonij partem dotis causa daturum, si nupserit Titio mercatori, si minus eam partem non daturum, valet testamentum, sub hac promissione factum: quia conditio adiecta, non tam poena est, quam gratia in Titium mercatorem collata. idem est, si lex aliqua, vel statutum de fidei superstiti, ex bonis alterius coniugis, aliam partem ratione, & iure lucri non oneris. Couarru. *ibidem* nume. 5. & 9. Si tamen statuto vel lege, dimidia pars lucrorum ad virum pertineat, ea non est filijs ex priori coniugio susceptis reseruanda, sed redditur pars dimidia, quae ad vxorem mortuam peruenerat. Fit etiam, vt mulier intra annum secundo nubens alenda non sit ab heredibus mariti, etiam reuocentibus dotis bona immobilia restituere. Mulier itidem secundo nubens amittit vestes lugubres, ab heredibus prioris mariti datas: huiusmodi enim poenas minime ius canonicum prohibet. Si queras, an iure Canonico sit correctum id, quod iure civili est constitutum in Authent. Cui relicta, c. de indilla viduae tollenda, Et in Authent. Hoc locum, & in l. si vsum fructum, c. Si mulier secundo nupserit: vbi statuitur, vsum fructum, vel legatum à marito relictum vxori, si viduitatem seruauerit, vel donec secundo

nupserit, amittit mulier si secundo nubat. Couarr. *ibidem*. n. 10. & n. ait, iure Canonico non esse correctum; ac proinde legatum sub ea conditione relictum æquum, & iustum esse. Si obijcias conditio coelibatus, ac viduitatis generatim adiecta in vitima voluntate reijcitur, vt constat in l. Sed si hoc, s. Cum vir vxori, ff. De conditionibus, & Demonstrationi. vbi dicitur: Cum vir vxori, si à liberis non nupserit, in annos singulos aliquid legauit, quid iuris? Iulianus respondit, posse mulierem nubere, & legatum capere. Quod si ita scriptum esset: si à liberis impuberibus non nupserit, legem locum non habere, quia magis cura liberorum, quam viduitas iniungeretur: Hæc ibi. Cuius legis sensus est; Titius vxori suae legauit annua decem, si à liberis non se separauerit secundo nupta, tunc potest nutu suo mulier nubere, & nihilominus legatum capere, eo quod fit ei viduitas indicta, quae conditio pro non adiecta habetur. Si autem praedicti liberi erant impuberes, non poterit habere legatum, si secundo nupserit, quia tunc videtur vir iniunxisse vxori curam filiorum, non viduitatem. Denique, si queras, quid sit dicendum, si maritus vxori legatum relinquat, conditio adiecta: si castè vixerit: num vxor legatum amittat, si secundo nubat? Respondet Couarru. *ibidem* numer. 12. amittere. Quod si obijcias, castè viuere eam, quae vitam conjugalem elegit. cap. Nicana, distict. 31. Bartholus, & quidam alij, teste Couarru. hoc argumento permoti, censent non amittere legatum huiusmodi, vxorem. At verò probabilis est, quod dixi ex sententia aliorum, quoniam licet vita conjugalis sit casta, mens mariti tamen, qui conditionem apposuit, si castè vixerit, est, vt viduitatem seruet ad secundas nuptias non transiens. Ex quo fit, vt si praedicta conditio: si castè vixerit, adiecta sit ab aliquo alio extraneo, qui non sit prioris mariti consanguineus, tunc non amittat legatum vidua, etiam si secundo nupserit, vt docet Couarru. *ibidem*, numer. 12. Secus verò est, si legatum sub ea conditione relictum sit à patre, filio, vel alio consanguineo mariti prioris: nam in hoc probabiliter mens legantis creditur fuisse, ne secundo nubat: in priori verò casu non creditur talis mens fuisse, sed solum, vt castè viuat, siue matrimonij vinculo soluta, siue adstricta.

Item leges civiles, quae concedunt ex multis causis libellum repudij, & solutionem coniugij, Canonico iure corriguntur, quamuis apud Graecos locum, & auctoritatem adhuc habere videantur: in l. Consensu, C. De Repudijs Imperatores multis de causis repudij concedunt: Sic enim dicitur: Causas autem repudij hac saluberrima lege apertius designamus. Sicut enim sine iusta causa dissolui matrimonia iusto iure prohibemus, ita aduersa necessitate pressum, vel pressum, quamuis infansio, attamen necessario auxilio cupimus liberari: Si qua igitur maritum suum adueterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum inuenierit; si sepulchrorum dissipatorem, si sacris aedibus aliquid subreuerentem, si latronem, vel iactantem susceptorum, vel abactorem, vel plagiarium, vel ad contemptum sui, domi suae, ipsa insipienter cum impudicis mulieribus, quod maxime etiam castas exasserat, carum inuentem: si sine vite veneno aut gladio, aut alio simili modo insidiantem: si se verberibus, quae

ingenuis

ingenus aliena sunt, officientem probauerit, tunc repudij ei permittimus libertatem. Hæc ibi. Quo loco Iustinianus Imperator plus æ quo repudium, siue diuortium permittit tot causis expressis: quamuis Alciatus lib. 6. pæreg. ca. 20. Imperatoris audaciam temporari, non viro tribuat, ac deinde existimet causas illas à Iustiniano positas posse Romani Pontificis auctoritate constitui, & approbari: quam sententiam Couarruias iure optimo cõsultauit. Romulus Urbis conditor, teste Plutarcho, in vita eius, legem tulit, qua viro vxorem repudiare permittit, si in veneficio natorum, aut in adulterio deprehensa foret, aut clausa adulterasset: quod si aliter quis repudiasset, eius bonorum partem vxori dari, partem Cereri sacram esse iussit. Item testibus Cœli. lib. 15. l. estio. anti. cap. 16. Plutar. in problem. ca. 14. Vale. lib. 2. cap. 14. apud Romanos veteres passim vxores repudiabantur, misso libello repudij per nuntium. Et primus diuortium fecisse Sp. Coruilius fertur, qui, vt refert Gel. lib. 4. c. 3. & lib. 17. cap. 21. vxorem dimisit quod sterilis esset, & liberog procreare vellet: & hoc datum ei vitio fuisse: postea testantibus id Vale. lib. 6. cap. 3. Plutar. in problem. cap. 13. Hunc secutus Sulp. Gallus vxori nuntium remisit, quod eam capite aperto foris versatam fuisse intellexisset. Vnde Valerius sic ait: Horridum quoque Caij Sulpitij, Galli, maritale supplicium: nam vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognouerit. Lex enim inquit, sibi meos tantum præfinit oculos, quibus & forma tuam approbes, & placere desideres. Hæc igitur omnes Ciuiles leges, antiquatæ sunt, & Canonico iure abrogatæ: ita vt in his locum habeat, quod ex Gregorio habetur in cap. sunt qui 27. quest. 2. vbi dicitur, sunt, qui dicunt religionis gratia coniugia debere dissolui: verum sciendum est, etsi hoc lex humana, videlicet, Authent. de nup. §. distrahantur. colla. 4. concessit: lex tamen diuina prohibuit: per se enim veritas dicit, quod Deus coniunxit, homo non separet, & in cap. lege. dist. 10. ex Nicolao Pontifice legimus, lege Imperatorum non omnibus Ecclesiasticis controuersijs vtendum est, præsertim cum inueniatur Euangelica, & Catholica sanctioni aliquoties obuiare, lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subius. Sic ille.

Præterea leges ciuiles, quæ prohibent matrimonium inter certa personarum genera, minime iure Canonico interdita, non valent, vt testantur Barth. in l. Titia. ff. solu. matrim. Federic. consil. 35. Ioann. Andr. in c. vltim. de secun. nup. Anton. Abb. Felin. in cap. de Franc. de sponsalibus, Alex. conf. 97. num. 2. vers. & quamuis. Curtius Senior consil. 17. numer. 3. & sequenti. Couarru. de Matrim. part. 2. cap. 6. §. 10. numer. 16. & Felinus citat Chalderinum. Archidiacon. Roman. Baldum, Salycetum. Nempte. l. 1. & l. Si tutor. c. De interdico matrimonio, ac l. 1. c. Si rellor. constitutæ sunt leges, quibus cauetur, ne inter tutorem, curatorem, vel eius filium, & pupillam matrimonium contrahatur, ne item rector prouinciæ ducat in vxorem foeminam aliquam prouincialem suæ iurisdictioni, & potestati subiectam. Non valent hæc leges, quâuis sentiat oppositum Cynus in l. vlt. c. de matrimo. inter pupillum, & viduam. Ex quo etiam fit, vt multa Ciuitatum statuta vim non habeant; in his sunt ea, quæ puniunt foeminas matrimonium contrahentes cum externis, hoc est, cum viris extra ciuitatem, & territorium. Iul. Clarus. lib. 5. sententia. re-

cepta. §. practica criminali. quest. 82. statuto. 3. Curt. Sen. consil. 17. numer. 3. Couarru. loco citato. & Felinus. cap. de Franc. de sponsalibus. numer. 20. citat Baldum. Ioann. Andr. Abbatem. quamuis in dubium vocent quidam, an valeant ea ciuitatum statuta, quibus cauetur, ne foemina, quibus assignatæ cõstitutaq; dotes sunt in redditibus annuis ciuitatis, nubant viris externis minime ipsi cõstitutæ iurisdictioni subiectis. Est enim quorundam sententia, iusta, & æqua esse huiusmodi statuta Barth. Angel. Cardin. Calde. Ro. quos citat Felin. c. prædicto. num. 20. alij verò id inficiantur, eo quod foeminarum libertatem in matrimonio, contrahendo diminuant. Iul. Clarus, loco supra citato. Bald. Ioann. Andr. Abb. quos refert, & sequitur Felinus. capite citato. Sunt quoque alia statuta, quæ in vnuersum prohibent obligationem dotis in contractu matrimonij initi cum viro alterius ciuitatis. Quidam approbant, alij improbant hæc statuta. Iul. Clarius loco prædicto, & Felin. ca. citato, agunt de his statutis. Pari etiam ratione in controuersia est, an valeant ea statuta, quibus amissio dotis irrogatur foeminis, quæ nubunt viris indignis sine consensu patris. Quidam tanquam iusta recipiunt, & approbant eo, quod huiusmodi nuptiæ sint parentibus, & consanguineis dedecori, & ignominia, & gignere soleant dissidia, & odia, & offensiones multorum, & quod sint cõtra bonos mores. Alij verò ea improbant, eo quod matrimonij libertati detrahant iusta, & æqua esse statuta sentiunt Bald. Calderin. vt refert Felin. ca. prædicto. nu. 13. At irrita, & nullius momenti, & pòderis esse testantur Hostien. Io. And. Ant. Abb. c. 1. de desponsa. impu. Federe. conf. 35. Felin. cap. citato. num. 13.

Leges Ciuiles, quæ prohibent foeminas nubere sine consensu patris, aut fratrum, iure Canonico sublatas, vel correctas esse testantur Abba. Ancharanus, Ioann. Andr. Butri. Alex. Curt. quos refert Iul. Clar. loco citato. & Felin. cap. citato. Alij verò huiusmodi leges ratas esse docent. Barth. & alij, teste Iulio Clario loco prædicto. Certè in Authent. vt cum de Appellatione cognoscitur. Col. lat. 8. §. Causas autem, inter iustas ingrati animi causas ob quas patri liceat ab hereditate filias excludere, habetur si filia, quam pater vult nuptiis tradere, non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit, abdicari possit. Et subdit: Si à vigesimo quinto anno patremes distulerint eam in matrimonium collocare, & forsitan contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum marito se, libero tamen, coniungere, hoc ad ingrati animi vitium filia non impugetur, de his legibus Couarru. de matrim. part. 2. cap. 3. §. 8. & Doctores, in cap. 1. de sponsalibus. Ex quibus colligunt aliqui argumento à contrario sensu ducto, si filia ante vigesimum quintum annum inscijs, vel dissentientibus parentibus nupserit, eam ab hereditate repelli iure posse. Extant alicubi statuta; vt si filia clam præter parentum voluntatem nupserit, liceat parentibus, eam hereditatis iure spoliare, quæ statuta videntur approbare. Anchar. Cardinal. Ioann. Imola, quos refert Felin. cap. de Francia. de sponsalibus. num. 17. eo quod iuxta Gloss. in Clem. ne Romani, verbo tolli. de electio. lex superioris, seruari potest iussu, & auctoritate inferioris, poena adiecta: sed Canonica, & iura constituunt, ne filia nubat absque patris consensu: ergo laici possunt statuta condere etiam pœ-

iam pœna constituta in eas foeminas, quæ citra patris consensum nupserint. Hanc Glossam dicit esse singularem Felinus. in cap. de Francia citato; & Decius in cap. quæ in Ecclesiis, de consuet. Profecio dubitari non potest, quin Principes ac liberæ civitates, & Respublicæ possint foeminas, quæ se aut aliter nubunt, certis pœnis punire, quatenus Reipub. pacem perturbant, & quatenus inter cõsanguineos odia, & dissidia pariunt, & seminant, cum ad incestas, infames, indignas nuptias se transferant. Item, negari non potest quin in puellis nondum factis pronectis, & adultis nonnullum delictum sit, inconsultis parentibus matrimonium contrahere sine iusta, & debita causa: matrimonium enim res est magni ponderis, & momenti, & ratio naturalis præscribit, vt filij parentibus obtemperent, eorumque consilio regantur: & iura Canonica prohibent clam matrimonium contrahi, & cap. Aliter. 30. quest. 5. cap. honoratur. 32. quest. 2. habetur, ne matrimonia filij inane abique parentum assensu. Ex altero verò capite ius Canonicum liberam potestatem facit filijs matrimonia contrahendi, ac proinde videtur Principibus adempta facultas pœnas irrogandi filijs absque parentum consensu nuptias ineantibus. Sor. in 4. distict. 29. quest. prima, articulo 4. post conclus. 3. meo iudicio non male huiusmodi leges aliquando iustas esse testatur, si non vniuersè ferantur, sed speciatim, nimirum, ne filie magnatum, illustriumue hominum inscijs parentibus nubant. Item, ne puellæ non factis adultæ, scilicet ante decimum septimum annum, vel vigesimum sine consensu parentum, viris se tradant. Item, ne puellæ inscijs parentibus viris longè inferioris gradus, & imparis conditionis matrimonio coniungantur. Couarru. de matrimo. pari. secund. cap. 6. numer. 17. & sequentibus, late disputat, an statutum lexuè civilis valeat, qua, pœna constituitur in filiam sine consensu parentum clandestinè nubentem. Et quamvis hinc inde varias referat sententias, tandem ei subscribere videtur, quæ huiusmodi statutum, & legem approbat, quoniam licet civilia iura nihil possint statuere in ijs, quæ ad matrimonij substantiam spectant: At verò possunt, inquit Couarruuias, pœnas irrogare his, qui contrahunt nuptias iure ipso Canonico damnatas, cuiusmodi sunt clandestina matrimonia. Quid nî, inquit, possint Principes pœnis punire eum, qui contrahit incestas nuptias? Item, possunt animaduertere in vsurarios, & periuros, quamvis vsuræ, & periurij crimen sit Ecclesiasticum, ergo & in filias clam sine parentum consensu nubentes, contrahi debere, nec impediri iure posse, & septimè filias non audere eos, quos cupiunt, maritos accipere, & aliquando iniuria parentum contra fas omne opprimi. Nonnunquam inquit, eas in matrimonium collocare, parentes recusant, aut differunt, vel incuria, vel negligentia, vel auaritia, aut alijs priuatis affectibus, ne eas dotare compellantur. Interdum etiam accidit, vt parentes filias cogant eos maritos assumere, quos ipse nolent, aut quos oderunt: & non raro contingit, vt filie legis alicuius vinculo adstrictæ debeant alios maritos sibi adiungere, quam quos parentes volunt. Respondet Couarruuias, huiusmodi

leges, & statuta civilia non esse tam seuerè sumenda, sed iuxta rectæ rationis præscriptum, quod varium esse potest pro varietate temporum, locorum, rerum, & personarum.

Sunt etiam leges Ciuiles, in quibus homicidium in multis casibus impune conceditur. Constat ex lege 12. Tabularum, licuisse adulterum in crimine deprehensum perimere. Sic enim habet lex. Mochum in adulterio deprehensum necato: quæ lex teste Plutarcho, Athenis à Dracone, & Solone lata fuit: postea verò licuit maritis vxores in adulterio deprehensas, absque vlla iudicis auctoritate, priuatiò occidere. Et lege Iulia, De Adulterijs, ab Augusto posita, sicuti refert Vlpianus in Lex lege Iulia ff. de Adulterijs, adempta fuit maritis potestas interficiendi vxores adulteras, neque eis licuit quemlibet adulterum interimere, nisi vilem, aut infamem, eumque domi suæ cum vxore deprehensum; l. Marito quoque, ff. ad legem Iuliam de Adulterijs. Patri autem permissum fuit quemlibet adulterum necare cum filia etiam in domi mariti deprehensum, immò & ipsam filiam occidere simul. l. Pari, & l. Nec in ea, ad finem, ff. ad legem Iuliam, de Adulterijs, & l. Grachus, c. ad legem Iuliam, de Adulterijs. Fuit autem hoc ius patri concessum, sed marito denegatum, quia plerumque pietas paterni nominis pro liberis consilium capit: at mariti ira, & impetus facile sæuentis cohiberi, & refrinari debuit. Iure etiam Authenticorum, & constitutionum Nouellarum licuit marito quemlibet adulterum trucidare, si eum in suspecto loco cum vxore colloquantem deprehenderet, cum prius eandem propter suspicionem ter scripto admonisset, ne cum vxore in secreto, aut suspecto loco confabularetur. Authem. Licet a mari, & a uia, ff. ijs quoque, collat. 7. Authem. si quis ei, c. ad legem Iuliam, de Adulterijs.

Ex his igitur legibus constat licuisse maritis adulteros iugulare non quoslibet, sed vel viles, vel infames, aut eos, quos ob suspicionem ter per literas, siue in scriptis, admonitos, cum vxoribus in secreto, & suspecto loco colloquentes deprehenderint. Et patri similiter permissum fuisse filiam adulteram simul, & adulterum in crimine deprehensos occidere.

Dabitur igitur, an huiusmodi leges civilis sint canonico iure abrogatæ, hoc est, An maritus, qui propria auctoritate vxorem, & adulterum in crimine deprehensos priuatiò occidit, lethale peccatum admittat: Et eadem dubitatio est de patre interficiente filiam, & adulterum deprehensos in crimine. Sunt, qui negent lethale peccatum admittere, quod colligere con tendunt ex cap. Si verò. 1. de sentent. excommuni. vbi percussus Clericum in adulterio cum vxore, vel cum matre, sorore vel filia in turpi scelere deprehensum, liber ab Excommunicatione censetur: cum tamen cæteri Clericorum percussores excommunicatione feriuntur, & cap. Interfectores 33. quest. 2. homicidæ vocantur interfectores vxorum, quando vxores non erant adulteræ: ergo si adulteræ essent, mariti non dicerentur homicidæ. Et in cap. Inter hæc, & cap. Quicumque, & cap. Admonere. lex mundana refertur, ex quo liceat vxorem adulteram necare, quibus verbis videtur ius Canonicum approbare prædictas ci-

uiles leges. Deinde, fas est legem condere, qua poena mortis in adulteros constituatur: ergo sicut lex potest ministrum constituere, & adhibere, qui poenam mortis de adulteris, Magistratus imperio sumat, sic etiam potest maritum, aut patrem ministrum destinare, qui poena mortis in uxorem, vel filiam, & adulterum deprehensos in crimine animaduertant. Præterea, Princeps vel Respublica liberam potest facultatem concedere occidendi eos, qui sunt publice proscripti, quia eo ipso Respublica, singulos ciues, ut ministros constituit ad morte multandos huiusmodi criminosos. ergo potest etiam Respublica maritum, vel patrem, ut ministrum asciscere ad uxorem, vel filiam, & adulterum occidendos. *Constans tamen omnium opinio est, absque lethali peccato non licere marito, vel patri, uxorem vel filiam in adulterio deprehensam necare, & eiusmodi ciuiles leges iure Canonico esse sublatas. Nam in cap. Inter hæc 33. q. 2. dicitur, Ecclesiam mundanis hisce legibus minimè teneri, & in cap. sequenti Quicunque, inter fectioribus vxorū, poenitentia irrogatur. Et Glossa in c. Inter hæc 33. quæst. 2. docet lethali ter peccare maritum propria auctoritate occidende uxorem, etiamsi eam in ipso crimine deprehenderit. Sic etiam sentiunt Abb. Anan. Feli. Iason, Tiraq. & alij quos refert, & sequitur Couarru. de mari. par. 2. ca. 7. §. 7. nu. 9. sic etiam Theologi, vt constat ex S. Thom. 4. d. 37. q. 2. art. 2. Palu. 4. d. 37. q. 2. art. 1. Richar. 4. d. 37. art. 2. q. 1. Sor. 4. d. 37. q. 1. ar. 3. Sylu. homicidium. 1. q. 2. Ange. homicidium. 1. nu. 6. Ad id verò, quod obijcitur ex c. Si verò 1. de senten. excom. Respondeo, cum Couarruuia, ibi non dici, fas esse marito percutere adulterum cum vxore deprehensum, sed excommunicationis poenam remitti percutienti propter iustum illum dolorem, à quo pater, aut vir facile sibi temperare non potest. Nam ex eodem capite manifestè constat, fratrem percutientem Clericum cum sorore deprehensum, ab excommunicatione liberum iudicari: & tamen nulla lege ciuili, aut canonica fratri conceditur, vt percutiat virum cum sorore rem habentem, etiamsi eum in crimine deprehenderit. Item, lege ipsa ciuili, nō licet marito quemlibet adulterum cum vxore deprehensum iugulare, vel vile, aut infamem, qualis Clericus non est, & tamen in eo c. Si verò, liber ab excommunicatione censetur maritus, qui Clericum percussit deprehensum in crimine cum vxore.*

Ad aliud verò argumentum, respondeo aliud ius esse, quando Resp. liberam alicui facultatem cōcedit alterum necandi, aliud verò, cum facultatem non dat, sed impunè permittit delictum. Nam in primo casu ministrum constituit necis eum, cui liberam occidendi criminosum potestatem facit: in secundo verò non item, quia non hoc ipso, quòd poena non afficit fontes, eis facultatem delinquendi concedit. *Si quæras, quid sit iudicandum de legibus, vel statutis, quibus marito facultas datur, vt si velit, occidat uxorem adulteram publico iudicio de adulterio damnatā, & ob id morte dignam. Responderet Sor. 4. d. 37. q. 1. art. 3. huiusmodi statuta nihil cum iure Canonico naturali, aut diuino pugnare, ac proinde esse iusta, quoniam postquam adultera est publico iudicio condemnata criminis, iure, ministro tradi-*

tur, vt poena capitis secundum leges, & iura puniatur. At sicuti cui libet alteri ministro tradi potest, sic etiam marito, qui in eam tanquam iudicis minister debita legis poena animaduertat, nisi quod maritus in vxore poena capitis plebenda constituitur voluntarius minister, vt si velit, eam occidat, sin minus delictum condonata venia remittat, cum tamen ceteri ministri in puniendis criminibus non voluntarij, sed necessarij ministri sint.

Cap. XXI.

De alijs legibus Ciuilibus Canonico item Iure correctis, aut sublatis.

Extant C. De concubinis, leges, quæ concedunt, siue permittunt Concubinas, quas iura Canonica minimè permittunt. Is enim qui concubinam habet lethali peccato sese obstringit. *Contra sibi. ca. meretrices. 32. q. 4. Concubina verò est femina omni coniugij, & alio quolibet vinculo soluta, quæ tamen ab aliquo in domo, perinde ac si propria esset vxor, habetur.*

*Item, in Authen. Ex complexu C. de incestis nupt. & in Authen. licet, C. de natural. liberis. leges ciuiles extant, quibus alimenta denegantur filijs spurij, ex incesto aliove damnato concubitu natis. Concubitum siue coitum damnatum leges, & iura vocant, qui est inter eos, qui matrimonium inire iure nequeunt, tempore, quo ex eo concubitu filius concipitur. Hæ leges iure Canonico corriguntur. Nā in cap. Cum haberet, De eo, qui duxit in matrimonium, quam poll. per adulterium: filijs spurij ex incesto, & quouis damnato coitu siue congressu susceptis, alimenta præstantur, & eis debentur, etiam si eorum pater ea dari prohibeat. Quoniam naturali iure, vel saltem æquitate filius procreatus ali, educari, & conseruari debet, ne pereat, quod naturale siue æquitatis præscriptum, tū legitimis, tum spurij commune filijs, & ex damnato complexu procreatis ac, proinde nulla lege Ciuili huiusmodi ius tolli potest. Vnde in foro etiam ciuili secundum ius Canonicum, & non leges de alimentis iudicatur, vt docent Inno. Abb. Barth. Felin. Dec. Corse. Rip. Alcia. quos refert, & sequitur Coner. de matrim. par. 2. cap. 8. num. 6. licet fuerint alij, qui sententiam receperunt. Porrò ius naturale intelligitur locum habere, quando filius nō habet, vnde possit alimenta percipere. Et hinc est, vt filij dum infantes sunt, necessariò à parentibus nutrirī debeant: filij itidem, qui nec viribus nec arte, nec industria se sustentare possunt, nec aliunde vitæ subsidia habent, debent necessariò à parentibus alij, quales sunt filij cœci nati, aut amētes, aut aliqua alia ratione imbecilli, infirmi, & inepti: cæteris verò alimenta quoq; naturali quadam æquitate debentur, quamuis iustis de causis possint eis denegari, vt suo loco dicemus. *Si quæras, an etiam his alimenta sint canonico iure præstanda. Respondeo maxime, quia naturali æquitate debentur. Si iterum quæras, an si lex aliqua certam bonorū quantitatem**

titatem definiat loco alimentorum, liceat patri eam filio etiam spurio relinquere. Couarru. loco citato. numer. 10. Respondet, licere patri id facere, quamuis ipse filius habeat patrimonium, vel bona, ex quibus possit seipsum alere, ex quo fit, ut vbiuque sit lex aliqua municipalis concedens parenti liberam facultatem, ut quintam suorum bonorum partem iure alimentorum filio, cui voluerit, relinquat, pater possit, filio etiam spurio eam iure alimentorum relinquere, etiam si is filius sit aliqui ditissimus. Si itidem quaeras, an statuta sint iusta, quibus cauetur, ne parentes etiam loco alimentorum, filijs spurijis aliquid relinquunt, si aliunde habeant, ex quibus commodè sustententur. Respondet, ea esse iusta, ob communem Reipub. salutem; nam ius naturale solum præcipit, ut alimenta filijs, non aliunde habentibus præbeantur; ergo si aliunde alii queant, iustis de causis possunt alimentis spoliari. Sicut enim ob vitium ingrati animi, vel ob alia scelera filij aliunde habentes necessaria vitæ subsidia possunt alimentis iure priuari, sic etiam in detestatione, & odium damnati concubitus, iure possunt alimenta denegari filijs spurijis ex damnato cōgressu procreatis, si habeant aliunde patrimonium, bona, aut vires, vel artem, vel industriam ex quibus commodè viuunt. Et sciendum est, nō solum parentes iure compelli ad filios spurios alendos, sed etiam auos, & proauos, ac ceteros huiusmodi, si parentes eos nutrire nequeant, ut docuerit Abbas, Bartholus, Cynus, & Socinus, quos refert, & sequitur Couarruias loco citato. nu. 16. Immo etiam parentum hæredes coguntur filios spurios alere, ut ibi docet Couarruias. Præterea, alimenta filijs detrahi iure possunt eisdem causis, quibus filij possunt à parentibus hereditate spoliari, quod docet Gloffa communi consensu recepta in cap. Cum haberet, de eo, qui dicitur in matrimonium, quam polluit per adulterium, & Gloffa in l. Si quis à liberis. §. Idem Iudex. ff. De liberis agnosc. vbi similiter Gloffa tradit posse alimenta filijs ex prædictis causis denegari, non tamen que sunt præcisè necessaria ad vitæ subsidia. Que res, an his etiam alimentis iure possit filius spoliari ob ea crimina in patrem admissa, ob quæ capitalem poenā mereretur? Couarruias loco citato. n. 17. affirmat, quoniā si ob ea delicta morte dignus esset, iure quoque potest subsidijs vitæ necessarijs priuari. Nā cui vitā eripere iure possumus, alimenta quoque vitæ necessaria denegare, & adimere similiter possumus. Ea etiam lex civilis duodecim Tabularum, qua scriptum erat, è meretrice natus patrem non alito, que teste Plutarcho fuit primū à Solone lata, locum in iure Canonico, nō habet, nā pietati, quæ patri debetur, repugnat ex parte.

Leges in super civiles, quæ concedunt, ut possessor malæ fidei usu capiat, seu præscribat, ut vulgo dicitur (quæ colliguntur ex C. de præscriptione, triginta, vel quadraginta annorū. l. Cum notissimi) abrogantur in cap. vltim. de præscriptionibus, & in cap. Possessor. De Regul. Iuris in sexto, vbi dicitur: Possessor malæ fidei vltimo tempore non præscribit, ac proinde etiam longissimo tempore triginta, aut quadraginta, aut centum annorum nequit iure præscribere, & quamuis Hostien. in sum. tit. de præscript. §. que res præscribi possunt. & Barth. in l. sequitur. §. Si viam. ff. de vsu cap. & Adrian. in 4. de restit. §. hoc supposito inqui-

rendum, & alij quos citat Couarrui. in regul. possess. for. part. 2. §. 11. & libr. 1. varia. resolu. cap. 9. num. 5. putauerint leges civiles, non in totum per ius Canonicum esse sublatas, & præscriptionem in certis casibus etiam cum mala fide iure canonico, & tuta conscientia valere. Sed verior est opinio Ioan. Andreæ, Antonij, Abbatis, Felin. in ca. vltim. de præscriptione. & Couarruiæ loco citato, asserentium leges civiles, ex toto per ius Canonicum esse in hac parte correctas, & sublatas, & præscriptionem cum mala fide in vniuersum iure canonico damnari, nec vllam vim, & locum habere in foro conscientie, de qua redicam, cum de præscriptione tractabo. Illæ itidē leges civiles, quæ vsuras impunè permittunt Canonico iure corriguntur: de quibus legibus disseram suo loco, cum de vsura disputabo.

Sunt etiam leges Ciuiles, quæ licet facultatem non concedant, impunè tamen aliqua permittunt, ita ut nec ea puniant, nec in iudicio dent actionē, V. G. C. De rescinden. venditione, l. 2. permittitur ut res vendatur, vel ematur maiori, vel minori pretio, quàm æstimetur, dummodo pretium non sit minus, aut minus ultra vel citra dimidium iustæ estimationis. At in foro conscientie si res plus vendatur, aut minoris ematur, quàm valeat, restitutum est, quod ultra iustum pretium venditor accepit, vel augendum pretium ab emptore vsq; ad iustam rei ætimationem.

Leges etiam civiles, quæ constituunt, ut legatum, siue relictum in testamento non valeat nisi septem, vel quinq; testium numero confirmetur. l. Si vnus, & l. vltima. C. De testam. iure Canonico locum non habent in his, quæ legantur, & relinquuntur ad pias causas, in quibus tres, aut duo testes sufficiunt. cap. Cum esset, & cap. Relatum, De testam.

Præterea secundum leges, & iura Ciuilia ex promissione pactone nudo absque solenni iuris formula, actio non oritur, l. Inuigentium, ff. De Pactis. At in foro conscientie promissum simplex, aut nudum pactum seruare quisque debet, ca. 1. De Pactis, & c. Turamemi 3. q. 3.

Item secundum leges, promissione absentis facta per interpositam personam ius non acquiritur, nisi interposita persona fuerit in alterius potestate constituta, aut eius negocia gerat. Per seruum enim, aut filium familias, aut procuratorem ius patri, & Domino acquiritur. Insti. tit. Per quas personas nobis acquiratur obligatio. §. ff. C. De Procuratoribus, & negotiorum gestoribus. At in foro conscientie si promitto alicui, promissionem nomine alterius ratam habenti, eo ipso, me absentem obligauit. Syll. lex. q. 9. vers. 12.

Insuper leges Ciuiles constituunt, ut hæres legata ac cetera in testamento relicta ultra hereditatis facultates, soluere debeat, si inuentario non facto hereditatem adierit, & in eam se intulerit, ut constat ex l. vlt. C. De iure delibandi. At in foro conscientie si hereditas minimè sufficiat, non debet hæres contracta à testatore debita soluere, siue ex contractu, vel quasi contractu, siue ex delicto, vel quasi delicto descendat. Sic communis Doctorum opinio. Bartho. Bal. Alexan. Iason. Ioann. Andr. Anto. Abba. Felin. quos refert, & sequitur Couarrui. de testam. ca. 1. nu. 16. Syll. hereditas.

3. *quæst. 5.* quamquam Feder. *conf. 21.* & Paul. Castren. recte Covarruvia sentiunt contrarium, eo quod lex civilis iusta esse videatur, ac proinde conscientiam obstringit. Sed communis opinio habet eam legem civilem, latam solum esse ad fraudes tollendas, ergo ubi fraus in hærede non est, ea lex conscientiam non tenet.

Leges item civiles Magos, & Veneficos puniunt, sed qui incantationibus, & veneficijs vtuntur contra imbres, ventos & grandines, non modo non puniuntur, sed præmijs quoque donantur. *l. Eorum, c. De Maleficijs. Aeye rō secundum iura Canonica his vti non licet. Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 96.*

Ad hæc, secundum leges fas est, in causa sanguinis accusatorem corrumpere, *l. vlt. ff. De Prænaricator.* quod tamen secundum ius Canonicum facere nobis non licet, vt docet S. Thom. 2. 2. *q. 69. ar. 2. ad 1.* Porro an Ecclesia, vel Romanus Pontifex possit leges civiles, videlicet Imperatorum, & Regum corrigere, dicam cum de Romani Pontificis auctoritate, & potestate tractabo.

Cap. XXII.

De Priuilegijs.

PRIMO queritur, quid nomine Priuilegij intelligatur: Respondeo, Priuilegium esse legem ad priuatos homines singulosque pertinentem: nam lex in commune fertur, & ad omnes pertinet. Leges, inquit Angelus libr. 10. cap. 20. sunt generalia iussa, & de vniuersis ciuibus: at Priuilegia sunt priuata iussa, & de singulis concepta, quia Veteres Priua dixerunt, quæ nos singula dicimus. Vnde ex Iudoro cap. Priuilegia dist. 3. dicitur: Priuilegia sunt priuatorum leges, quasi priuata leges. Vocatur etiam Priuilegium ius singulare, constitutio personalis, Rescriptum, Beneficium, Diploma, Auxilium, Favor, Gratia. Et in iure Canonico Priuilegia dici solent Indulta, Immunitates, aliquando verò Priuilegium significat Prælationem, Prærogatiuam, quæ inter actiones personales vertitur, qua in debiti repetitione Chirographarij creditores alij Chirographarijs præferuntur. Priuilegiarius is dicitur, cui est aliquod Priuilegiū concessum. *l. si veniti, ff. de Priuileg. creditorum l. Rescriptum, ff. de Pænis. leg. sed an hic, ff. quod cum eo, qui in aliena potestate.*

Secundò, Quot modis Priuilegium diuidatur? Hostiensis in sum. tit. de Priuileg. & eum secuti Angelus, & Syluester in verbo Priuilegium: Priuilegiorum genera sic partiuntur vt alia sint Realia, alia Personalia. Rursus personalia, alia singulariter Personalia, & communiter quoque Personalia: alia verò singulariter personalia, sed communiter Corporalia, alia tantum communiter Corporalia. Realia vocant quæ certo generi actionis, cause, vel negotij concedantur: Item quæ in certum locum, vel dignitatem hominis conferuntur. At personalia, quæ certæ personæ: Corporalia quæ certo corpori, hoc est, Collegio, Communitati, vel Vniuersitati hominum dantur: exempli gratia Priuilegiū singulariter Personale est, quod conceditur certis personis proprijs nominibus expressis, c. volentes, de off. legat. Cōmuniter

Personale est, quod conceditur personis non expressis nominibus earum proprijs, vt Priuilegia minorum viginti annis, priuilegia militum, priuilegia scholasticorū. Priuilegium singulariter Personale, & communiter Corporale est, quod conceditur corpori, nempe Communitati, Collegio: ita tamen, vt singuli illius corporis eo priuilegio gaudeant, qualia sunt priuilegia concessa religionis ordinibus Prædicatorum, & Minorum. Priuilegium simpliciter Corporale est, quod conceditur corpori, hoc est Vniuersitati, Collegio: ita tamen, vt eo priuilegio solum fruatur ipsa Communitas, non singuli: & idem dicitur Corporale; quia conuenit ipsi corpori Communitatis, non singulis personis. Sed facis est, si Priuilegium in duas partes distribuamus, vt aliud sit Reipublicæ Personæ, nam in l. priuilegia, ff. de regulis iuri. Priuilegia aut sunt Causæ, aut Personæ, & cap. Mantua, de presump. aut loco, aut personæ Priuilegia concedi dicuntur. Rei priuilegium est, quod conceditur certo generi actionis, causæ, vel negotij, vel loco, vel dignitati. Personæ verò priuilegium est, quod in certam personam confertur, vel certo generi personarum, seu Vniuersitati, Communitati, vel Collegio hominum conceditur. Genus actionis Priuilegium habet, vt si quis agat pro interpeffis in funere factis, vel pro pecunia munito data ad refectionem nauis: aut si quis ex mora viaras petat. Quando verò Priuilegium conceditur in vniuersum certo generi personarum certis ex causis, aut ratione loci, vel dignitatis, potius censetur priuilegium rei, quam personæ; Priuilegium, quo gaudent minores viginti quinque annis, quibus datur restitutio in integrum, ff. de Minoribus, dicitur personale, sed communiter datum. Alij vocant priuilegium partim personale, quia personis concessum, partim reale, quia datum est ratione ætatis, quod etiam Priuilegium habent maiores absentes causa Reipublicæ, si ex quibus causis Maiores in integrum restituantur. Tale est priuilegium mulierum, quæ beneficio Senatus Consulti Velleiani pro alio fideiubere non possunt, ff. c. Ad Velleianum, & filiorum familiaris, qui beneficio Senatus Consulti Macedoniani iuuantur contra creditores in pecunia mutuo accepta, ff. c. Macedonianum. Sic etiam multa sunt Clericorum priuilegia, multa Religiosorum, tum Monachorum, tum Mendicantium, & Canoniorum regularium, multa Episcoporum, Principum, Nobilium, & Illustrium hominum, Militum, atque Scholasticorum: quibus Priuilegijs horum hominum singuli iuuantur, nō quod singulis illorum sint concessa, sed Dignitati, Ordini, Religioni, vel Statui, ac proinde singuli in causa, ac litibus se his Priuilegijs muniunt, ac tenentur ratione ordinis, status, conditionis, professionis, religionis, & aliorum huiusmodi. Item Priuilegium, aut est ad aliquid faciendum, aut non faciendum. Ad faciendum, vt si cui facultas concedatur, vt possit ingredi in domicilia sacrorum Virginum, vel vt possit Confessarium eligere. Ad non faciendum, vt si cui detur facultas, ne decimas soluat, ne tributa pendat, ne sibeat onera communia.

Tertiò queritur, Cuius sit Priuilegium concedere. Respondeo, Principum, cuiusmodi sunt Rex, Imperator,

Imperator, ac Romanus Pontifex, & etiam Duces, Marchiones, & Comites, qui in temporalium administratione superiorem nec habent, nec agnoscunt; nam Priuilegio, quis à lege siue iure communi soluitur, & eximitur: at leges, & iura non soluit, & relaxat, nisi Princeps, cuius sunt auctoritate sancita. Romanus Pontifex in his, quæ spiritualia sunt, potest Priuilegia dare: in temporalibus verò non absolute, & simpliciter concedit; sed in certis quibusdam causis, in quibus temporalium administratio, & iurisdictio ad ipsum iure deferretur, atque deuoluitur: quamuis in terris ditioni, & potestati Romanæ Ecclesiæ temporali subiectis possit. Reges verò, & Imperatores in his, quæ temporalia sunt, possunt Priuilegia conferre. In spiritualibus verò non item. Possunt etiam Patriarchæ, Primates, & Episcopi, Magistratus, & Ciuitates absolute Priuilegia concedere, contra statuta ab ipsis posita: contra ius verò commune non nisi in certis casibus ipso iure permittis: de quibus suo loco dicemus.

Quartò quæritur, Quibusnam possit Priuilegium concedi? Respondeo, ijs tantum, qui in ditione, & potestate illius sunt, qui Priuilegium concedit; nam Priuilegiarij à lege, & iure communi excipiuntur: Sed nemo potest quemquam lege soluere, nisi Princeps, qui eam tulit: Ex quo fit, vt nec Princeps possit omnibus in vniuersum Priuilegia dare, sed tantum hominibus suæ potestati, & ditioni subiectis.

Quintò quæritur, Quomam differat Beneficium Principis à Priuilegio? Respondeo cum Abbate in *colur. de verbo signifi. n. 7.* & ex communi consensu, Priuilegium proprie esse facultatem aliquid faciendi, vel non faciendi contra leges, canones, & iura concessam: Beneficium verò proprie facultatem datam à Principe præter, non contra canones, leges, & iura. Aliquando tamen vnum pro altero sumitur.

Sextò quæritur, An Priuilegium obitu eius, cui est concessum finiatur? Respondeo esse regulam iuris in *6. cap. Priuilegium*, vbi dicitur: *Priuilegium persona personam sequitur, & extinguitur cum persona*, Quæ regula sumpta est ex l. Priuilegia, ff. de regul. iuris, quæ sic habet: *Priuilegia, quedam cause sunt, quedam personæ; & ideo quedam ad heredem transferuntur, nimirum ea, quæ cause sunt, at quæ persone sunt, ad heredem non transferuntur.* & l. in omnibus causis, ff. de regul. iuris, sic etiam habet: *In omnibus causis id obseruatur, vt vbi persone conditio locum facit beneficium, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Vbi verò genus actionis id desiderat, ibi ad quemuis proiectionis eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij. Ex quibus regulis duo colliguntur. Vnum est, Priuilegia personæ vna cum ipsa finiri, & extingui ac proinde ad heredem, vel successores nõ transferri: Alterum est, Priuilegium rei non cum persona finire, quoniam rei, non personæ hæret; ac proinde rem, non personam sequitur; & eo ipso ad heredem, vel ad eos, ad quos res ipsa deuenerit, transmittitur, exemplo gratia. Priuilegium, quod datur patri, patrono, militi, vt condemnatur solum in eo, quod facere possunt, eum persona perit. l. sunt, qui in id. l. patronus, l. item miles, ff. de senten. & re iudica. Item, in l. maritum, & sequent. ff. soluto marim. mariti hæres extraneus condemnatur in

solidum, non habita ratione, ne egeat, cum aliqui maritus solum condemnaretur in id, quod facere potest, habita ratione, ne egeat: quoniam tale priuilegium personæ est, & cum persona extinguitur. Ex quo fit, vt si Priuilegio aliquis potiat ratione dignitatis, vel muneris, quo fungitur, ad aliam dignitatem promotus, priuilegio vti nequeat. Fit etiam, vt Priuilegium, quod dignitati adhæret, ad successorem transeat: quod verò personæ est, non item, *Gloss. in c. priuilegium, de reg. iur. in 6.*

Septimò quæritur, An Priuilegium cum reuocatur auctoritate Principis vim amittat statim, atque à Principe reuocatur, an verò quamprimò nota est reuocatio Priuilegiario? Respondeo, ex communi sententia Priuilegium personæ, si reuocetur à Principe tunc finiri, quum peruenit ad notitiam Priuilegiarij. *Sotus ibi. a. de iust. q. 1. art. 4. Medi. l. 2. q. 99. ar. 4. post conclus. 5. quare si Priuilegiarius antequam nouerit abrogatum esse Priuilegium, eo fuerit usus, nec peccat, nec debet factum rescindere.* Verbi gratia, Titius Priuilegio, quo eligere poterat Confessarium, usus, Confessarium eligit, à quo est abolutionem peccatorum adeptus antequam nosset Priuilegium esse reuocatum, nec peccauit, nec debet iterum peccata confiteri. Hoc tamen intelligitur, nisi Princeps Priuilegium velit esse abrogatum statim ab eo tempore, quo ipse reuocat, vel à certo tempore elapso, vel ab eo die, quo reuocatio Priuilegiorum fuerit publice promulgata. Reuocatio condonationum quibus peccata, hoc est, peccatorum poenæ remittuntur, quæ Indulgentiæ vocantur, antequam veniant in notitiam eorù, quibus fuerant concessæ, non nocet: *Gemin. ca. 1. de concess. preb. in 6. c. vlt. indulgentia q. 5. vers. oltbaum. Sor. & Medi. locis supra citatis.* Porro si Priuilegium sit concessum Vniuersitati, Collegio, vel cui liber alteri communitati, satis est, si ipsa Communitas certior fiat de reuocatione priuilegij, non est necesse, vt singuli fiant certiores. Si Priuilegium datum fuerit Prouincia, Ciuitati, P arochiæ, vel alteri loco, satis est, si reuocatio promulgetur in Prouincia, Ciuitate, P arochia, vel in loco. Item, si Priuilegium fuerit personale communiter corporale, vel personale singulariter, & cõmuniter, satis est, si reuocatio ita promulgetur, vt nota sit ipsi corpori communitatis, vel ordini, dignitati, statui, non oportet, vt singulis denunciatur: at quando Priuilegium est datum certæ personæ singulariter tantum, oportet, vt reuocatio ipsi nota sit, & ipsi nunciatur.

Octauò quæritur, An Priuilegium amittatur, si Priuilegiarius eo per decennium non vtatur? Respondeo, quodcumque, Priuilegium est personæ priuata, siue publicæ, vt Ciuitati, Vniuersitati, Collegio datum, & est facultas aliquid faciendi, amittitur, si is, cui est data facultas, per decennium eo Priuilegio non vtatur. *Glossa, & Cynus, Salicetus, Bartholus, Abbas, ac cæteri Ciuilibus, & Canonici iuris interpretes, quos citat, & sequitur lafon in l. falso, c. de diner. rescript. quorum sententia colligi videtur ex l. a. ff. de Nundinis, vbi ciuitas beneficium Principis de nundinis faciendis amittit, si per decennium eo non vtatur.* An notat tamè lafon vna cum reliquis, videlicet *Glossa*

est *privilegium Clerici*, quod est in Canone: Si quis suadente 17. quast. 4. vbi excommunicatione feriuntur ij, qui perculserint clericum. Ceterum Abb. *cap. si diligenti, de foro competen. nu. 7.* Barth. in *l. ius publicum ff. de pactis*, & in *l. si quis in conferenda, C. de pact. fufius*, & clari ius quæstioni propofita respondent. Si ius, inquit, est naturale, vel diuinum, nemo potest renuntiare, vt ex *l. ius sanguinis ff. de reg. iuris*, & *l. ius agnationis ff. de Pactis*: Quamuis iure gentium quæfito cedere quis possit: nam quilibet suæ rei dominium deponere potest, & hereditati paternæ renuntiare, *C. de repudianda hereditate*: & quisquam potest seipsum vendere, & proinde se libertate priuare, & potest etiam se honore, & fama spoliare. Quod verò ius scriptum certam in humanis actibus formulam prescribit, tum inquit, nemo potest huic iuri renuntiare; quale est ius, quod certum numerum testium in testamentis, & in vltimis voluntatibus requirit, vel quod in pactis, stipulationibus, & contractibus certum modum constituit, vt colligitur ex *l. Nemo potest ff. de legatis 1.* & *l. contra iura ff. de Pactis*. Quando itidem ius est publicum, hoc est tale, vt ad salutem, & vtilitatem publicam pertineat, nemo potest eo iure cedere, *l. ius publicum ff. de Pactis*. Quando verò ius ad priuatos in commoda spectat, tunc aut solum continet priuatorum commodum, videlicet eorum dicitur, quibus privilegium conceditur, aut ipsorum simul, & alicuius alterius, aut priuatum simul, & publicum. Si tertium, non potest quis huic iuri renuntiare, eo quod cedit in damnum publici boni: pari ratione si privilegium in iudicio fuerit, nempè si continet commodum, non solum eius, qui renunciat, sed etiam alicuius alterius, nõ enim renunciatio nocere potest alteri; in cuius commodum privilegium concessum est, vt ibidem docet Abbas. Si verò primis, aut illud ius est promissum constitutum ob bonum priuati hominis, aut in odium alicuius alterius. Si primum, videndum est, an illud ius constar imbecillitati hominum, & tunc renunciatio non valet, eo quod esset contra bonos mores. Idè quoque dicendum, si renunciatio iuris occasionem delinquendi præberet. Si autem bonis moribus renunciatio iuris nõ obstat, nec aliquos ad peccandum inducat, valet renunciatio. Si speculiter roges, an rata sit renunciatio, qua mulier iuri Velleiano renuntiat? Glossa, teste Abbate *cap. citato*, affirmat, eo quod eiusmodi privilegium est simpliciter in bonum, & fauorem mulierum. Sed Cynus, & Bartholus, quos citat, & sequitur Abbas *cap. si diligenti, de foro compet.* negant valere, eo quod, tale privilegium est mulieribus concessum ob earum facilitatem, ne temere se alijs obligent. Insuper, si quæras de Privilegio Macedoniano, an valeat renunciatio in filiis familias? Glossa communi consensu recepta, quam citat Abbas, loco prædicto, negat valere, quia huiusmodi privilegium non solum est concessum ob bonum filiorum, & parentum, sed etiam in odium creditorum, qui sæpè filios inducebant ad necem parentum, vt pecunias sibi debitas recuperarent. Similiter etiam minores renuntiare nequeunt Privilegio, & beneficio restitutionis in integrum: non solum, quia sit in odium contrahentium cum minoribus, sed etiam, quia huiusmodi Pri-

est *privilegium Clerici*, quod est in Canone: Si quis suadente 17. quast. 4. vbi excommunicatione feriuntur ij, qui perculserint clericum. Ceterum Abb. *cap. si diligenti, de foro competen. nu. 7.* Barth. in *l. ius publicum ff. de pactis*, & in *l. si quis in conferenda, C. de pact. fufius*, & clari ius quæstioni propofita respondent. Si ius, inquit, est naturale, vel diuinum, nemo potest renuntiare, vt ex *l. ius sanguinis ff. de reg. iuris*, & *l. ius agnationis ff. de Pactis*: Quamuis iure gentium quæfito cedere quis possit: nam quilibet suæ rei dominium deponere potest, & hereditati paternæ renuntiare, *C. de repudianda hereditate*: & quisquam potest seipsum vendere, & proinde se libertate priuare, & potest etiam se honore, & fama spoliare. Quod verò ius scriptum certam in humanis actibus formulam prescribit, tum inquit, nemo potest huic iuri renuntiare; quale est ius, quod certum numerum testium in testamentis, & in vltimis voluntatibus requirit, vel quod in pactis, stipulationibus, & contractibus certum modum constituit, vt colligitur ex *l. Nemo potest ff. de legatis 1.* & *l. contra iura ff. de Pactis*. Quando itidem ius est publicum, hoc est tale, vt ad salutem, & vtilitatem publicam pertineat, nemo potest eo iure cedere, *l. ius publicum ff. de Pactis*. Quando verò ius ad priuatos in commoda spectat, tunc aut solum continet priuatorum commodum, videlicet eorum dicitur, quibus privilegium conceditur, aut ipsorum simul, & alicuius alterius, aut priuatum simul, & publicum. Si tertium, non potest quis huic iuri renuntiare, eo quod cedit in damnum publici boni: pari ratione si privilegium in iudicio fuerit, nempè si continet commodum, non solum eius, qui renunciat, sed etiam alicuius alterius, nõ enim renunciatio nocere potest alteri; in cuius commodum privilegium concessum est, vt ibidem docet Abbas. Si verò primis, aut illud ius est promissum constitutum ob bonum priuati hominis, aut in odium alicuius alterius. Si primum, videndum est, an illud ius constar imbecillitati hominum, & tunc renunciatio non valet, eo quod esset contra bonos mores. Idè quoque dicendum, si renunciatio iuris occasionem delinquendi præberet. Si autem bonis moribus renunciatio iuris nõ obstat, nec aliquos ad peccandum inducat, valet renunciatio. Si speculiter roges, an rata sit renunciatio, qua mulier iuri Velleiano renuntiat? Glossa, teste Abbate *cap. citato*, affirmat, eo quod eiusmodi privilegium est simpliciter in bonum, & fauorem mulierum. Sed Cynus, & Bartholus, quos citat, & sequitur Abbas *cap. si diligenti, de foro compet.* negant valere, eo quod, tale privilegium est mulieribus concessum ob earum facilitatem, ne temere se alijs obligent. Insuper, si quæras de Privilegio Macedoniano, an valeat renunciatio in filiis familias? Glossa communi consensu recepta, quam citat Abbas, loco prædicto, negat valere, quia huiusmodi privilegium non solum est concessum ob bonum filiorum, & parentum, sed etiam in odium creditorum, qui sæpè filios inducebant ad necem parentum, vt pecunias sibi debitas recuperarent. Similiter etiam minores renuntiare nequeunt Privilegio, & beneficio restitutionis in integrum: non solum, quia sit in odium contrahentium cum minoribus, sed etiam, quia huiusmodi Pri-

Nonò quæritur, Quo pacto privilegium per sententiam iudicis amittatur? Respondeo, in c. Suborta, De sententia, & re iudi. ad finem sic haberi: Si præfati Innocentij Privilegium Alexandro fuit in iudicio præsentatum, & ipse tulit sententiam contra illud, intelligitur reprobasse, vbi Glossa ait: Instrumentum dicitur reprobatum eo ipso, quod cum iudici ostenditur, contrarium iudicatur. Sic etiam testis reprobatur eo ipso, quod iudex contra eum iudicat: & quæstio falsi, eo ipso, intelligitur reprobata, quod iudex contrarium iudicat. Hæc ibi Glossa. Pari ratione si Privilegium in iudicio fuerit Principi exhibitum, & nihilominus contrariam sententiam tulerit, censetur exclusum.

Decimò quæritur, Quando quis possit suo privilegio cedere? Hanc quæstionem tractat Glossa in *cap. si diligenti, de foro competen. verbo, pacto priuatorum*, vbi in hunc modum distinguit. Aut ius, inquit, est simpliciter constitutum in fauorem, & commodum alicuius, & is potest suo iuri cedere, vt *l. Pacisci ff. de Pactis*, non obscure traditur, vbi licet iura dent facultatem agendi pro animali morbofo, litigantes tamen possunt pacisci, ne agant. Et idem colligitur ex *l. Pactum inter heredes ff. de Pactis*, & *l. 1. de ferijs*, & *l. si index ff. de Minoribus*. Aut Privilegium conceditur in bonum quidem, & commodum quorundam, ob publicam tamè vtilitatem, nimirum in aliorum odium: & hoc Privilegio cedere non potest: cuiusmodi est Privilegium ne Clerici conueniantur coram Magistratu Ciuili, & Privilegium Macedonianum filiorum familias; Ne creditoribus obligentur ratione mutui: & Privilegium Minorum, quibus conceditur beneficium restitutionis in integrum. Aut Privilegium datur alicui ob publicum bonum, quamuis cedat etiam in bonum eius, cui conceditur, & quamuis in aliorum odium, & penam concessum non sit, & hoc Privilegio nemo etiam cedere potest, quale

uilegium est minoribus concessum ob imbecillitatem ipsorum.

Vndecimò quæritur, An pereunte, vel diruta re, cui Priuilegiū in hæret, pereat quoque Priuilegium, etiam si iterū res ea in pristinū statum restitatur. Verbi gratia diruitur quædā sacra, vel perire ciuitas, an pereant, & desinant omnia quoque Priuilegia, etiam si ea ædes iterum exædificetur, aut Ciuitas reparatur? Respondent Innocent. in c. 2. de noni oper. nunciat. Glossa in cap. Priuilegium de reg. iuris in 6. Syluest. verbo ciuitas. q. 2. Si Ciuitas aliaue loca siue sacra, siue profana, auctoritate Principis diruantur, eorum Priuilegia extinguntur, nec amplius dici possunt illius Ecclesiæ Clerici, aut illius oppidi ciues, vel municipes, vt colligitur ex cap. Placuit de consecrat. dist. 1. 1. cap. Et hoc dicimus 16. quæst. 7. Si verò loca euerantur ab hostibus, aut tyranno, vel diruantur, vt iterum exædificentur siue reparentur, omnia sua Priuilegia retinent, vt colligi potest ex cap. Pastoralis 7. quæst. 1. cap. Qui semel 19. q. 3. Idem iuris esse videtur, si auctoritate legitima superiorum loca mutantur, aut cum alijs coniungantur, vt notatur in cap. 1. ne Sede vacante, c. 1. quia monasterium, de relig. domib.

Duodecimò quæritur, Quot modis Priuilegium irritum reddatur, de hac quæstione Glossa 25. quæst. 2. in principio. Syluest. verb. priuilegium q. 10. Respondeo, multis. Primò, si per subreptionem fuerit impetratum, nimirum, quando impetratio fallam causam suggerit, ob quam tanquam veram, Priuilegium conceditur, cap. literis, de rescriptis. Secundò, si Priuilegium sit contra constitutionem, & de ea nulla fiat mentio, vt colligi potest ex cap. constitutus, de rescript. Idem iuris est, si sit contra consuetudinem, de qua mentio non fiat, cap. 1. de Constitutionibus in 6. Idem etiam est, si sit contra sententiam latam, de qua etiam nulla facta sit mentio, cap. inter dilectos, de fide instramentorum. Tertio, secundum Priuilegium, si speciale sit, contra primum aliud speciale impetratum non valet, si de primo non sit facta mentio: Vnde primum suam vim retinet. Si in secundo fiat primi mentio, valet secundum, non primum, cap. Ceterum, de rescript. cap. Inter Monasterium de senten. & re iudic. cap. Cum ordinem, de rescript. Si quæras, Quid iudicandum, si primum sit generale, & secundum speciale? Respondeo cum Hostiensis, quem citat, & sequitur Syluester contra aliquos alios, valere secundum, etiam nulla facta mentione priuilegij generalis, quia speciale Priuilegium, & mandatum derogat generali, ca. 1. cap. Pastoralis, de rescript. cap. Si diuisi de officio Legati, Et similiter speciale mandatum, seu Priuilegiū non tollitur per generale subsequens, nisi de eo mentionem fecerit, cap. Cum ordinem, cap. Abbatem, de rescript. nam semper species derogat generi, siue præcedat, siue sequatur. Glossa tamen in cap. 1. de rescriptis docet, in vniuersum in priuilegijs primum valere, quoties secundum primi mentionem non fecerit, & probat ex cap. Veniens, de prescriptioni. oppositum docet Abbas in c. 1. de rescript. n. 14. vt statim subus explicabo. Quæres, Quid sit dicendum, cum Priuilegium fuerit concessum cum clausula, quod reuocatum non censetur, nisi fiat mentio de eo de verbo ad verbū? Fingamus esse Apostolicum Priuilegium concessum certo monasterio sacra-

rum Virginum, ne cogi possint contribuere aliquid ob Legatorum, vel Nunciorum Apostolicorum procuracionem, vel ob bellum contra hostes Christiani nominis, vel ob aliam causam publicam, etiam si in literis Pontificijs exprimat, vt omnes cogantur contribuere, tum exempti, tum non exempti, nisi de prædicto Priuilegio fiat mentio ad verbum, & postea Rom. Pontifex concessit aliud Priuilegium, vt omnes exempti, & non exempti cogantur contribuere nõ obstantibus priuilegijs quibuscunque etiam dicentibus, vt de illis fieri mentio de verbo ad verbum debeat, quæritur, an primum Priuilegium sit reuocatum per secundum, hanc quæstionem tractat Abbas, c. cum instantia, de censib. num. 5. & ait Federicum in cons. 225. sensisse primum Priuilegium per secundum non esse sublatum: quia de primo debet fieri mentio in secundo, sed postea in cons. 46. sententiam mutauit. Vnde cum Abbate dicendum est, primum Priuilegium per secundum reuocari, eo quod secundum contineat plenissima verba reuocantia omnia priuilegia antecedentia, & quia fieri non potest, vt Rom. Pontifex memor sit omnium Priuilegiorum, cum in facto consistant.

Decimotertio quæritur, Generatim quando duo priuilegia sunt sibi contraria, vt hanc quæstionem valeat, prius an posterius: hanc quæstionem tractat Glossa 25. q. 2. in princip. & alia Glossa vltima in c. 1. de rescript. Abb. in cap. 1. de rescript. num. 14. Respondeo cum Abbate esse distinguendum, aut vtrumque est generale, aut vtrumque speciale, aut prius generale, & posterius speciale, aut prius speciale, & posterius generale. Si prius generale, & posterius speciale, prius abrogatur, & valet posterius etiam nulla mentione prioris facta: nam speciale derogat generali, ca. 1. cap. Pastoralis, de rescript. Si prius est speciale, & posterius generale, valet prius, nõ posterius, quia species derogat generi, siue præcedat, siue sequatur. Si prius est generale, & posterius itidem generale, tunc aut vtrumque est in iure communi contentum, & posterius derogat priori; quoniam Princeps ius comune nosse probabiliter creditur: sicut etiam lex secunda derogat primæ, quando est illi contraria cap. 1. de constit. in 6. aut neutrum est in iure communi, & tunc valet primum, quoniam Princeps iudicatur ignorare, quod non in iure, sed in facto consistit, aut vnum in iure continetur, alterum non item, & valet, quod est extra ius: Si verò vtrumque est speciale, idem dicendum est, quod dixi, quando vtrumque est generale.

Decimoquarto quæritur, Quot modis Priuilegium finitur, ac desinat? Respondeo multis modis. Primò elapsu temporis, quod est in priuilegio constitutum, l. Quoties C. de precibus Imperatoris offerendis. Secundò, si Priuilegiarius faciat contra illud, quod in priuilegio concessum exprimitur: nam ipso facto priuilegium extinguitur, cap. Porro, cap. Recipimus, de Priuileg. Tertio, cessante causa Priuilegij, finitur quoque Priuilegium, cap. Cessante, de Appellatio. Quarto, Cum Priuilegium incipit esse alicui perniciosum, præsertim ei, in cuius honorem est datum, cap. Suggestum, de Decimis, cap. Quid per nonale, de verbo, signific. habet enim regula iuris: Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

Cap. XXIII.

Alia questionēs de Priuilegijs diluuntur.

Primo quæritur, Quisnam possit Priuilegium interpretari? Respondeo cum Hostien. in sum. titu. de priuileg. distingui oportere. Nam si verba sunt obscura, dubia, vel ambigua, ei est interpretari, cuius est cōcedere, & interim negotium, vel causa differtur. l. si imperialis. c. de legibus. & cap. Inter alias; de sententia excom. Si verò nec sint obscura, nec dubia, nec ambigua, Priuilegij tenor debet diligenter inspicere, & seruari, cap. Porrò, & cap. Recepius, de Priuileg. Si quæras, an tunc potius sit menti concedentis, quam verbis Priuilegij inhærendum? Respondet Syluest. priuileg. q. 3. potius esse menti adherendum, ex c. Marcion. 1. q. 1. c. sedulo, dist. 33. & cap. Intelligentia, & c. In ijs, de verb. signifi. vbi dicitur non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, & non intentio verbis, sed verba debent intentioni deferuire. Gloss. & Abb. in c. Propterea, de verb. signifi.

Secundò quæritur, Quo modo Priuilegium interpretari debeamus? Respondeo, in hunc modum esse interpretandum, vt docet Syluest. priuilegij q. 3. ex Hostien. In primis, interpretatio Priuilegij, sicut & legis, locum habet, vbi verba sunt obscura, incerta, dubia, & ambigua. Vbi verò nulla est in verbis ambiguitas, interpretatio nõ permittitur. l. ille, au. ille, ff. de legat. 3. Vnde longè aliud est Priuilegium interpretari, atque ad aliud trahere, siue prætere: tunc enim Priuilegium interpretatur, cum quod est in eo positum verbum obscurum, vel ambiguum, declaramus. Priuilegium verò pretendimus, cum ad aliud quippiam quamuis cognatum, vel simile trahimus. Quando Priuilegium non est contra Canones, leges, & iura, sed solum præter iura debemus plenissime interpretari: tunc enim potius est Principis beneficium, fauor, & gratia, quam Priuilegium concessum, & tunc locum habet, quod dicitur in l. Beneficium, ff. de constitutionibus Principum, & ca. Quia circa, de Priuileg. & cap. dilecti, ad finem, de donationibus, & cap. olim, de verborum signifi. in quibus locis habetur, Beneficia Principum plenissime interpretari debemus. Non autem dicitur: Priuilegia Principum auctoritate concessa, & data; ita Innocen. & Glossa, & Ioannes Andreas, Burius, & Abbas in cap. olim, de verborum signifi. Quando Priuilegium est contra ius commune, stricte interpretari oportet, vt quam minimum iuri communi deroget; vt colligitur ex l. Quæritur, c. de precibus Imperatori offeren. & l. si quando, c. de inofficioso testamento, & cap. 1. & 2. De filijs Presbytero, ca. quod dilectio, de consanguinitate, & affinitate, & sic Innocen. & Glossa, & Ioannes Andreas, Burius, & Abbas in loco supra citato. Item, Priuilegium est stricte interpretandum, si cedat in detrimentum alterius, vt colligitur ex l. 2. Merito, ff. Ne quid in loco, & sic Innocen. & alij auctores supra citati. Vnde Romanus Pontifex licet alicui Priuilegium concedat, nõ tamen vult, vt eo vutur cum alieni iuris iactura, & damno, cap. Ex iurum, de auctoritate, & vsu pallij, cap. licet, de officio ordinarij, & cap. licet, de translat. Præterea, Priuilegium in rebus ambitionem sapientibus stricte est interpretandum. Et hinc fit, vt Rescripta, Mandata, & Priuilegia in Beneficijs Ecclesiasticis pres-

sius, & arctius interpretari debeamus; præsertim cum conceduntur ad plura Beneficia obtinenda: Abb. loco supra citato, & Gloss. in c. Quamuis, de preb. in c. Ex quo fit, vt cum conceditur facultas alicui non legitime nato ordines suscipiendi, locum tantum habeat in minoribus, nõ in maioribus ordinibus; & cum fit illi potestas, vt ad Beneficia Ecclesiastica eligi, & promoueri queat, fieri tantum censetur ad Beneficia simplicia, non autem ad Dignitates, vel ad Beneficia, quibus est animarum cura coniuncta.

Item, quando Priuilegium est odiosum, quale est Priuilegiũ ad lites concessum, stricte, & presertim interpretatur, quia præbet causam litigandi, & alios vexandi, & frequenter minuit, restringit, & potestatem inferiorum Iudicum, & Magistratum. Item, si Priuilegiũ aliqua ex parte peccandi occasione afferat, & præbeat, vel iuri naturali, diuino, vel gentium obstat videatur; stricte etiã est interpretandum, vt cũ datur alicui facultas eligendi Confessarium, qui ipsum absoluat a casibus, aut cõsuetis referuatis, solum datur, vt absoluat a peccatis ante commissis, aut cõsuetis ante contractis, nõ autem in posterum committendis, aut contrahendis; hæc enim facultas aniam præberet liberius, faciliusque peccandi. Similiter cum datur facultas, vt lis, vel causa ad certos Iudices deferatur omni appellatione remota, stricte oportet eã interpretari, quia adimit ius, quod quisque habet sese defendendi, ac proinde appellandi, videlicet omni appellatione iniusta, inuoluta, & inani, non tamen remota iusta, & rationabili. Sic etiam cũ conceditur Priuilegium, ex quo probabiliter aliorum offensus oritura videatur, ad stricte, non laxam interpretationem est renouandum. Vnde Pontifex in c. Quod dilectio, de consanguinitate, & affinitate, non vult, vt Priuilegium a se concessum vim habeat, eò quod loci cõsuetudini cum offensione multorum, nocere dicebatur. At verò Priuilegium nõ debemus ita presertim, & stricte interpretari, vt nihil operetur, & proficit, vt est communis omnium sententia in cap. 1. & cap. causa, de rescriptis, & cap. in his, de Priuileg. Præterea, Priuilegium, quod non derogat iuri communi, sed tantum consuetudini, vel statuto in aliquo loco recepto, plenissime est interpretandum, si nulla inde aliorum offensus existat. Sic Ioan. Andr. in cap. olim, de verborum signifi. Verba itidem Priuilegij Romani Pontificis auctoritate concessi, interpretari oportet secundum Canones, non secundum leges, iuste Baldo in l. si quando, c. de bon. vacantibus, lib. 10. Item, vt ait Bartolus in l. ex militari, ff. de milit. priuilegia sunt interpretanda iuxta conditionem, & statum personæ cui conceduntur. Præterea, si sint Priuilegia concessa, vel ratione fidei, & religionis, vel gratia Religionosorum, aut miserabilium personarum, sunt etiam plenissime interpretanda. Postremo, Priuilegium nõ potest ad aliud, quamuis simile, trahi, & extendi, vt colligi videtur ex cap. vlt. de preben.

Tertiò quæritur, Quidnam operetur, & proficit Priuilegium, quod continet ius commune? Respondeo cũ Hostien. in sum. titu. de Priuileg. aliquando id genus Priuilegia concedi, vt quis ad ius commune restituatur. Verbi gratia, Titio interdicitum fuerat, ne appellaret, datur ei postea facultas appellandi. Item, fuerat alicui datum præ-

ceptum,

ceptum, ne de suis rebus liberè sterneret, postea verò libera sit ei potestas sua bona administrandi. Aliquando conceditur Priuilegium ius tantum commune continens, quia conceditur gratia postulantis. Vnde in cap. *Quia in causa*, de procuratoribus, cum vniuersitas Scholasticorum Parisiensis postulasset à Romano Pontifice liberam facultatem agendi, & respondendi in Iudicio per Procuratorem: respondit Pontifex: Licet de iure còmunì hoc facere valeatis; instituenti tamen Procuratorem super his, auctoritate presentium vobis concedimus facultatem.

Interdum etiam Priuilegium petitur ad faciendum id, quod alioqui iure communi nobis facere licet, ob scrupulos penitus excutiendos ex animo, cum alioqui de iure communi dubitaretur. Imò etiam aliquando petitur, quia ius commune ignoratur. Præterea, Priuilegium plerumque confertur; quia ius commune seruari non solet. Vnde in c. *In nouamus*, de Treug. & Pace, ait Pontifex: In nouamus, vt Presbyteri, Monachi, Còuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici, euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, vel animalia, quibus arant, & semina, quæ portant ad agrum, congrua securitate lætentur.

Postremò, Priuilegium continens commune ius, debet ita intelligi, vt iuri communi aliquid addat; quam sententiam testatur Felinus esse Hostiensis, & omnium: *quæ colligi videtur ex cap. In his*, de Priuilegiis. *ibi ita docet Abbas ex sententia Bartoli, & Innocentij*. Vt si Episcopo Priuilegium conceditur, vt testari queat, intelligitur de bonis ratione Ecclesie, cui præest, quæ sitis; non de patrimonialibus, de quibus iure communi Episcopus testari potest. Sic clausula in rescriptis apposita, *Omni exceptione, vel appellatione semota*: non intelligitur de iusta. Facultas data Episcopo creandi nouam Dignitatem in Ecclesia sibi commissis, censetur data, vt id faciat etiam sine consensu Collegij Canonice. Facultas auctoritate Romani Pontificis data Monacho testandi, ita intelligitur, vt testetur de bonis, quæ re ipsa possidet. Mandatum Pontificium de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, pretenditur etiam ad Canonicatum, si in ea non sunt alia Beneficia. Si Princeps concedat alicui Iudici ius inquirendi, & animaduertendi in aliquos fontes, de ijs intelligitur, in quos inquirere, & animaduertere alioqui nõ poterat; quòd si conceditur ius, vt cognoscat delicta, quæ alioqui ante poterat, intelligitur, vt in ijs delictis procedere queat, etiam fama publica non præcedente. Satis autem est, si Beneficium, vel Priuilegium aliquid operetur contra, præter commune ius, licet id sit modicũ: in reliquis enim restringendum est, non laxandum contra ius, teste abate in c. *testificari*, nu. 10. de Sepul. & Decio in cap. 1. de rescriptis. Nauar. in *Manna*, cap. 12. nu. 79.

Quarto queritur, An Priuilegium obitu concedentis finiatur? Ratio dubitandi est, quia mandatum obitu mandatis extinguitur, l. *Mandatum C. Mandati*, & cap. *Gratum*, & c. *Relatum*, de offic. Iudic. deleg. & facultas ab Episcopo data Beneficiario in sua Ecclesia non commoranti, finitur, & definit morte concedentis Episcopi, vt ait Glossa in cap. *penult. de Cleric. non residen. ver. Licentia*. Facultas itidem eligendi Confessarium, alicui concessa ab Episcopo,

obitu etiam ipsius Episcopi extinguitur: vt docet *Abbas in cap. penult. de offic. Lega. num. 9. Antonin. par. 3. tit. 17. cap. 9. vers. vlt. Syluest. Confessor. 5. q. 7. Respondet Nauar. de penit. dist. 6. cap. Placit. nu. 161. & consil. 1. de Priuilegiis. Priuilegium obitu concedentium non finitur: nam Priuilegia Principis sunt perpetua 25. q. 2. cap. 1. & 2. Priuilegium, est fauor, & gratia; at gratia morte Principis concedentis non desinit, vt colligitur ex cap. *Si cui nulla*, de Præben. in 6. & cap. *Si super gratia*, de offic. Iudic. deleg. in 6. Sicut etiam Glossa docet in *Clem. Dudum §. Statuimus*, de sepulturis. Teste etiam Innoc. in c. *Quod translationem* de offic. legati communi consensu recepto. peccatorum condonationes, quæ indulgentiæ vocantur à Legato concessæ, finita eius legatione non desinunt. Fatemur igitur, Mandatum obitu mandantis extingui; facultatem verò Gratiam, & Priuilegiũ à Principe concessum, non item: cuiusmodi est Priuilegium ab Episcopo concessum Parocho ad septennium, quo possit ab Ecclesia abesse ratione studij. Glossa in ca. *Cum ex eo*, de elect. in 6. verb. *Septennium*; & facultas suscipiendi ordines à quocunque Episcopo malueris. *Cardinals in Clem. vlt. de elect. q. 5.* & facultas sacrificij Missæ offerendi in domo aliqua priuata. Nec Glossa, aut Abbas contrarium docuerunt; quoniam illi tantum loquuntur de facultatibus, & priuilegijs, quæ Episcopi concedere nequeunt in perpetuum, quia essent cum damno Ecclesie, vel alterius.*

Quæres quid dicendum sit de Priuilegio, quo Titius auctoritate Romani Pontificis à iurisdictione Episcopi sit exemptus, donec illud Priuilegium ipse Pontifex abroget, aliudue decernat. an scilicet obitu Pontificis huiusmodi priuilegiũ finiatur? Respondeo cum Nauar. consil. de priuilegiis, illud non finiri: tum quia Pontifex non abrogauit, nec aliud constituit: tum quia priuilegium, vt diximus, obitu concedentis non cessat, & desinit. Si secundo roges, an si Priuilegiũ à Principe concedatur in hunc modum: *Sis liber, & immunis à tributo; aut, facultatem tibi do Confessarium eligendi, vel aliquid aliud faciendi, donec decelesero, morte Principis finiatur?* Ratio dubitandi ex vna parte est, quia particula, *donec*, certum tempus præscribit: At ex altera parte nõ videtur Priuilegium obitu Principis finiri, cum sit fauor, & gratia. Respondeo, particulam, *donec*, frequenter curtum tempus, & definitum designare: quamuis interdum solet ideò apponi vt infinitũ tempus significet, videlicet, vt id, de quo dubitari poterat, tanquam certum habeatur, & reliquum tempus, de quo ambigi non potest, tanquam certum relinquatur. Vt si dicam, Titius hæreticus donec vixit, poenitentiam non egit, non significo, Titium post obitum suum poenitentiam egisse; sed, nunquam de suis peccatis doluisse. Cæterum, prædictum Priuilegium, de quo est questio, post Principis mortem non durat: quoniam cum dicit, *Donec decelesero*, significat se concedere Priuilegium, vt duret tantummodo per totum ipsius vitæ tempus.

Quinto queritur, An facultas aliquid faciendi per priuilegium data, primo actu finiatur, videlicet, cum datur alicui facultas, qua possit in Ccenobium sacrarum Virginiũ ingredi. Queritur, an possit intrare quoties voluerit? De hac qua-

sione

thone late tractat Felinus in cap. 2. de Treng. & Pace, Rochus de Iure patrona. verbo Honorificum, q. 10. Naua. in cap. Placuit, de penit. q. 6. m. 166. Respondet Felinus in odiosis, & poenalib. finiri, & desinere. Nam in l. dotis promissio, ff. de iure dotium, l. Bones, §. Hoc sermone. ff. de verb. signific. sermo simpliciter prolatus videtur primo actu finiri, hinc est, vt dotis promissio de primis nuptijs tantum intelligatur. Cum datur facultas alicui, vt duo simul beneficia obtinere queat, ad duo tantum prima protenditur, c. Non potest, de Preben. in 6. cum datur facultas, vt veniat in Urbem is, qui est publice scriptus, semel tantum venire potest. Bartolus l. 1. ff. ad legem Iuliam de adul. Potestas arbitro data in copromisso de prorogando termino compromissi, in prima prorogatione desinit. Potestas ingrediendi in Coenobium Sanctimonialium, in primo ingressu finitur. Facultas data Patrono laico, qua possit, postquam vnum Clericum nominauit, designauit, & obtulit instituendum, alium nominare, designare, & offerre, ex cap. Quod autem, de Iure patrona, in prima nominatione finitur. Calderinus conf. 16. de iure patrona. Felinus in cap. Omnes leges, de Treng. & Pace. At in ijs, que odium, poenam, vel onus, aut detrimentum no continent, facultas data non in primo actu finitur, & extinguitur; vt si alicui sit data facultas Confessarium eligendi, vt annouit Palu. in 4. dist. 17. q. 3. & Paludanum Nauarrus secutus, quamuis oppositum docet Felinus. Sed Felinus intelligit simplicem sine priuilegio facultatem, que datur alicui, vt confiteatur, cui voluerit: Nauarrus intelligit facultatem eligendi Confessarium datam in modum, & formulam priuilegij, & ita vterque verum docet. Facultas legendi libros, quorum lectio est interdicta; facultas edendi cibos prohibitos in diebus ieiuniorum; potestas sacrificium offerendi in domo priuata, primo actu non desinunt. Item quando res aliqua, natura sua, vel more postulat iterationem, vt si testator precepit heredi, vt vestiat, vel alar viduam, intelligitur, donec fuerit vidua, nec sufficit eam semel vestire. Si quis legauerit alimeta vxori Titij, intelligitur legasse etiam secundae vxori: secus si Titius vxori suae, nam intelligi tunc creditur Legatum tantummodo relictum vxori, quam tunc habebat. Si quis instituat posthumum, censetur instituisse plures, si fuerint. Si testator reliquit domum suam, vt in ea habitaret filia sua vidua, intelligitur etiam si postea nupta, secundo in viduitatem deuenit. Hæc Felinus. Item, si facultas data sit ad certum tempus, non finitur in primo facto intra illud tempus, vt si relinquitur v. susfructus alicui, dum vixerit: Si data sit facultas eundi, & redeundi, dum pax, & concordia inter aliquos sit: Si facultas Procuratori detur, vt appellet, dum lis non componitur, & dirimitur. Si facultas detur alicui, vt diuinis, & sacris officijs interesse queat tempore, quo sacris templum est interdictum. Ex his perspicitur, quid sit dicendum in multis rerum euētis, de quibus dubitari solet. Facultas data Patribus Concilij Generalis, de eligendo loco, in quo Concilium celebretur, intelligitur data ad eligendum semel duntaxat. Si quis emit fructus, qui ex prædio aliquo percipiuntur, intelligitur emisse primos tantum. Baldus que sequitur loco citato Felinus. Potestas data arbitran-

di, censetur data ad semel arbitrandum. Idem Felinus. Si testator instituit, vt elemosyna erogetur in die S. Laurentio sacra, semel tantum danda est. Bartolus cui subscribitur Felinus loco prædicto. Facultas data Monacho, vt possit Procurator esse, intelligitur data vt semel tantum sit. Sic etiam facultas data, vt quis abesse a loco possit: si promitto dare in Calendis, videor intellexisse primas proximè venturas. Si Princeps Priuilegium confert tibi, & heredi, in primo hærede extinguitur Priuilegium. Felinus loco citato. Si promitto me molendinum reparaturum, videor intelligere semel tantum. Si Episcopus Priuilegium habeat, cum primum possessionem nactus est Ecclesie, nominandi vnum in Canonicum instituendum, & nominauerit vnum, qui institutus est, sed postea Canonicatum ille deposuit, iure Priuilegij alterum nominare nequit. Locator, qui tacite censetur iterum locasse, quoniam conductorem scienter in re conducta reliquit, intelligitur locasse iterum sub eisdem conditionibus, sed semel tantum censetur locationem renouasse. Abbas, quem sequitur Felinus loco citato. Princeps promissit premium ei, qui vexillum hostibus eriperit, creditur promississe ei, qui primum vexillum detraxerit hostibus. Titius promittit ludici se exhibiturum hoc, aut aliud ipsi ludici, putatur promississe semel se exhibiturum. Promitto me daturum tibi, quicquid iactu reus cepero, videor promississe id, quod primo iactu reus cepero, hæc omnia Felinus capite prædicto.

Sexto queritur, An is, cui Priuilegium conceditur ad legēdos libros, quorum lectio est interdicta, eo tuta conscientia vt possit extra diocesim aut territorij concedentis? Respondet cum Nauarr. conf. 15. de Priuilegij posse: nam is, cui datur facultas peccata confitendi, confiteri potest extra diocesim, & parochiam concedentis. Gloss. in cap. Placuit, dist. 6. de penit. Nauarr. loco proximè allegato; etiam, cui libera potestas sit dandi operam literis, licet studere extra diocesim eius, qui concedit. Si quis legitima facultate ieiuniorum lege soluatur, ita vt bis comedere ei liceat, aut in diebus Quadragesimarij ieiunij, ante Pascha calicum, lac, & oua edere possit, tunc, & prandere, & cenare, aut prædictis cibis vti tunc potest extra diocesim concedentis. Ergo similiter is, cui sit potestas libros prohibitos legendi, ea vti poterit. Obijcies, Iudex dicere ius non potest extra suum territorium, vt habetur in l. extra territorium, ff. de iurisdic. omnium iud. Vnde cap. 2. de consuet. in 6. excommunicatio contra fures ab Episcopo lata, non afficit furem extra eius diocesim furantem: & qui Episcopi facultate concionari ad populum, aut Confirmationis, Baptismi, vel Ordinis Sacramentum ministrare potest, ius non habet concionandi, aut ea Sacramenta ministrandi extra territorium eius, qui potestatem fecit. Respondet, Iudicem nihil subere posse vbi iurisdictionem non habet, quando quod iubet, vel statuit causæ cognitionem iudicalem postulat: secus est, si rem expediat citra vllam causæ cognitionem iudicalem, quia eam non requirit, ac proinde sententia excommunicationis ab Episcopo lata, etiam sibi subiectos non tenet extra diocesim delinquentes. Similiter etiam Episcopus nequit alteri facultatem dare Sacramenta conferendi extra

diocesim

dicendum ijs, qui sibi subiecti non sunt, nec con-
cionandi in aliena Parochia: hoc enim esset ex-
tra dicecesim ius dicere.

Septimò queritur, An cum alicui Priuilegium
conceditur, ad socium eius trahi, ac porrigi pos-
sit? **Respondeo**, cum Abbate in cap. *Quomodo sit, de In-
deus*, Quodcumque Priuilegium esset prorsus in-
utile ei, in quem est collatum, si eo socij minimè
gauderent, tunc ad eos iure protenditur, & tra-
hitur, vt colligi potest ex cap. *Licet de Priuil. in 6.* At si se-
cus Priuilegium habeat, ad socium nunquam ex-
tenditur, aut trahitur. Verbi gratia, Conceditur
Priuilegium certo Presbytero, vt in loco inter-
dicto operetur sacris, eo ipso, concessum intelli-
gitur, vt a liquem aduocet, qui ei sacrificanti mi-
nistret, & seruiat. Similiter illustri viro, aut foe-
mine datur facultas, vt in loco sacris interdicto
rem diuinam audiat, intelligitur etiam data, vt
deducat eos, sine quibus pro sui status conditio-
ne, sacrum audire non solet. Idem de ceteris si-
milibus Priuilegijs iudicandum.

Octauò queritur, An id Priuilegijs, quod con-
ceditur familiaribus certi Cardinalis, vel Epi-
scopi, trahi etiam possit ad eos, quos Cardinalis,
vel Episcopus per literas ipsius scriptas ad fami-
liaritatē admittit? **Respondeo** cum Abbate in ca-
pitulo *dilectio, de clerico non residens*, ad eos minimè pro-
tendi, quia familiares censentur ijs, qui sunt in ob-
sequio, & famulatu alicuius, quales non sunt, qui
per literas tantummodo inter familiares nume-
rantur, & habentur. Et hæc sententia colligi vi-
detur ex cap. *vt. de verb. signifi.*

Nonò queritur, An Priuilegium patri conce-
sum transeat etiam in filios? **Respondeo** cum eo-
dem Abbate in cap. *licet, de censib. & Cyno. in l. secunda.*
C. de Epi. & Cler. Priuilegium aliquando concedi
ratione dignitatis, siue nobilitatis innata; aliqua-
do ratione muneris; & officij, quo quis fungitur:
aliquando causa necessitatis. Si primo modo fue-
rit concessum, transferetur in filios. Vnde si patri
ius nobilitatis concedatur, nobiles quoque filij
redduntur. Priuilegiū secundo modo concessum
deriuatur in filios legitimos viuente patre. At
concessum tertio modo in filios non transit etiam
viuo patre, vt si ratione necessitatis sit liber à mu-
neribus personalibus, & extraordinarijs, non eo
ipso filij eius ab eisdem liberantur. Et ius ciuita-
tis, quo quis donatur, cum hæredibus non comu-
nicatur. Romanus in singularibus ex l. *Liberis, ff. de Paro-
ch. & Cyno. Romano. Quæres* quid sit dicendum, si
Princeps Titio dicat; immunitatem concedo ti-
bi, & filijs tuis? **Respondet** Bartolus in l. *Gallus, ff. de
quidam re de ff. de liber. & posthu. vt ciuit. Syluest. priuile-
gium q. 5. ea* immunitate filios non gaudere viuo pa-
tre. **Rogabis** etiam, quo pacto intelligatur si Ti-
tius concedat Caio ius hauriendi aquam, aut de-
ferendi ad fundum, vel quò voluerit? **Respondet**
Romanus, quem sequitur Syluest. loco citato, huius-
modi seruitutem, cum sit personalis, ad hæredes
minimè transmitti, vt colligitur ex l. *Lucius, ff. de
serui. rusticis, pro edio. vbi* habetur: *queritur, an ex hac
scriptura: Do tibi vsam aque in domum tuam, aut vicinan-
que volueris, ad hæredes Caij etiam pertineat? Paulus re-
sponderet, vsam aque personalem ad hæredes Caij quasi vsu-
uarij transmitti non oportere.*

Decimò queritur, An Priuilegium datum ei,
qui factus est ciuis eo pacto, ne munera subeat,
nec onera sustineat, sit seruandum? **Respondeo**
cum Panormitano in c. *peruenit. De immunitat. Ec-
clesiarū, seruari debere, quia est priuilegium,*
quod in contractum transiit, & priuilegiū quo-
ties transiit in contractum vel quasi contractum
seruandum est, secus minimè. **Et est annotandum**,
Principem huiusmodi priuilegium posse confer-
re etiam cum damno communicatis: hoc est, si ci-
uitas centum quorannis Principi soluere consue-
uerit, & Princeps a liquem eximit, ne decem solu-
at, nihilominus ciuitas centum debet soluere.
At vero inferior Magistratus licet aliquem pos-
sit eximere, non tamen cum detrimento ciuita-
tis, vt si Titio priuilegium concedat, vt soluat de-
cem, iure non potest à ciuitate centum exigere,
sed tantum nonaginta. *Syluest. priuilegium quasi. q. 9. ex
Bartolo & Abbate.*

Vndecimò queritur, An ad substantiam pri-
uilegijs pertineat, vt sit scriptum: querunt iuris-
consulti, an scriptura ad priuilegium sit necessa-
ria? **Respondeo** cum Innocentio, Archidiacono,
Ioann. Andrea, & Abbate, quos refert Syluest. *pri-
uilegium q. 14.* non pertinere, ne esse necessarium,
vt sit scriptum priuilegium. Vnde post obitum
Romani Pontificis, qui priuilegium eo concesserat,
sine literis tamen scriptis facultas concessa non
extinguitur: at à lucente iure literarū petuntur,
& impetrantur, ac propterea inferunt Baldus &
Ioan. Calderinus vt idem Syluester citat: Si Roma-
nus Pontifex solo verbo aliquem compellet Epi-
scopum, vel Abbatem, statim cum Episcopum vel
Abbatem esse, quamuis in foro exteriori Episco-
pus vel Abbas siue regularis, siue secularis per
Romanum Pontificem electus & promotus non
habeatur vt talis, nisi literis impetratis, expeditis
& receptis. alioqui tum admittentes seu reci-
pientes, tum se ingerentes, graues pœnas incur-
runt, quæ habentur in extrauaganti Bonifacij, quæ
incipit, *Iniuncte*, inter communes. De electione.

Duodecimò queritur, Quandonam priuilegiū
incipiat vim & auctoritatem habere. V. G. Titius
per Caium procuratorem à Romano Pontifice
impetrat priuilegium ne à quoquam excommu-
nicari queat: aut impetrat à Rege vel Principe, vt
sit à tributo immunis, ac liber. **Respondeo** cum
Innocentio & Hostiensis, quos refert Syluest. *priuilegium
q. 16.* Aut Titius abiens priuilegium per literas
aut per suum Procuratorem, nunciū, vel alium
quemlibet ad id destinatū, seu missum impetrat,
aut proprio Motu, & arbitrato à Romano Ponti-
fice vel alio principe concessum acquirit. Si pri-
mo modo, statim à die, quo princeps id concedit
incipit valere priuilegium, etiam si Titius igno-
ret esse impetratum. Si secundo modo, Priuile-
gium vim non habet, nisi postquam in Titij pote-
statem peruenerit. hanc quætionem supra latius
disputaui.

Cap. XXIV.

De Rescriptis Principum.

PRIMO queritur, Quid appellatione referri
potest leges, canones, & iura accipiant? **Re-
spondeo**, Rescripta Principum olim fuisse dicta,

quibus

quibus illi vel ad libellos supplices præsentium, vel ad Magistratum præsentium, vel absentium consultationes, quid sibi de ea re fieri placeret, respondebant. Vnde rescriptum dicitur id, quo Imperatores vel summi Pontifices consulentibus eos respondent, l. 1. ff. de Appellat. Rescriptum itidem, est statutum Principis, quo præcipitur, aut prohibetur aliquid Motu proprio, vel interpellatione alicuius per Epistolam facta, siue cum poena adiecta, siue secus.

Secundò queritur, quomodo rescriptum sumatur? Respondeo cum Panormitano in rubrica, de rescrip. rescriptum aliquando latè sumi, & tunc omne priuilegium & beneficium principis rescriptum vocatur: aliquando verò strictè & propriè, & tunc distinguitur à priuilegio & beneficio principis: Nam priuilegium, est facultas alicui à principe data aliqui faciendi, vel non faciendi contra canones, vel leges, & iura: beneficium vero est facultas à principe concessa, præter leges canones, & iura: rescriptum autem, est principis decretum ad iuris communis obseruationem; vt cum princeps per literas committit causam inter aliquos definiendam, aut respondet, quid in re aliqua iuxta leges vel canones, & iura fieri debeat. In iure ciuili, videlicet in Codice extat titulus de diuersis rescriptis, & in iure Canonico titulus est de rescriptis lib. 1. decretalium, in quo titulo rescriptum latè sumitur, quatenus priuilegium, & beneficium Romani Pontificis complectitur: & rescripta sunt tum ad lites dirimendas, causasue definiendas, tum ad ea, quæ in beneficijs Ecclesiasticis interuenire solent.

Tertiò queritur, quæ sint intelligenda in rescriptis, quæ à Romano Pontifice impetrantur? Respondeo cum Glossa in cap. ex parte, de rescriptis, multa intelligi. Nam quemadmodum in iure iurando & alijs pactis, generales conditiones, quamuis non exprimantur, semper tamen intelliguntur, cuiusmodi sunt, si Rex vel superior alius, quicumque sit, voluerit; si vixero, si res in eodem statu permanferit, & alia similia, quæ ipso iure pactis inesse tacitè censentur: sic etiam in rescriptis semper intelliguntur, etiam si non apponantur, conditiones: si preces veritate nitantur, si ita est, c. super literis, de rescriptis, & l. v. in iuris, c. de diuersis rescrip. vbi statuitur, vniuersa rescripta sub ea conditione proferri, si preces veritate nitantur. Item, clausula more curiæ Romanæ, solita poni, tacitè intelligitur apposita, etiam si non exprimitur. Illa item clausula (si ita est) debet ad omnia præcedentia referri teste Panormitano in cap. 2. requisiti, de Appell.

Quartò queritur, An Rescriptum principis, quod aliquis impetrat, falsi aliqui exprimens, aut verum aliquod tacens & occultans, sit irritum? Respondeo ex communi sententia canonici iuris interpretum distinguendum hic esse: Aut is, qui impetrat rescriptum à Romano Pontifice, falsum exprimit, vel verum tacet dolo, vel culpa, hoc est, scienter, & tunc nihil illi prodest rescriptum, c. super literis, & c. ad aures, de rescriptis, & c. non potest, de proben. in 6. Aut per ignorantiam bona fide falsum exprimit, vel verum occultat, & tunc aut princeps, nimirum Romanus Pontifex, literas datus esset, etiam si verum exprimeretur, & falsum

taceretur, & valet, & prodest rescriptum, saltem ad hoc, vt iudex delegatus secundum ordinem iuris causam cognoscat, quamuis non secundum formulam in literis præscriptam, c. super literis, & c. ex insinuatione, de rescriptis. Aut literas aliqui non erat daturus, quia eas canones, & ipsa iura prohibeant, & denegent: & tunc rescriptum non valet, c. super literis, de rescriptis. Quæres, quid iudicandum, si Romanus Pontifex non erat aliqui tam facillè literas daturus? Quidam sentiunt, tunc ratum, & firmum esse rescriptum, quia sufficit si Romanus Pontifex esset aliqui literas daturus. Sed Arg. Rosel. Syluest. rescriptum q. 6. cum Abbate in c. super literis de rescriptis. censent rescriptum non prodesse, ex c. postulat. de rescriptis quonia fati est, si veritas occultetur, quæ expressa difficiliorem secundum iura redderet impetrationem rescripti. Quæres itidem an eo ipso rescriptum sit irritum, cum falsum exprimitur, aut verum taceretur? Respondeo cum Abbate, in c. super literis, de rescriptis. aut rescriptum esse ad lites, & controuersias, aut ad beneficia, & alias facultates: si ad beneficia, & alios fauores, eo ipso est irritum. Nauar. in man. c. 22. nu. 86. & colligat ex c. ad audientiam 2. de rescriptis, & c. 1. & 2. de filijs presb. in 6. si tamen rescriptum est ad lites, & controuersias, non est ipso iure irritum, sed rescindendum per exceptionem, qua se aduersarius potest in iudicio tueri: quod probat Abbas ex c. ceterum, c. Plerumq. & c. si autem, de rescriptis. Sic Abb. in ca. super literis, in an. Gloss. in c. ad audientiam 3. de rescriptis. Nauar. in c. quando, de rescriptis. præ iudicio. l. nu. 1.

Quintò queritur, An rescriptum vitietur ex defectu vnus literæ, vel syllabæ? Respondeo, rescriptum à Rom. Pont. impetratum non vitari, c. ex parte, de fide instrum. sicut nec testam. etum vitatur, quamuis in eo sit erratum in syllaba. l. erro. re. c. de testam. & l. in legatis. c. de legatis: nec libertas min⁹ debetur, licet in litera, vel in syllaba fuerit error commissus, l. qui habebat. ff. de manumissis testam. Sed quid dicendum, si literæ à Rom. Pont. impetrata manifestum in grammatica errorem contineant? Respondeo ex c. ad audientiam 1. de rescriptis non prodesse. Et idem iuris est, ait ibi Glossa, si in rescripto Rom. Pont. cum vno homine loquens, numero multitudinis vtratur, aut si Patriarchas, vel Episcopos filios appellet. Obijcies, testam. etam minime vitari, etiam si in eis contra grammatica regulas, & leges peccetur. l. qui habebat. ff. de manumissis testam. Item rescripta Imperatorum prodesse, etiam si error in grammatica contineant. l. Imperator, ff. de statu hominum. Respondet Glossa, rescripta Romani Pontificis non valere, quia non nisi confideratè conceduntur, & multorum administratorum manu scribuntur: at verò testam. etabelliorum manu scripta conficiuntur, qui facillè contra grammaticam peccant. Sed verius alij respondent, huiusmodi rescripta Romani Pontificis non prodesse, quia id est iure Canonico expressum: noluerunt enim Pontifices eiusmodi rescripta vim vllam habere; de testamentis verò, & rescriptis Imperatorum nihil ius ciuile constituit.

Sextò queritur, Quamdiu rescriptum duret? Respondeo, perpetuò durare, nisi secundum impetretur, quod illud prius abrogetur. Sic Abbas in c. plerumq. de rescriptis. ex l. falso. c. de diuersis rescriptis. Ex quo fit, ait ille, vt Priuilegium à rescripto disse-

rat, quod

rat, quod privilegium amittitur, si is, qui impetravit, eo per decennium non utatur, cum alioqui posset vi: at nisi alius rescriptum secundum impetret, non definit, etiam si illo nunquam utatur is, cui conceditur. Si vero alius impetrat secundum; tunc aut primus uti suo per annum negligit, & valet secundum, non primum, licet nulla primi facta sit mentio: aut primus per annum uti suo non potuit, quia iudicē nactus non est, apud quem causam agere posset, & tunc vim suam obtinet primum. **Queres** quid dicendum sit, si secundus dolo rescriptum impetravit? **Respondeo** cum Abbate, valet primum rescriptum, etiam si per annum illo usus non fuerit is, qui impetravit. **Queres** deinde, quid iudicandum sit, si primus per dolum usus non fuerit, quamvis absque dolo impetravit, & secundus dolo privilegium est consequutus. **Respondeo** cum Abbate prodesse primum, non secundum, quia maior culpa committitur, cum dolo rescriptum impetratur, quam cum quis per dolum non utitur rescripto legitime obtento.

Septimò queritur, **Quid** rescriptum postulet, ut possit, ac valeat? **Respondeo**, multa requirere. Nam in primis, nihil in eo præmitti debet ex his, quæ principem secundum iura movere queunt ad concedendum, vel denegandum. Est enim in eo exprimenta veritas, nec falsi aliquid miscendum. Deinde, series facti est patefacienda, *ca. super eo. de abbatibus. Clericor. Item*, causa litis, siue negotij est referenda, *c. inter Monasterium, de sent. & re iud. Præterea*, si contra aliquem rescriptum impetratur, in eo fieri debet mentio indulgentiæ, siue dispensationis, ut vocant, quæ aduersarij legitime impetraverat, *c. ex iura, de filijs Presb. vel cõpositionis*, si qua inter litigantes facta fuerit, *cap. ex multiplici, de Decimis, vel statuti, c. consiliarius, de rescrip. vel privilegij, c. cum ordinem, de rescrip. vel sententiæ ad iudice lata, c. inter monasterium, de sent. & re iud. Sylvest. rescriptum, q. 7. ex Goffredo, & Archidiacono.*

Octavo queritur, Quo pacto rescripta interpretari debeamus? **Respondeo**: in primis ea interpretari oportere secundum commune ius, *cap. causam, de rescri. & c. licet, de præb.* Vnde clausulæ omnes in rescriptis cõtentæ ad iuris communis sententiam reuocari solent, *ut tradit Sylvest. rescriptum, q. 8. ex Ioanne Andrea, Ioanne Monacho, Dominico Felino.* Deinde, in rescripto non ipsa narratio, sed conclusio perpenditur, *Bald. in l. Prescriptione, ad finem, c. si contra ius.* Insuper, rescripta ad beneficia Ecclesiastica strictè, ac pressè interpretari oportet, *cap. quamuis, de præb. in 6.* Vnde ad alia trahi minime debent, nisi, ut docet Felin. *in c. causam, de rescri. litem Pontificæ ad beneficia simpliciter fauorem contineant, aut Motu proprio datæ sint, vel pro compensatione damni.*

Rescripta itidem ad lites pressius, & arctius interpretari debemus, quam rescripta ad beneficia Ecclesiastica. *Abb. in c. Capitulum, de rescri. Postremo*, quando in rescriptis constat de mente Roman. Pont. ea tunc plonè sunt interpretanda, etiam si iuri communi derogent, dummodo tamen interpretationem verborum proprietas admitrat, nec ultra Pontificis mentem, rescriptum extendatur, *Felinus in c. causam, de rescrip. Sylvest. rescrip. q. 8.*

Nonò queritur, **Quis** nam iure possit rescriptum à Principe impetrare? **Respondeo**, in pri-

mis excommunicatum non posse. Vnde, si impetrat, irritum est rescriptum *cap. 1. de rescrip. in 6. & colligitur etiam ex cap. vltim. de Procurat. & c. Post cessionem, de probat. & c. Cum bone, de etate, & qualitat. ordinam.*

Deinde, lite pendente, nemini litigantium fas est, rescriptum impetrare, quo is, qui possidet, possessione, vel quasi possessione deiciatur. *cap. 1. 2. & vlt. ut lite pendente.* Nam lite pendente supplicare Principi nobis non licet, nisi in certis casibus. *l. 2. c. vi lite pendenti.* Præterea, intra tempus appellationis constitutum impetrari rescriptum iure non potest, *c. sept. & c. oblatæ, de appell. & c. Bone memoria, de confirm. vtili, vel inuili.*

Cap. XXV.

De statutis, siue municipalibus legibus.

PRIMO queritur, Quo differat statutum à lege, vel constitutione; & quid appellatione statuti Auctores intelligant? **Respondeo**, statuta, dici leges, siue constitutiones municipales, hoc est, quas ciuitas aliqua, vel Magistratus, siue Præfectus constituit. Vnde leges, siue constitutiones dicuntur Decreta Principum; nimirum, Imperatorum, vel Regum, vel Romanorum Pontificum. At verò statuta vocantur, decreta ciuitatum, Magistratum, & aliorum quorumlibet Principum inferiorum: quamuis interduam statuta vocentur, ipse quoque leges, & constitutiones Principum. Nos in præsentia, statuta appellamus Decreta ciuitatum, Magistratum, ex quibus non ius commune, sed municipale existit.

Secundò queritur, An statutum teneat, ac liget subditum eius, qui statutum condidit perperam facientem extra territorium eius? Verbi gratia, Magistratus certæ ciuitatis, vel Episcopus pœnam in fures, vel sacrilegos constituit. Queritur, an Titius dicti Magistratus, vel Episcopi potestati subiectus ea pœna afficiatur, si extra dioccesim, vel territorium furetur, vel sacra violet. **Respondeo** cum Abba, *in ca. a nobis 1. de senten. excomm. Gemin. in cap. vt animalium, de consil. in 6. Sylvest. excommunicatio, 2. num. 5.* huiusmodi statutis non alligari subditos extra territorium peccantes: quod colligitur ex c. vt animalium, de senten. excomm. in 6.

At verò in certis casibus aliquando ligantur: in primis, quando statutum ponitur de re subiecta conditori statuti: Vt, si Episcopus statutum condiderit, quo excommunicationem fert in omnes Clericos, qui in Ecclesijs sibi commissis non resident, eo tenentur Clerici etiam extra dioccesim commorantes, ratione rei, quæ est Episcopo subiecta, hoc est, ratione Ecclesiarum, quæ sunt in eius diocesi constitutæ. Nam *in cap. vltim. de foro comper. ratione rei sitæ in aliquo loco*, subiicitur quis iurisdictioni illius, in cuius territorio sita res est. Deinde, statuto ligatur aliquis, quando opus cœptum est in territorio, licet sit extra completum: Vt si quis sagittam mittat ex loco potestati, & iurisdictioni alicuius subiecto, & in loco ab eius potestate exempto aliquem interimat, afficitur pœna statuti condici ab eo, cuius iurisdictioni subiectus est locus, vnde sagittam proiecit. Præterea, statuto tenetur aliquis, eo quod non se iussit in iudicio, etiam si extra terri-

torum delinquant. Verbi gratia, statutum Episcopi, sic habet: Quicumque furatus fuerit ubique sit, nisi intra mensem à die commissi furti, si fiat se coram iudice delicti, vel coram nobis, sit excommunicatus. Titius Episcopo subiectus extra diocesim furatus aliquid, huiusmodi statuto tenetur, non ratione furti, quod est extra diocesim commissum, sed quia in iudicium non venit, aut coram iudice delicti, aut coram Episcopo.

Tertio queritur, An statuta teneant, ac ligent extraneos, qui delinquant in territorio eius, qui condidit statutum. Quaestionem tractat Abbas in cap. à nobis 1. de sentent. excomm. in 6. & respondere ligare, sic etiam ibi Glossa, & teste Abbate, sic sentiunt omnes iuris civilis interpretes. in l. cum sitis populos C. de sum. trin. & fid. Cathol. & huius ratio est, quia lex semper loquitur l. Ariani cap. de heret. ergo quum primum quis delinquit, etiam si sit peregrinus & extraneus, subijcitur potestati eius, qui posuit statutum, quamvis tempore, quo conditum statutum est, subiectus non erat. item extraneus subijcitur statuto ratione rei sitae in loco, ubi est conditum statutum, vel ratione contractus in eo loco initi. Nam in cap. vlt. de Foro comper. his tribus modis pertinet quis ad forum, & iurisdictionem alicuius. Si igitur ciuitas Bononiensis statuta condiderit, ea non ligant ciues Ferrarienses, aut Mutinenses, nisi aliquis Mutinensis Bononię deliquerit, vel possessionem in agro Bononiensium tenuerit, vel Bononię contractum inierit. Et idem iuris est de peregrinis & aduenis & viatoribus. Vnde Abbas recte docet: Quamuis verba statuti sint generalia, non protenduntur nisi ad eos, qui sunt subiecti conditori statuti. Verbi gratia, statuto cauetur, ne quis declinet iurisdictionem certi Magistratus, poena constituta, eo statuto minime clerici tenentur, tamen si illius Magistratus iurisdictionem reculent, quia non sunt Clerici subiecti iurisdictioni Principum ciuiliū. Et idem iuris est, si statuto caueatur, ne bona stabilia vendantur ijs, qui non sunt iurisdictioni ciuitatis subiecti, id statutum clericos, & Religiosos non tenet, quamuis eis bona stabilia vendantur.

Quarto queritur, An statuto Episcopi teneantur subditi, qui delinquant in loco ab eius iurisdictione exempto? Respondeo cum Ioan. Andr. Gemin. Glossa in c. vt animarum de consuet. in 6. minime, quidquid sentiant Innocent. & Bartol. nam locus exemptus, & locus extra diocesim situs æquiparantur. Idem docent. Abb. in c. à nobis 1. de sentent. excomm. Syluest. excomm. 2. num. 5. 6. & 7. & teste Abb. sic sentiunt multi iuris civilis interpretes. in l. vlt. ff. de iurisd. om. iud. At verò si statutum Episcopi præcipiat, ne aliqui se conferant ad locum exemptum, eo statuto ligantur ijs, qui contra fecerint. Vnde, teste Bartolo in l. cum sit. popu. ff. de sum. Trin. & fide Catho. ciuitas potest statuto imperare ciuibus, ne eant ad certum oppidum. Nam in l. Mercatores C. de Mercatoribus & Mercator. prohibentur ciues Romani habere commercium cum Persis, qui non erant Romano Imperio subiecti: Et in l. vlt. ff. de decr. ab ord. faciend. statuitur, ne quis eat ad commercia extra municipium. Quo fit vt statutis Episcoporum, in quibus poena excomm. constituitur in eos, qui ingrediuntur, vel accedunt ad

Monasteria Sanctimonialium, teneantur ijs, qui contra fecerint: huiusmodi enim statuta ponuntur ob commune bonum ciuitatis, & Diocesis, vel in odium & poenā eorum, qui in locis exemptis commorantur.

Ex ijs apparet, quid sit dicendum de eo statuto, quod excomm. constituit in eos, qui ad aliquam administrationem publicam promouentur extra ordinem vel Religionem, nisi prius libros & cetera quibus vtuntur in ordine, dimiserint.

Quinto queritur, An statutis Laicorum clerici teneantur? Hanc quaestionem supra diluimus, cum de legibus ageremus.

Sexto queritur, An qui subditi non sunt conditori statuti, & per ignorantiam contra statuta delinquant in loco, in quo sunt condita statuta, in istam ignorantie exculationem habeant? Hanc etiam quaestionem tractant Glossa, & Abbas in c. à nobis 1. de sent. excomm. & Syluest. excomm. 2. num. 6. & nos de ea cum de ignorantia tractaremus.

Septimo queritur, Quando nam statutum incipiat vim habere? Respondeo, cum primum promulgatione facta incipit eius notitia haberi communiter.

Octauo queritur, An statutum, per conditoris obitum finiat? Respondeo cum Abbate in c. A nobis 1. De sentent. excomm. minime, nisi expressim abrogetur c. vlt. de offic. lega. ex quo fit, vt statutum conditum sede vacante, à collegio canonicorum duret creato etiam successore Episcopo, donec tollatur Episcopi succedentis auctoritate, vt colligitur ex c. vlt. Ne Pralati vices iuas. Sic Feder. conf. 16. Sic Abbas loco citato, Syluest. statutum. q. 9.

Nono queritur, Quo pacto statutum abrogetur, & tollatur, an videlicet sit necessarius temporis cursus certus, vt sublatum censeatur consuetudine cōtraria. Respondeo ex communi sententia, si positum sit ab aliqua hominum vniuersitate, antiquatur, ac definit, si ijdem homines, vel eorum successores in vnum coacti scienter semel contra illud faciant, nec requiratur alius temporis lapsus: nec consuetudo præscripta: sic Hostiensis, Ioan. Andreas & Abbas, quos citat Syluest. statutum quest. 11.

Decimo queritur, An statutum, quo certa ciuitas Priuilegium concedit exteris in hunc modum: Quicumque se receperit ad hoc oppidum, sit immunis & liber ab omni onere, Gabella, vectigali, abrogari possit? Respondeo cum Abbate in cap. Nouit. de Iudicijs, quem sequitur Syluest. statutum q. 12. Aut loquimur de his, qui iam in oppidum venerunt, aut de ijs, qui nondum venerunt. Si de primis, statutum abrogari non potest, quoniam Priuilegium in quasi contractum tranfuit, quo etiam ipsi Principes tenentur, vt colligitur ex c. de Probati. Sic Bartol. in l. quod semel. ff. de decretis ab ordine faciendis. Si de secundis, abrogari potest, nam res adhuc est integra. Ex quo perspicitur, verum esse, quod tradit Bartolus in l. priuilegia. C. de sacro. ecclesi. si laici statutum ponant, vt singuli ciues quotannis certam elemosinam erogent in vnum clericorum vel religiosorum, eos laicos non posse illud statutum abrogare. Bartolum sequuntur Innocentius, & Archidiaconus, vt citat Syluest. statutum quest. 11.

Vndecimo queritur, An statuta contra ius commune condita valeant? In primis, statutum,

quod

quod cum iure naturali vel diuino pugnat, nullam habet vim. Quare quod in quaestionem vocatur, est, An alicuius sit momenti statutum, quod iuri communi scripto aduersatur: multa enim statuta poni solent, quae iuri communi videntur derogare; de quibus singillatim dicemus. Ac primum quidem iuris communis est, ne quis ob delictum alterius puniatur. Vnde Dominus, ob scelus, vel delictum famuli poenas non luit, *vt tradit Bartolus in l. ne quid. numer. 1. ff. de incend. Ruin. nauis. cum communi sententia, vt testatur Iulius Clarus, lib. 5. recep. sentent. in pract. crim. quest. 82. nu. 1. praesertim quando nescitur, quis fuerit sua culpa auctor damni, aut etiam quando scitur, sed auctor sceleris soluendo non est: Quod si damnum fuerit illatum in duorum oppidorum finibus; tunc damnum refarciri debet, vt tum hi, tum illi oppidani suam partem exoluant.*

Vndecimò quaeritur, An iustum sit statutum, vt quisque impune possit occidere eos, qui sunt publico Reipublicae edicto proscripti, qui vulgo Banniti vocantur? hanc quaestionem tractat Iulius Clarus lib. 5. recep. sentent. §. homicidium, nu. 46. & sequentibus. Omnes consentiunt, iustum esse si loquamur de ijs, qui sunt proscripti tanquam proditores patriae, vel tanquam transfugae, vel tanquam praedones, vel tanquam conirati in Rempubliam aut Principem, nam horum singuli sunt patriae & Reipublicae hostes. De caeteris vero dissentiunt auctores, quoniam Iulius Clarus refert duas opiniones lib. citato numer. 48. quidam enim aiunt, huiusmodi statuta in foro interiori seu conscientiae nullam vim habere, quamuis in foro exteriori nulla poena afficiantur, qui huiusmodi proscriptos interficiunt: ac ideo fatentur, lethaliter peccare, quauis nulla iuris poena puniantur. Alij vero sentiunt haec statuta esse iusta, & licere eos occidere; quorum sententia, teste Iulio Clario, loco citato, est communis, & meo iudicio est verior: eam enim consuetudo, quam per totam Italiam seruari videmus, approbat; & ad salutem, pacem, & tranquillitatem communem videtur maxime pertinere, vt huiusmodi nefarii, & perditii homines hoc necis genere (quando aliter plecti, & puniri nequeunt) e medio tollantur. solent enim tanquam hostes patriae, communisque salutis, multa mala, & ea quidem atrocia committere, quibus Rempubliam vexant, bonos & innocentes interimunt, aliena bona diripiunt, viatores spoliāt, & vniuersa perturbant, demum iura omnia diuina, & humana peruertunt.

Duodecimò quaeritur, An valeat statutum, solummodo pecuniariam poenam constituens in homicidas? De hac quaest. tract. Iul. Clarus lib. 5. recep. sentent. §. homicid. nu. 17. Duae sunt opiniones; quarum vna negat, eo quod legi Euangelicae, diuinae & naturali repugnare videatur. Nam praecipit Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur;* apud Matthaeum quoque: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Deinde ratio naturalis praescribit, vt pro grauitate delicti, crimina vindicentur: at pecuniaria poena grauitati homicidij minime respondet. Interest autem reipublicae, vt a caedibus & iniuriosa vita improbi terreatur. Accedit, quod huiusmodi statutum delinquendi occasionem praebet, praesertim diuitibus, qui nullam poenam pecuniariam pertimescunt, nec vllum scelus formidant, quod redimere se posse nummis existimant. Sic Hostiensis, Archidiaconus, Cardinalis, Felinus & alij quos refert Iulius Clarus

loco supra citato.

Communi igitur sententia receptum est, vt vim habeat statutum, quo Dominus poenam pecuniariam soluere cogitur ob scelus familiae, etiam si nihil culpa in Domino fuerit, vt docet Iulius Clarus in eo loco praedicto ex Aiberico in p. 1. statum. q. 50. Sic etiam statutum, quo patres mulctantur pecunijs ob facinus filiorum: statutum item, quo ad publicam salutem & vtilitatem filij, vel nepotes spoliantur bonis propter crimen parentum, quae est opinio communis teste Couarr. lib. 2. var. resol. cap. 8. nu. 1. vers. quarta poterit. Solet etiam alicubi esse statutum testibus Couarr. & Iulio Clario locis citatis, vt pater soluere cogatur legitimam portionem filij ob eius flagitium. At locum habet huiusmodi statutum, quando filius fuerit sceleris conuictus. Idem iuris est de statuto, quo alicuius castri vel oppidi habitatores, vel quilibet

aliae communitates coguntur poenam pecuniariam exoluere ob quodlibet maleficium commissum, vel damnum illatum intra territorium. Et ita consuetudine seruari in multis locis, refert Angelus, vt citat Iulius Clarus lib. 5. recep. sentent. in pract. crim. quest. 82. nu. 1. praesertim quando nescitur, quis fuerit sua culpa auctor damni, aut etiam quando scitur, sed auctor sceleris soluendo non est: Quod si damnum fuerit illatum in duorum oppidorum finibus; tunc damnum refarciri debet, vt tum hi, tum illi oppidani suam partem exoluant.

Vndecimò quaeritur, An iustum sit statutum, vt quisque impune possit occidere eos, qui sunt publico Reipublicae edicto proscripti, qui vulgo Banniti vocantur? hanc quaestionem tractat Iulius Clarus lib. 5. recep. sentent. §. homicidium, nu. 46. & sequentibus. Omnes consentiunt, iustum esse si loquamur de ijs, qui sunt proscripti tanquam proditores patriae, vel tanquam transfugae, vel tanquam praedones, vel tanquam conirati in Rempubliam aut Principem, nam horum singuli sunt patriae & Reipublicae hostes. De caeteris vero dissentiunt auctores, quoniam Iulius Clarus refert duas opiniones lib. citato numer. 48. quidam enim aiunt, huiusmodi statuta in foro interiori seu conscientiae nullam vim habere, quamuis in foro exteriori nulla poena afficiantur, qui huiusmodi proscriptos interficiunt: ac ideo fatentur, lethaliter peccare, quauis nulla iuris poena puniantur. Alij vero sentiunt haec statuta esse iusta, & licere eos occidere; quorum sententia, teste Iulio Clario, loco citato, est communis, & meo iudicio est verior: eam enim consuetudo, quam per totam Italiam seruari videmus, approbat; & ad salutem, pacem, & tranquillitatem communem videtur maxime pertinere, vt huiusmodi nefarii, & perditii homines hoc necis genere (quando aliter plecti, & puniri nequeunt) e medio tollantur. solent enim tanquam hostes patriae, communisque salutis, multa mala, & ea quidem atrocia committere, quibus Rempubliam vexant, bonos & innocentes interimunt, aliena bona diripiunt, viatores spoliāt, & vniuersa perturbant, demum iura omnia diuina, & humana peruertunt.

Duodecimò quaeritur, An valeat statutum, solummodo pecuniariam poenam constituens in homicidas? De hac quaest. tract. Iul. Clarus lib. 5. recep. sentent. §. homicid. nu. 17. Duae sunt opiniones; quarum vna negat, eo quod legi Euangelicae, diuinae & naturali repugnare videatur. Nam praecipit Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur;* apud Matthaeum quoque: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Deinde ratio naturalis praescribit, vt pro grauitate delicti, crimina vindicentur: at pecuniaria poena grauitati homicidij minime respondet. Interest autem reipublicae, vt a caedibus & iniuriosa vita improbi terreatur. Accedit, quod huiusmodi statutum delinquendi occasionem praebet, praesertim diuitibus, qui nullam poenam pecuniariam pertimescunt, nec vllum scelus formidant, quod redimere se posse nummis existimant. Sic Hostiensis, Archidiaconus, Cardinalis, Felinus & alij quos refert Iulius Clarus

Genes.
Exod. 21.
Matth. 26

loto predicto. Altera opinio docet huiusmodi statutum valere: ea placuit Bartolo, Aretino, Alexandro, & quibusdam alijs, teste ibidem Iulio Clario. Ait Albericus in pa. 2. statutorum. q. 122. hanc sententiam esse communem, & consuetudine ubiq; servari. sed fortassis Alberici tempore hæc communis erat opinio, & vsu recepta: sed nunc talia statuta, vt ait Iulius Clarius nec probantur, nec consuetudine seruantur.

Decimotertio queritur, An valeat statutum laicorum, cauens ne filij matrimonium contrahant sine consensu patris? de hac etiam quaestione Iulius Clarius lib. cu. 10. q. 82. num. 12. Dux sunt opiniones, vna affirmat, quam teste Iulio Clario probat Bartolus, & alij quidam Iuris ciuilibus interpretes; qui fateantur quidem, si huiusmodi statutum pœnam in contrahentes constituat, eam non deberi, sed statutum valere. Altera opinio, negat ea statuta laicorum vim vllã habere. Ioan. Andrea. Hostien. Antonius. Anchar. Abbas. Felin. & alij, vt citat Iulius Clarius, cui sententiæ omnes ferè canonici Iuris interpretes adherent, & merito, cum ad veritatẽ propius accedat: vt potè iuri Canonico magis consentanea, quod liberam voluntatem in matrimonijs cõrahendis requirit. cap. vlti. de secun. nuptijs, quamuis Iulius Clarius doceat à prima sententia non esse recedendum, vbi ea fuerit consuetudine recepta. Addit etiam, Alexandrum sequutus, quem citat, quamuis ius Canonicum seruandum sit, & iuxta illud iudicandũ, ita vt matrimonia contracta sine consensu parentum valeant; pœnas tamen pecuniarias, quas statuta irrogant, deberi; vt puta, si statutum decernat, vt sine consensu patris contrahentes, dote priuentur, quod ego non credo; nam huiusmodi pœnæ multum libertati in matrim. contrahendo detraherent, quam ius Canonicum postulat, vt dixi. Hinc etiam apparet multò minus valere statutum, quod prohibet, sororem nubere sine consensu fratris: quæ est omnium communis opinio, vt ait Alexander, quem Iulius Clarius citat. Quæres, an vim habeant statuta laicorum, quæ priuant filiam dote, si viro nubat vili, & indigno, sine consensu patris? Respondet Iulius Clarius Alexandrum, & Parisium secutus, valere, eo quod ius Canonicum similia statuta non damnat, nec improbat.

Decimoquarto queritur, An alicuius sit ponderis, & momenti statutum, quod prohibet rem stabilem, siue immobilem per alienationem transire in aliquem externum? nam id cum iure communi pugnare videtur, quo est cuiq; liberum, sua bona alienando in quemcunq; transferre. Hanc quaestionem tractat Iulius Clarius lib. cu. q. 82. n. 15. Respondeo ex communi sententia, eiusmodi statutum valere, nam in iure communi extat lex, ne fundus, vel alia res stabilis ad externos transferatur. l. 1. c. nõ licet habitatio. lib. 11. Si tamen quæras, an eo posito, si res vendatur Clerico externo, vel Ecclesiæ, aut Monasterio, venditio subsistat? Communis sententiã teste Iulio Clario, loco cit. affirmat venditionem valere, quoniã statutum laicorum Clericos, aut Ecclesias non tenet, & multò minus adstringit Clericos statutũ, quo cauetur, ne quis vendat externis, etiam Clericis, vel Religiosis: nam tunc statutum expresse cum libertate Ec-

clesiastica pugnaret. Quæres, an tali statuto posito, vt nemo distrahendo sua bona externis relinquat, interdicta censeatur heredis externi institutio? Gloss. in l. 1. c. non licet habitatio. lib. 11. ver. loca. in. respondet nõ censei. Sed cõmunis opinio, Glossa reiecta, contrarium sentit teste Iulio Clario loco cit. Deinde, si quæras, an interdicta videatur locatio, qua quis locat rem suam externis? Respondet Iulius Clarius, si locet ad modicum tempus, non prohiberi: secus verò, si ad longum tempus. Longum verò dicitur, quod est vltra decennium. Tertio dubitabis, an si Titius testamento legauerit externis rem aliquam immobilem, hæres debeat prestare legatario rei illius æstimationem, cum res immobilis externis legari non possit. Respondeo, debere; sic enim habet communis opinio teste Iulio Clario. Quarto quæres, an dictum statutum prohibes rem immobilem alienatione in externum transferri, videatur quoq; vetuisse præscriptionem? Respondeo cum Bartolo, & Alexandro, quos refert, & sequitur Iulius Clarius, eã quoq; prohibuisse. Si quanto scisciteris, nõ si contra huiusmodi statutum facta sit rei immobilis alienatio, transeat dominij in externum? Respondet Iulius Clarius, quãuis possessio transferatur, dominium tamen nõ transire: statutum enim impedit solum, ne transeat dominium. Postremo si roges, quid sit dicendum, quando non solum huiusmodi statutum alienationem prohibet, sed etiam certam pœnam in alienantem constituit, An si quis actionem ad rem aliquam immobilem externis relinquat, ibi pœnam incurrat? Respondet Iulius Clarius minime, quoniã pœna constituitur in alienantem, non autem in transferentẽ suam actionem in alium. Et sciendum est, vt ait Iulius Clarius, statutum prædictum solummodo locum habere in alienatione voluntaria, non autem in necessaria: Et hæc est, teste Alberico, quem citat Iulius Clarius, communis opinio.

Cap. XXVI.

Aliæ quaestiones diluuntur de quibusdam statutis Ciuitatum.

PRIMO queritur, Quo modo intelligatur statutum, quo certa pœna constituitur in eum, qui fuerit deprehensus cũ armis: Et in primis dubitatur, an in pœnã incidat Titius, qui arma detulisse cõuincitur, sed nõ est cũ armis deprehensus? Hanc quaestionem tractat Iulius Clarius lib. 5. recept. sen. in præf. crim. q. 82. n. 24. & vt ibi ait: Dux sunt opiniones, vna affirmatiua, eum tali pœna puniendum; quam etiã, aiunt, esse cõmunem sententiã. Altera est negatiua, pœna in statuto lata esse in eum animaduertendum: quæ quidem cõmunis est etiam opinio, teste Iulio Clario: ac vsu ipso, & consuetudine approbata. Et certè statuti verba eam confirmat. Nec enim dicitur, qui arma detulerit, hæc aut aliam pœnã sustineat, siue persoluat, aut luat, sed qui fuerit cũ armis deprehensus. Nec est, cur verbum (deprehensus) trahamus ad eum, quem arma detulisse in iudicio testes probauerint. Unde, si fuerit pœna statuti, vt qui deprehenditur cũ armis, ea amittat, Titius arma non perdit, si non fuerit cũ eis deprehensus, etiã si testes eũ arma gestasse conuincerint, vt docet Iulius Clarius: nec

licet

licet iudici in eum inquirere, nisi id expresse statutum, vel publicum edictum contineat. *Quæres*, an appellacione armorum contineatur etiam arma, quæ propriæ defensionis gratia deferuntur? *Iulius Clarius Respondet* ex communi sententia, minime: quoniam iuris naturalis est, ut se quisq; defendat. Vsu tamen alicubi est receptum eodem *Iulio Clario* teste, ut hæc etiã arma amittat quis, si cum ipsis fuerit deprehensus. *Quæres* etiam, an armorum quoque appellacione ijs in statutis fustes, & lapides intelligatur? *Respondet* idem *Iulius Clarius* iure communi hæc etiam intelligi armorum vocabulo, ut *constat ex l. Armora. ff. de verb. signifi. At verò vsu, & consuetudine eodem teste* statuta, nomine armorum, fustes, & lapides minime accipiunt, immò neque cultellum ad scindendum panem, aut pennas aptandas. Si roges, an qui defert ad usum in itinere faciendū, arma interdita, pœnam statuti debeat sustinere? *Respondet*, minime: Sic enim consuetudine seruari testatur *Angelus*, quem citat, & sequitur *Iulius Clarius*. *Quæres* etiam, an statuti pœnam incurrat, qui domi habet arma, quæ prohibet statutū: Causa dubitandi est, quia *ex l. i. ff. ad legem Iuliam, de vi publica*, videtur in eam pœnam incidere. Sed consuetudine receptum est, teste *Angelo*, quem citat *Iulius Clarius*, ut eam pœnam non subeat, & iuratur homo ille. Nam verba statuti ad eum, qui domi arma tenet, non porriguntur, sed eum tantum comprehendunt, qui arma defert, nisi in statuto, vel edicto expressim quoque dicatur: qui arma detulerit, vel domi tenuerit. Quod si roges, quid sit dicendum, cum hæc statuta ita cõduntur: Qui de nocte arma detulerit præcisè post sonitū primæ, aut secundæ horæ, hæc, aut illam pœnam persoluat, & Titius in nocte ferat quintæ, aut sextæ in hebdomada sancta, defert arma, vtrum talem pœnam contrahat? *Respondet Iulius Clarius*, *Alberici* sequutus nequaquam, eo quod illis diebus campanæ non sonant, ac proinde Titius contra statutum nõ facit: hisce statutis pœna solet constitui, ut qui arma defert post certum campanæ sonitum, ea amittat. Item solent esse statuta, ne quis arma gesserit, cum venit in Palatiū Imperatoris, Regis, Principis, vel in certum forum publicum. *Quæres*, an Clericus deprehensus cum armis interdictis, iure possit per magistratum civilem puniri pœna eiusmodi statuti, vel edictis civilibus in eos, qui non obtemperant constituta. De hac quæstione agunt *Iulius Clarius lib. 5. recep. sent. 6. practica criminalis. q. 36. num. 27. Covarr. c. 33. practica in quæstionum nu. 7.* Duæ sunt opiniones, quarum vna affirmat, posse puniri, ita ut Cleric⁹ deprehensus, iure spoliari armis queat, quamvis nequeat à Magistratu, vel iudice civili, & profano, pœna pecuniaria multari. Sic *Couarruuias*, qui quidem hanc sententiã veriore arbitrat, eamq; confirmat tum ex eo, quod similia statuta, & edicta cõsulant publicæ, & communi utilitati, salutē, & paci: tum etiã, quia vsus armorum iure canonico est Clericis interdictus, alioqui enim Clerici cū armis liberè noctu vagarentur cum ingenti populi detrimento, & offensione. *Iulius Clarius* ait hanc opinionem esse communem, & veram.

Altera opinio negat Clericum talibus statutis

teneri, aut eius pœnis subijci, nec à Iudice seculari pecuniaria pœna puniri, aut armis spoliari posse, sed apud iudicem Ecclesiasticum arma, vel aliam pœnam esse petendam: sic *Ioannes Platea*, & *Ioan. Lupus*, quos citat *Couarruuias*, eo quod, vniuersim *Laicorum leges*, vel edicta Clericos non ligant. Vndè iuxta hanc opinionem, si Clericus cum armis deprehendatur, ad Ecclesiasticum Iudicem est eius delictum deferendum, eiusq; auctoritate puniendum, vel ordinaria pœna, vel arbitraria. Probabile quidam existimant Clericos his statutis, vel edictis adstringi: nam licet Laicorum statuta sint, ad publicam tamen, & communem omnium salutem, & pacem spectant. Nihilominus verò probabilius mihi videtur, Clericos horum statutorum, vel edictorum pœnis nõ subijci; etiam si pœna sit tantummodo pecuniaria, vel armorum amissio. Si enim corporalis sit, pro certo omnes habent, Clericos per Magistratum civilem puniri iure non posse. In Gallia tamen, aiunt *Couarruuias*, & *Iulius Clarius*, in Clericos arma deferentes, Magistratum civilem animaduertere, vel eos armis spoliando, vel ab eis pœnam pecuniariam exigendo: sed id Romanorum Pontificum concessu obtentum esse apud Gallos testatur *Faber*, *Cassianus*, *Carolus Degraffalius*, *Guiliel. Benedictus*, *Aufren⁹*, quos citat *Couarruuias*; ergò non iure, nec consuetudine, sed privilegio Roman. Pontif.

Secundò quæritur, De statutis Principum, Magistratum, vel Ciuitatum, quibus præcipi solet, ne quis extra Prouinciã, vel vrbis territorium frumentum exportet, vel alias res similes; alioqui res ipsas amittat, aut certam pecuniæ summã persoluat: *Iulius Clarius lib. 5. de recep. sent. 6. pract. criminalis q. 82. nu. 35.* hanc quæstionē disputat. Sunt qui eiusmodi statuta, vel iusta defendant: quia nimirum ea condi solent ob publicam, & communem utilitatem, ne scilicet, sequatur frumenti, siue annonæ penuria, & caritas. Contra, alij hæc statuta improbant, & damnant ob eam causam, quod Principum, aut Magistratum auaritiã foueant, & augeant, quoniam ex quolibet frumenti modio, qui extrahitur, certum vectigal exigitur; & Princeps, ac Magistratus quotidie facultatem extrahendi cõcedunt, quibus volunt, dummodo certum illud vectigal persoluat, & ita maiorem penuriam inducunt, ac proinde etiam maiorem annonæ caritatem. Sed quicquid sit, negari non potest, quin eiusmodi statuta cum recta ratione, & æquitate conueniant: quoniam alioqui si libera esset extrahendi facultas, maxima subinde frumenti penuria Respublica laboraret. Solent enim finitimi, ac vicini populi, annonæ inopiam pati; & idcirco nisi talia statuta conderentur, totum frumentum ex vno loco in alium alportaretur, eo quod alibi carius vendatur. Ergò Respublica bono consulitur, cū cauetur, ne frumentum extra prouinciã, vel oppidum extrahatur. Quod si deinde passim facultas datur extrahendi; culpa est, vel Principum, vel Magistratum lucri, & quæstus gratia, liberam multis facultatem concedentium. Certè cum annonæ penuria futura probabiliter creditur, extrahendi facultas denegari debet, vel ante data simpliciter adimi, vel ad tempus differri, atque suspendi.

Quæres, nunquid huiusmodi statuta, quibus vetatur, vinum, frumentum, vel carnes, vel animalia extra prouinciam, vel locum deportari, ligent etiam externos? Respondeo, maximè, & ita habet vsus, & cõsuetudo teste Alberico quem citat Clarius. Quæres itidem, an etiam teneant eum, qui exportat in vsum suum? Respondet Bartholus, non tenere, quam opinionem ait Iason esse communem. Bartholum, & Iasonem citat Iulius Clarius, loco citato. Cæterum quicquid illi opinentur, vsu est receptum teste Iulio Clario, vt exportantes in vsum suum, his statutis adstringantur, & pœnis, quibus cæteri, puniantur. Quod si liceret alicui extrahere in vsum suum, tunc eidem quoque fas esset, quando ei quippiam eorum superesset, id promiscuè cui vellet, impunè vendere. Item, si aliquid extraheret in vsum suum, & deinde voluntatem mutaret, liceret quoque cui libet vendere. Sed quia vsus habet, vt exportantes in vsum suum, his statutis teneantur; consequitur, vt nihil ex prædictis facere alicui licitum sit. Quæres itidem, an his statutis comprehendantur exportantes siue extrahentes farinam, quando prohibent, quominus quis frumentum exportet. Quidam negant, immò ita communi consensu auctores sentire Albericus testatur, quem citat Clarius. Alij verò sentiunt comprehendendos, & Ripa eodem Clario teste scribit, hanc etiam esse communem sententiam. Quicquid sit, tradit Iulius Clarius esse consuetudine receptum, vt extrahentes farinam decreta in statuto pœna, qua cæteri, puniantur. Et certe (quod supra de frumento dixi) si cuique liceret farinam exportare, legi plurimum derogaretur. Rogabis etiam, an si statutum pœnam constituat in eum, qui frumentum exportauerit, qui que in eo delicto fuerit deprehensus, locum etiam habeat in eo, qui deprehensus quidem non fuerit, sed testibus in iudicio delicti conuictus? Respondet Ripa, vt testatur Clarius, communem esse sententiam, locum nõ habere; quia verba statuti sic habent: Qui exportauerit, & in eo fuerit deprehensus, puniatur. Quod si in statuto dicatur: Qui exportauerit, pœnam luat, tunc statutum tenet eum, qui asportauerit, & quem itidem exportasse in iudicio testimonia conuicerint. Sed vsu est quoque receptum teste Clario, vt etiam puniantur ij, quos exportasse, testes in iudicio probauerint. Dubitant etiam aliqui, num qui frumentum extrahit, & in itinere deprehenditur, priusquam prouinciæ, vel loci fines egrediatur, puniri debeat ac si extraxisset? Quidam negant, alij affirmant, vt Iulius Clarius testatur. Sed certè in more positum est, vt in eum pœna in statuto irrogata, qua in cæteros, animaduertatur; dummodo constet eum, qui in itinere deprehenditur, frumentum velle exportare, & extrahere, ita docet Iulius Clarius. Postremò, quæres quid sit dicendum, quando Titius exportat vnà cum mercibus interdicitis merces permissas, nunquid amittat solum veritas, an etiam permissas? Quid item, si non solum exportet suas, sed etiam alienas prohibitas simul cum mercibus permissis? Aiunt quidam omnes merces confiscari, & siue sint propriæ, siue alienæ, dummodo mercium dominus scienter consensum præstiterit, vt exportarentur. Alij verò sentiunt, solum mer-

ces veritas amitti, & sisco addici, & ita esse in more positum scribit Albericus: quæ certè opinio teste Iulio Clario est mitior, atque benignior.

Tertiò quæritur de statutis quarundam ciuitatum, quibus præcipitur, vt si quis, vel in Republicam coniuauerit, vel patriam prodiderit, vel aliquo alio grauiori crimine sese obstrinxerit, sic puniatur, vt vniuersa eius bona deusentur, nunquid locum, & vim habeant, eiusmodi statuta? Respondeo: quamuis iure communi nullius sint ponderis, & momenti, vsu tamen obtinuisse, vt valeant, vt testatur Albericus, & Parisium sequutus Iulius Clarius, lib. citat. q. 82. m. 42. Si quæras quid agendum, quando Titius tale crimen committens habet plures domos cõmunes cum alijs? Respondeo, oportere eas domos diuidi, & tantum illas everti, quæ contingunt partem nocentis, vt cum Alberico docet Iulius Clarius. Sed quid dicendum est de eo, quod interdum accidit Titius verbi gratia habet partem vnã domus superiorum, aut inferiorum, & alius habet item alteram, nunquid tota domus est diruenda? Respondeo, minime: Sic Iulius Clarius cum Corsetto. Sed tunc debet pœna commutari, ne Socius innocens pœnam immeritam sustinere cogatur. Rogabis, num vxor sit audienda dorem suam petens, An item sit creditoribus satisfaciendum, si vniuersa Titij debitoris bona deuasentur? Quidam teste Iulio Clario aiunt, tum vxorem, tum creditores esse audiendos, & vtriusque esse satisfaciendum. Alij verò sentiunt bona Titij esse excidenda, & per dendos; siscum tamen de suo, & vxori, & alijs creditoribus satisfacere debere. Ita docet Iulius Clarius, loco supra citato.

Quartò quæritur, Quo modo statuta accipi debeant, in quibus certa pœna cõstituitur in eos, qui de nocte crimen aliquid admitterint, quemadmodum in his statutis, nos accipienda sit, vidè nimirum incipiat, aut vbi finiatur? Respondet Iulius Clarius lib. prædicto q. 82. num. 48. appellatione, noctis, intelligi tempus ante solis exortum: quamuis alij nocte accipiatur totum illud tempus, quod tenebris obsecuratur ante diurnæ lucis reditum, & accessum. Ita etiam nonnulli aiunt noctem incipere statim post solis occasum. Alij verò intelligunt tempus, quo vespertina luce recedent tenebræ incipiunt: Ita vt tota hæc res iudicis arbitrio definita relinquatur. Ac proinde crimen illud de nocte admittum censetur, quod paratum est eo tempore, quo lux matutina, vel vespertina nondum apparet. Si quæras quid dicendum sit de ijs statutis, quibus præcipitur, vt duplicata pœna animaduertatur in eum, qui de nocte deliquerit; & item dupla pœna condemnetur is, qui in publico foro crimen admitterit: quando contigerit, vt Titius, & de nocte, & in publico foro crimine sese obligauerit. Quæritur namque an simpliciter duplum debeat, perinde ac si de nocte tantummodo, aut in publico foro solum deliquerit: an verò quadruplum? Respondeo cum Iulio Clario lib. prædicto, q. 82. m. 36. Titium debere simpliciter duplum, non quadruplum: Est igitur ille duplo tantummodo condemnandus.

Quintò quæritur de eo statuto, quo præcipitur, vt ei, qui delictum sponte sua, & voluntate confitetur, pœna minuatur: num si is primum

negauerit

negauerit se delictum commisisse, deinde verò illud sponte confessus fuerit, debeat statuti beneficio gaudere? Bartholus apud Iulium Clarium lib. citato. q. 82. Respondet minimè, & Socinus apud eundem Clarium, eodem loco, ait hanc esse communem sententiam: à Bartholo dissentiunt Iason, & Felinus apud Iulium Clarium asseuerantes etiam contra Bartholum Doctores, communi consensu sentire. Certè mitior est, & benignior hæc secunda sententia teste Iulio Clario; nam verè is spontè crimen confessus censetur, etiamsi id ante negauerit se illud perpetrasse.

Sexto quaeritur, de eo statuto, quo præcipitur, vt quis ob tertium furtum patibulo affigatur, an si quis, Verbi gratia, duo furta extra territorium, & tertium intra commiserit, suspendi debeat perinde ac si primum etiam, & secundum intra territorium admiserit? De hoc statuto Iulius Clarius lib. 5. recepta. sentent. §. furum n. 10. Quidam censent eum esse alligandum ad palum; Alij verò distinguunt: Aut statutum sic habet: qui tria furta fecerit, affigatur ad palum: aut sic: Ob tria furta fur suspendatur à palo. Si primo modo, suspendi iure non potest, quia non videtur tria furta commisisse, qui duo extra territorium fecit. Si secundo modo, tunc ad palum alligari iure potest, quia statuto tertium furtum punitur, non tria furta. Quæres quid dicendum sit, quando statutum sic habet: *Famosus, vel publicus fur suspendio poreat.* An computari debeant furta extra territorium perpetrata? Respondet Iulius Clarius, communem esse sententiam, & consuetudine receptam, vt ea furta computentur: is enim fur famosus censetur, qui hic, & alibi furta plura committit.

Septimo quaeritur, An subsistat statutum, quo cauetur, ne is, qui per tres, quatuor, quinque ve, aut decem annos debitum non petierit à debitore, possit illud amplius postulare, vel in iudicio non audiatur. Quidam negant locum, & vim illam habere, eo quòd nemo absque causa potest iure suis bonis spoliari, ergò creditor non est suo iure priuandus. Præterea, possessor male fidei vsucapere, aut præscribere, vt vulgo dicitur, non potest, c. vlt. de prescrip. c. possessor de regul. iuris in 6. at debitor etiam per quinquennium, vel decennium creditore nihil petente, scienter rem alienam possidet, ergò vsucapionis, aut præscriptionis privilegio gaudere non potest. Alij verò contendunt iustum esse huiusmodi statutum, eo quòd sicut leges elapso præscriptionis tempore dominum suis bonis spoliant, eorumque dominium in possessorem transferunt, sic etiam statuto decerni potest, vt debitor contra creditorem nihil ab eo exigentem intra certum tempus vsucapiat, iure præscriptionis. Nam quemadmodum præscriptionis leges sunt iustæ, quoniam latæ constitutæque sunt ad lites dirimendas, pacemque seruandam, & ad negligentiam dominorum puniendam, & ne domina rerum sint incerta: Sic etiam iusta videntur esse statuta, quibus præcipitur, vt creditor intra quinq., vel decem annos debitum non exigens à debitore, illud amitrat, & suo iure cadat. Bartho. in l. sequitur, §. si viam. ff. de vsucapionib. approbat ea statuta, quibus cauetur, vt creditor intra certum tempus debitum à debitore suo petat, qui si non petierit iure suo, & actione cadat,

vel non amplius audiatur. sed Angel. in eandem legem ait, Bartholum in hac sententia improbari, & damnari ab omnibus: & ita reuera eius opinio in hac parte merito condemnatur; quoniam, vt constat, ex c. vlt. de prescrip. c. possessor de regul. iuris in 6. possessor male fidei nullo tempore potest vsucapere, siue præscribere; & ita contra Bartholum sunt Ioan. Andreas, Antonius, Abbas, Felinus in c. vlt. de prescrip. Couar. in regula. possessor p. 2. §. 11. nu. 3. 4. c. 5.

Deinde similia quoque condi statuta solent, quibus decernitur, vt qui à Turcis, & alijs Christianorum occupata eripuerit, sibi retineat, si intra tres dies, quatuor, vel quinque, aut septem dominus non compareat, aut sua bona non repetat. Solent etiam esse statuta, vt bona naufragantium ad fiscum Principis pertineat, si ad anum dominus ea non reposcat. Item alia quibus decernitur, vt ad fiscum deueniat, si intra nauim nulla res viua inuenta sit. Item solet esse statutum, vt stipendium, & merces famulis debitum exigi non possit post triennium à die, quo à famulatu cessauerint, vel à dominis recesserint, nisi intra id triennium à dominis stipendium petiisse probauerint. Alicubi statutum est, vt famuli mercedem pactâ, aut debitam à dominis petant intra annum à die, quo seruire cessauerint; post annum autem famuli salarium petere non possunt, nisi scripturam producant in iudicium, qua probetur petitio. Hæc statuta, & similia improbat Caltrus l. 2. de lege p. nali ca. 10. Couar. in reg. possessor p. 2. §. 11. n. 3. c. 4. & merito, quia vt dixi, nemo, cum est possessor male fidei, præscribere potest, sed debitor sciens se esse obligatum ad soluendum, mala fide possidet. Sed de his statutis latius agam, cum de vsucapione, vel præscriptione tractabo. Omnino primum videndum est, an hæc, & alia similia statuta solummodo creditori denegent actionem in iudicio civili contra debitorem, eo quòd intra certum tempus petere debitum neglexerit; nam creditori, qui intra annos lege constitutos à præsentem debitorem suum debitum non repetit, fortassis iustus de causis id exigentibus ob publicum bonum, ius denegatur conueniendi debitorem apud Iudicem civilem, & contra eum in iudicio civili agendi. Et fortassis eiusmodi statuta sic intelliguntur, vt creditor, qui intra decennium non petijt, non audiatur. At toto eo tempore transacto, debitor in foro conscientia, & iure canonico creditori debet soluere, quamuis in iudicio civili nequeat ad soluendum compelli. Quod si statutum absolute, & simpliciter constituat, vt creditor intra certum tempus debitum petens iure suo, & actione cadat, & debitum amitrat, omnino damnandum est, quamuis quorundam Bartholum sequentium sententia comprobetur: nam Respublica ad lites quidem dissoluendas, & dominia rerum incerta vitanda, tuendamque pacem, ius habet ex vno in alium bona transferendi: & potest actionem denegare ob aliquam causam, quæ abique vilo dolo, & mala fide contigerit, vel eo quòd defuerit solennis stipulationis formula legibus præscripta; non tamen ius habet condendi legem, qua quis occupet rem alienam cum mala fide, vel detineat id, quòd scit quis, se alteri debere.

Vndè iniquum etiam statutum videtur, quo cauetur, vt emptor, qui emit rem cum pacto retrovendendi, quando venditor pretium obtulerit, eam rem præscribat, siue vsu capiat, si venditor non obtulerit pretium spatio triginta annorum: quamuis quidam hoc statutum approbent, quos citat, & refellit Couar. lib. 1. varia. resolut. cap. 9. nu. 5. Non valet etiam statutum, vt creditor pignus vsucapiat, si intra certum tempus debitor non soluat, teste Couar. loco citato. Nec item vim vllam habet statutum, quo decernitur, vt hæres scienter præscribat rem legatam, si legatarius intra certum tempus non petat, vt tradit contra aliquorum sententiam Couarr. loco citato.

Octauo queritur, De statutis quarundam ciuitatum, quæ præmium constituunt ijs, qui fontes cœperint, An minister Magistratus, qui eos capit, constitutum præmium mereatur? Respondeo, minimè, quoniam sui muneris, & officij ratione id exequi, & obire compellitur; ita Iulius Clari⁹ lib. 5. recepta. senten. in practica criminali. lib. 9. q. 29. num. 8. vbi ait, ita Ioan. Montanum, & alios sensisse, & id ita seruari.

Nondò queritur, An valeat statutum, quo cauetur, ne contractus foeminarum, vel minorum alicuius sint ponderis, & firmamenti, etiam si iureiurando confirmentur, nisi interueniat curatoris consensus, & decretum iudicis, vel nisi interueniat duorum propinquorum consensus? Respondeo cum communi sententia iuriconsultorum, quam refert Iafon in l. sacramenta puerum. c. si aduersus venditionem, minimè, quoniam iuri Canonico in cap. quamuis, de pass. in 6. c. cum contingat, c. mulieres, de iureiur. c. significante, de pignorib. aduerfatur, quod præcipit iusiurandum esse seruadum, si absque peccato seruari potest. Vndè multa alia pacta, & conuenta iureiurando munita, & firmata vim habent, etiam si secundum leges irrita, & inania alioqui habeantur absque iureiurando facta.

Decimo queritur, An valeant statuta ciuitatum, quibus decernitur, vt si quis alium occiderit, vel puellam virginem, & honestam per vim stuprauerit, bona eius, vel saltem dimidia pars bonorum ad hæredem vitiatæ puellæ, aut interfecti hominis pertineant? Respondeo cum Raynerio, & Alberico, in repetitione super l. omnes populi. §. in Christi nomine. ff. de iust. nu. 27. valere, quia homicida, vel stuprator virginis honestæ vitæ, & conditionis, capitali pœna, vel amissione dimidiæ partis bonorum plecti iure potest, ergo & suis bonis priuari. Stupratoris pœna capitalis erat secundum ius civile, si puella honesta per vim corrumpebatur. l. 1. ff. ad legem Iuliam, de adulterijs, c. Instit. de publicis iudicijs, §. item lex Iulia. si erat vilis conditionis stuprator verberabatur, aut relegabatur, & dimidia pars bonorum eius publicabatur, Instit. de pub. iudicijs, §. item lex Iulia.

Vndecimo queritur, An vim habeat statutum, quo decernitur, vt Respublica habens rem communem cum priuato, liberè rem totam vendere queat cum non possit partem per se commodè vendere. Respondeo vim habere, quia communitate Reipublicæ bonum priuato est ante ponendum. Et quia id iure communi constitutum est in l. 1. c. de venditione rerum fiscalium cum priuatis commu-

nium lib. 10. l. 2. c. de communione rerum alienat. & ita etiam docuerunt Raynerius, & Albericus in repetitione citata: at priuato rem communem cum alio priuato habenti partem suam vendere non licet absque consensu alterius. l. 2. c. de communione rerum alienatione.

Duodecimo queritur, Quomodo statuta interpretari possimus? Respondeo, in cap. cum dilectus, de consuetudine, de quodam statuto dicitur: Ceterum, cum supradictum statutum ita sanè potest intelligi, quod per illud nec iure communi, nec privilegio derogetur, c. c. Vbi Glossa annotat: Vbi aliquid à iure derogare videtur, ad ius commune reducendum est, si fieri potest; ne pereat: nam testes etiam ad concordiam reuocari debent, ne tanquam periuri damnentur, cap. cum tu, de testibus, sic Glossa. Ergo statuta ita oportet interpretari, vt nulli sint oneri, damno, & detrimento. Deindè, vt quam fieri potest, iuri communi consentiant, vt colligi potest ex cap. casam que, de rescriptis, c. cap. ex ore, de priuileg. c. cum olim, de consuetudine. Vbi verò certa, & clara sunt statuti verba, ab eis recedendum non est. Locus enim est interpretationi, quando verba sunt ambigua, vel obscura, vel incerta.

Decimotertio queritur, An statutum sit ad casus fictos trahendum, & protèdendum? Tractant hanc quæstionem Abbas, in cap. cum dilectus, de cleric. non resi. & doctores in cap. in nostra, de iniurijs, in l. 3. §. hæc verba, ff. de nego. gest. Barbo. Bald. & Iafon in l. omnes populi. ff. de iust. c. iure. Sciendum est, iuris tum Canonici, tum Ciuilis interpretes facta, vel alia, quæcunque sint in duo membra diuidere, ita vt alia vocent vera, alia ficta, id est, quæ iuris fictione iudicentur, ac si verè facta essent. Exempli gratia, cognatus proprie dicitur, qui per matrem ex eodem genere descendit. §. 1. Instit. de leg. agnato success. c. l. 2. §. 1. ff. de suis, c. legit. & tamen ius voluit, vt filius fororis, agnatus habeatur, tanquam si per virilem sexum descenderet, & habeat iura agnatorum, lege duodecim tabularum, & l. meminimus. C. de legit. hæredi. Item libertus, ingenuus homo non est, & tamen ius commune aliquando voluit, vt habeatur ingenuus. Impensæ, damnum proprie non sunt: nam damnum est diminutio patrimonij per alium facta, l. 3. ff. de dam. infe. at impensæ voluntarie factæ sunt. Item cum homicidium committitur, Caius per seipsum occidit, Titius verò suadet, imperat, hortatur, consilium, auxiliumque dat: Caius dicitur verè homicida, Titius verò tantum iuris fictione. Queritur, an si statutum certam pœnam contra homicidam constituat, in eam incurrat non solum, qui per se ipsum alium necat, sed etiam qui eadem hominis suadet, aut imperat? Respondeo ex communi sententia, statuta, quæ sunt contra, vel præter ius, vel odiosa, & pœnalia, protèdenda non esse ad casus fictos. Si enim statutum edixerit: Qui fecerit hoc, aut illud, certa pœna puniatur, non censetur fecisse, qui fieri iussit, suadet, rogauit, iuuuit, consiliumque dedit. Si statuto decretum sit, vt repeti damna possint, non intelliguntur impensæ. cap. in nostra, de iniurijs. Finge statutum esse, vt agnati excludant matrem in successione filij, non potest succedere filius fororis, ac si cognatus esset, non agnatus; Quando verò statutum continet idem, quod ius commune,

tunc

tunc casus fictus, qui iure communi excipitur, etiam statuto intelligitur exceptus. Vt si statuto caveatur, Clericum fructus Beneficij non percipere, nisi præfens sit, excipiuntur ij, quos excipit ius commune. Sic Panormitanus loco citato.

Decimoquarto quæritur, An cum statuti verba dolum continent, trahi statutum possit ad id, quod lata culpa contra statutum factum est? Respondeo: quamvis iure communi, lata culpa, & dolus frequenter æquiparentur; at in statutis tamen, si verba dolum significant, ad latam culpam non sunt trahenda. Pari ratione, si statutum sic habeat: Qui hoc, aut aliud scienter fecerit: non tenet, & ligat eum, qui per ignorantiam quamvis crassam, & supinam fecerit. Hæc quæstio ex superiori quæstione pendet, & eodem modo dissolvitur ex communi sententia Doctorum, locis supra citatis.

Decimoquinto quæritur, An statuti conditores abrogare possint statutum à se conditum, aut ab eo recedere, cum fuerit Romani Pontificis, aut alicuius alterius superioris auctoritate confirmatum? Hanc quæstionem tractant Canonici iuris interpretes in cap. Cum accessissent, de constitutione. cap. Dilectio, de preben. & presertim Felinus, & Abbas: Iuris verò Civilis Doctores, maximè Bartolus in l. omnes populi, ff. de iustitia, & iure, & Baldus, & Fulgosius in l. omnium, C. de testamento. Inter eos convenit, quandoque statutum pertinet ad utilitatem, & bonum ipsorum, qui id statutum condiderunt, posse eos illud abrogare, & antiquare, & ab eo recedere, quoniam periurè est, ac si privilegio sibi concessio, vel suo iuri cederent: potest enim quisque privilegio non uti, & se iuri communi accommodare. Ex quo fit, ut Titius, vel quilibet alius testator liberè queat revocare testamentum, quamvis alioqui Principis auctoritate firmatum. Pari ratione Canonici vni Collegij statutum à se conditum de non augendo numero Canonicoꝝ, mutare possunt, quamvis Romani Pontificis auctoritate approbatum. Quandoque verò statutum pertinet ad ius, & bonum aliorum, vel publicum, & commune, nequeunt eius statuti conditores illud abrogare, si sit superioris auctoritate confirmatum; nam eo ipso, quod superior auctoritate sua illud confirmavit, perinde est, ac si legem tulisset: at inferior superioris sui constitutionem tollere, vel delere non potest. Præterea, quando statutum ita est superioris auctoritate confirmatum, ut in ea confirmatione clausula hæc contineatur adiecta: *Aliud factum, sit irritum, & inane*: tunc eius statuti conditores nequeunt illud abrogare, nec ab eo recedere, ut apertè dicitur in cap. Dilectio, de preben. Et hoc locum habet etiam, quando statutum continet privatam utilitatem, & bonum eorum, qui condiderunt: ut aiunt Abbas, & Felinus. **QVÆRES**, cur ea adiuncta clausula, nequeant conditores statutum abolere, cum sit liberum cuique suo iuri, & commode cedere? Respondeo: etiam si ad privatam eorum utilitatem spectet, potuit nihilominus superior prorsus adimere potestatem omnino antiquandi, & abrogandi, ne importunis precibus, iniis, vel fraudibus aliquorum, statutum è medio tolleretur.

Decimosexto quæritur, An si Civitas, vel Collegium Canonicoꝝ statutum à se conditum iureiurando firmaverit, possit illud mutare, abrogare? Hanc etiam quæstionem agitant Felinus, & Abbas, locis supra citatis. Fingamus esse à certis quibusdam Canonicoꝝ positum statutum de non augendo numero Canonicoꝝ, cum alioqui iure possent augere: quoniam ubi certus numerus Canonicoꝝ constitutus non est, Canonici iure possunt numerum augere, quamvis id nequeant, ubi est certus numerus: ut habetur in cap. Dilectio, de preben. Fingamus etiam Canonicoꝝ statutum iureiurando inunctum, hoc posito quæritur, an huiusmodi statutum possint Canonici antiquare, & abrogare. Eos enim illud non posse, apertè constituitur in cap. Dilectio, de preben. Respondeo, eiusmodi statutum tripliciter Canonicoꝝ iurare posse: Primo, si iurent se nunquam illud statutum abrogaturos. Secundo, si iurent se illud statutum servaturos, aut nunquam alium in Canonicoꝝ recepturos, ut in statuto continetur. Tercio, si iurent nulla facta mentione statuti, se facturos semper, quod est in statuto contentum. Vt si iurent hunc in modum: *Iuramus nunquam nos alium in Canonicoꝝ admitturos*. Si primo modo iuraverint, periuri sunt, si statutum mutent, vel abrogent: item, si alium in Canonicoꝝ recipiant: nihilominus tamen receptio valet, quem admodum, si quis iuret se nunquam testamentum mutaturum, aut certam rem suam alienaturum, aut venditurum domum suam, nisi Titio: si aliter faciat, periurus est; at mutatio testamenti, vel rei alienatio, vel domus venditio, ut rata & firma subsistit. Si secundo modo iurent, tunc similiter cõtra statutum faciendo peccant, eo quod iusiurandum violant. Contra solummodo iuraverunt se statutum servaturos, & statutum non servant, quia illud antiquant, & abrogant, & de medio tollunt, statuto abrogato, iusiurandum dirimitur, tanquam id, quod ad statutum accedit. Felinus, Antonius, Butrius, & Ioannes Lignanus hoc moti argumento aiunt Canonicoꝝ tunc temporis minimè peierare. Abbas tamen asserit etiam tunc Canonicoꝝ si à statuto recedant, periurium admittere: & hoc est verius, velut si Titius iurasset se testamentum non revocaturum, aut illud semper servaturum, aliud faciendo peierasset. Deinde, odijcies, Iusiurandum, quo Titius se Caio obstringit, potest à Caio relaxari, & remitti: ergo cum Canonici iurant se nunquam alium in suum Collegium recepturos, cum iusiurandum in ipsorum utilitatem cedat, poterunt singuli gratia aliorum, iusiurandi vinculum solvere. Respondeo cum Abbate, quamvis in singulorum bonum, iusiurandum sit statuto adhibitum, nequeunt tamen singuli per se à iureiurando, alios socios eximere. Id enim fieri nequit, nisi singuli se ipsos à iusiurandi vinculo abluant, at nemo potest iurisdictione in seipsum uti. Si Canonici tertio modo iurent, nequeunt vel statutum abrogare, vel contra illud facere, eo quod, non iusiurandum de statuto servando interpoluerit, sed absolute, & simpliciter iuraverunt se nullum alium in Canonicoꝝ recepturos, non facta mentione statuti. Sed quid de eo iureiurando, quo singuli alicuius civitatis, Collegij, vel academice

homines

homines iurare solent se seruatuos semper statuta ciuitatis, collegij, vel academiæ? num hisce hominibus in vnum coactis ea statuta licebit abrogare, & delere? Respondeo, cum Abbate, eis hoc facere licere, quia iusiurandum illi homines adhibuerunt, vt singuli, postea verò statutum antiquant, vt collegium, vt vniuersitas, vt corpus: quare cõtra iusiurandum non faciunt; nam iurarunt, vt singuli, non autem, vt collegium, vel vniuersitas. Postea verò ab eis, vt ab vno Collegio, vel vniuersitate statutum abrogatur; & ideo ipsi amplius iusiurandum seruare non debent. sublato enim principali, aufertur quoq; id, quod accedit.

Decimo septimo queritur, An sublato iure cõmuni per legem sequentem contrariam, intelligatur quoque statutum Iuri communi consentaneum abrogatum? Respondent quidam, minime: quod colligitur ex cap. 1. De consuetudine in 6. Nam Princeps, cuius auctoritate ius commune antiquatur, non creditur specialia statuta, consuetudines, & priuilegia nosse; & ideo cum secundum legem primæ legi contrariam condit, eo ipso, videtur primam abolere, quoniam nõ creditur ius commune ignorare: at quoniam specialia iura non iudicatur nosse, non creditur illa abrogare. ergo sublato iure communi, sicut remanet consuetudo iuri communi cõsentanea legitime præscripta, sic etiam permanet statutum. Ex quo fit, vt qui iurauit seruaturum se statutum; quod ius commune continet, id seruare debeat, etiam si ius commune sit abrogatum, cum adhuc etiam statutum permaneat. Alij verò distinguunt hunc in modum: aut statutum nihil aliud continet, nisi quod ius commune, aut aliquid aliud addit. Si primum, tunc iure communi sublato, tollitur quoque statutum: si secundum, tunc antiquato iure communi, adhuc statutum permanet. Hanc sententiam Felinus, ait esse communem, quam sequuntur Petrus Ancharanus, & Cardinalis. Nam cum statutum nihil aliud continet, nisi quod ius commune constituit, potius est iuris communis declaratio, quam ius aliquod priuatum, aut proprium: quoniam in l. ius civile, ff. De iustitia, & iure dicitur: tunc ius nostrum facimus, cum iuri naturali quippiam addimus, aut detrahimus. Ergo cum nihil iuri communi additur, vel detrahitur, non est ius aliquod proprium, sed commune. DICES: Quorsum statutum conditur, si nihil iuri communi addit, vel detrahitur? Respondeo: ius commune statuto replicari, siue repeti, quia plus aliquando terrere facinorosos solet statutum, quam ipsum ius commune, vt ait Gloss. in cap. ex parte, de rescriptis. Hinc etiam est, vt si Titio fiat ab Episcopo potestas ingrediendi semel in sacrarium Virginitatis coenobia, & postea Episcopus generatim facultatem det, vt certo die quilibet possit semel ingredi, & Titius eo die ingrediatur, facultas sibi data finiatur, ac desinat.

Decimo octauo queritur, Quinam possint condere statuta? an Populi videlicet, & ciuitates Principibus, vel Dominis subiectæ aliquid statuere queant? Hanc quæstionem fusius agitauit Bartholus, sed Albericus, Iason, & alij breuius in l. Omnes populi, ff. de iustitia, & iure; Hostiensis quo-

que Ioannes Andreas, & Abbas stricim, & cursum attingunt, partim in c. Quod Clerici, de foro compet. partim in cap. vlt. de consuetudine.

Inter omnes conuenit, populos, & ciuitates statuta condere non posse contra iura, & sine contra ea, quæ sunt Principibus, vel Dominis seruata: esset enim irritum, & inane statutum, quo Ciuitas, vel populus ad principem, vel Dominum appellare prohiberet: sicut etiam si Magistratus crearet, monetam cuderet, imponeret vectigalia, bellum indiceret. Pro certo item omnes habent, posse populum, vel ciuitatem statuta ponere, quæ ad bonorum suorum communium administrationem pertineant: habet enim populus, vel Ciuitas etiam superiori subiecta quedam communia bona, quæ nullius priuati sunt ciuis, sed communis, videlicet, pascua, siluas, agros, domos, & alia huiusmodi: potest igitur aliquid statuere, quo bona conseruentur, augeantur, defendantur, multiplicentur, vel certe ne deteriora fiant.

Caput igitur propositæ quæstionis ex eo pendet, An omnes ciuitates populi, villæ, & castra possint statuta condere, quæ spectent ad causas definiendas, lites uel dirimendas. Dux sunt opinionones; vna est Bartoli asserentis, statuta condere, eorum tantum esse, qui iurisdictionem habent: & propterea populi, & ciuitates nullam iurisdictionem habentes, nihil statuere possunt, hoc est dicere, nequeunt statuto cauere, vt masculi succedant, non foemina: tanta sit & non maior, aut minor, legitima portio, quæ filijs debeat, testamenta sic vel aliter facta locum, & vim habeant, aut non habeant: & alia huiusmodi. Altera opinio affirmat, posse populos, & ciuitates statuta condere, siue statuendi potestas iurisdictionem requirit, siue aliter. Sic Iason, Albericus, & alij communi consensu docent contra Bartolum, & hæc sententia probabilior mihi videtur, quippe quæ cum ipso iure magis conuenit. Nam in l. Omnes populi, ff. De iustitia, & iure, sic est constitutum: Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure reguntur: nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsum proprium ciuitatis est, vocaturque ius civile, quod in proprio ipsius ciuitatis est. Sic ibi: Nec est quod Bartholus huius legis verba contrahat ad populos iurisdictionem habentes: Nam generatim sine vlla exceptione, lex constituit: Omnes populi: & deinde etiam dicit: quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsum proprium ciuitatis est. Item, quia omnis populus, & ciuitas etiam Superioris potestati subiecta potest consuetudines inducere: nam in l. De quibus causis, ff. De legibus sic habetur: De quibus causis, scriptis legibus non videtur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est. Sed qui possunt consuetudines inducere, possunt etiam statuta ponere, nisi fuerit illis alioqui iure interdictum. Nam Clerici, vel laici quamuis possint receptis moribus contra, vel præter Canones vtique, nequeunt tamē condere statuta, quia iura Canonica id prohibent: At verò ius civile in l. ante citata: Omnes populi: concedit, vt ciuitates, & populi scribere statuta queant: sicut etiam in l. De quibus causis, ff. De legibus, permittit, vt consuetudines inducatur, ergo vtumque populus potest. Obijcies; legē vltimā C. De legibus, &

Conti.

Constitution. ubi habetur: solius esse Principis leges ferre. Respondeo, ciuitates, & populos statuta condere, ipsius iuris communis permisso, & ideo tacito etiam Principum concessu. Deinde obijcies, potestatem statuta ponendi, esse iurisdictionis, ergo si populus iurisdictione careat, nihil statuere potest. Respondeo, satis esse, si populus id faciat ipsius iuris communis auctoritate, quã habet ex l. Omnes populi, supra citata. Quæres insuper possit ne populus statuta describere non solum præter ius commune ciuile, sed etiam contra: Respondeo, cum Alberico, & Iafone, & alijs, utrumque posse, quia eam auctoritatem habet à iure communi, ac propterea suis proprijs statutis potest ius commune corrigere, contrahere, protendere, declarare, quatenus communi populi salutis, & bono consultum erit. Si roges, an collegia possint statuta ponere. Respondet Bartholus; collegia si principis consensu fuerint approbata, posse in ijs, in quibus iurisdictionem habent: Item, posse statuere ea, quæ pertinent ad bonorum communium administrationem. Item, Magistratus, Iudices, Senatores, Prouinciatarum præfecti, Rectores ciuitatum, & populorum, possunt statuta condere, quoniam habent iurisdictionem. Item, Episcopi, Legati Apostolici, Duces, Marchiones, Comites in ijs, in quibus iurisdictionem habere solent. Item Religiosorum hominum ordines, & ipsorum ordinum præfecti generales.

Decimononò quæritur, An iuris appellatione solum intelligatur ius commune ciuile, an verò etiam statutum. Respondeo cum Baldo, Cyno, Angelo, Alberico, Ioanne Andrea, & alijs, quos citat, & sequitur Iason in l. Omnes populi. ff. De iustitia, & iure: intelligi tum statutum, tum ius commune. Sit exemplum: Testator sic ait: *Instituto filios meos in eo, quod iure conuenit, & iure possum: relinquit filium, & filiam: & ex populi statuto cautum est, ut frater masculus excludat foeminam: & ex altera parte communi iure in l. Maximum vitium, c. De liberis præteritis, foemina pariter cum masculo succedit, seruandum est statutum. similiter factum est compromissum, ut iudicet Arbitrator, secundum iura; iudicare debet secundum statuta iuri communi contraria. Item, renuntiauit aliquis omni iuris auxilio, intelligitur renuntiasse etiam statuti beneficio. Pari ratione promittit quis se doctum daturum secundum ius: vel petit aliquis à Iudice, ut reus secundum ius condemnatur, intelligitur secundum statutum etiam iuri communi contrarium, quia statutum verè est, & propriè ius, quamuis non commune.*

Vigesimo quæritur, An statutum iureiurando firmatum, abrogetur per clausulam. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus & statutis. Respondet Glossa in c. Cum non deceat, de Elect. in 6. non abrogari quemadmodum etiam conuentum, vel pactum iureiurando confirmatum non dissoluit, aut tollitur per generalem clausulam; Non obstantibus quibuscunque pactis. Ut Glossa in clem. Dudum, §. Punitur, de sepulchra, annotauit.

Vigesimo primò quæritur, Quid sit specialiter dicendum de quorundam statutorum interpretatione: Verbi causa: statuto cauetur, ut qui hoc vel illud non fecerit, certam poenam luat, & Ti-

tius non fecit, sed alius fecit pro ipso, Titius ne in eam poenam incurreret, quia ipse per se non fecerit. Respondeo cum Syluest. statutum. question. octaua, versicul. primum, & cum Bartholo in l. cum seruus, ff. De verborum obligatio. Titium eam poenam non contraxisse: quia in poenis, ut quis liberetur, nihil refert per quem fiat id, quod statuto decernitur, dummodo fiat. L. Si puellam, c. si mancipium. Vnde si testator mandauerit aliquid depingi in certo loco, vel signum, aut monumentum poni; poena nisi id fiat constituta, poena non contrahitur, si id factum esse confiterit, quamuis per quem factum fuerit, prorsus ignoscitur. Dixi (in poenis) quia secus est in commodis & lucris consequendis. Item, statutum est, ut quilibet aquæ beneficio gaudens, decem soluat: & Titius gaudet tali beneficio in pluribus locis, quæritur an soluere debeat plusquam decem? Minimè, quia statutum dicit, Quilibet, non, quoties: & sicut vnus hominis est vnum duntaxat patrimonium, quamuis in multis locis consistat, sic vnum est beneficium & commodum. l. Legisperitos, §. cum oriundus, ff. De excusatio. tutela. & in l. Si n. qui tres, eodem Titulo. Syluest. statutum. question. octaua, versicul. secundum, si statuto conetur. Insuper statuto decernitur, ut rustici fontem & reum non capientes, damnum reficere debeant, quæritur, an rusticus damnum passus contribuere cogatur vnà cum alijs rusticis? Respondet Bartholus, in l. Ab omnibus, §. si Titius, ff. De legatis 1. ad id esse compellendum. Et idem, inquit, si ciuitas certam collectam imponeret, ut suo ciui creditori debitum solueretur: tunc enim ille ciuis vnà cum alijs ciuibus contribuere debet. Ita quoque statuto cauetur, ut consiliarius ad consilium ad quod venire deberet, non veniens, certa pecuniæ summa mulctetur, quæ inter consiliarios diuidatur, etiam ipse condemnatus suam partem habeat. Similiter statuitur in Collegio canonicorum, ne canonicus ad præbendam quam vocant, admittatur, nisi det canonicis fructus in primo anno ad illum pertinentes, ille etiam qui dat fructus, ad partem eorum est admitendus. Sic Bartolus loco citato. Insuper statuto cauetur, ut potestas, quam dicunt, hoc est, Magistratus & Seniores aliquid facere, vel decernere suo arbitratu possint, tunc Magistratus tantam habet auctoritatem, quantam omnes seniores: & ideo si cum vno ex senioribus aliquid decernat, vel faciat, ratum erit, & alij contra dicere non possunt. Sic docent Albericus, Baldus, Iason, Butrius quos citat Syluest. statutum. question. octaua, versicul. quartum si statuto cauetur. Idem iuris est, si poena constitueretur in Magistratum, & Seniores, Magistratus dimidiam partem, & aliam dimidiam seniores soluere iure debent, nisi aliud consuetudo seruet. Præterea statutum est, ut qui in oppido per tot annos fuerit commoratus, ciuitate donetur, locum habet statutum, etiam si per eos annos continuos non commoretur; satis est si maiori ex parte eo in oppido habitauerit; ut colligitur ex l. cum de Lanionis, §. Sabinius, ff. De fundo instructo, & ex Bartolo ibidem, & Romano in singularibus. Tandem statuto cautum est, ut quis certo officio præfectus, hac vel illa gaudeat immunitate, is, qui ob incommodam valetudinem nondum

primo officio perfunctum ad illud eligitur, & promouetur, gaudet primi officij priuilegio, ac si eo esset perfunctus; vt habetur ex l. Agentes C. De Principibus Agentium in rebus, libro duodecimo, ita docet Romanus in singularibus, quem citat Syluest. statutum. questio. 8. versic. sextum.

Cap. XXVII.

De verborum significatione.

Sciendum est, tum in iure ciuili, & canonico communi, tum in statutis, Priuilegijs, & rescriptis Romanorum Pontificum, Imperatorum, & Regum, & in aliorum itidem principum constitutionibus nonnunquam aliqua verba contineri obscura, ambigua, & dubia. Idcirco cum haec tenus de legibus, priuilegijs, rescriptis, & statutis disputauerimus, operæ pretium est, quædam etiam tradere de quarundam vocum significatione, qua leges, canones, & iura legentibus, docentibus, vel audientibus interdum occurrunt. Nam in vtroque iure ciuili, & canonico extat titulus de verborum, & rerum significatione, in quo tum iuris consulti, tum Romani Pontifices quarundam rerum, & vocabulorum vim, proprietatem, & significationem declarandam sedulo curarunt.

De coniunctionis disiunctiue vi, & significatione.

Quam Philosophi coniunctionem disiunctiuam appellarunt, iuris consulti alternationem dixerunt. l. Prætor edixit, §. Quod autem ff. De iniurijs, Vlpianus ait: Quod autem prætor ait, quid iniuria factum sit, certum dicat, quemadmodum accipiendum sit certum eum dicere: Labeo ait: Qui dicat nomen iniuriæ, neque sub alternatione, puta illud, aut illud, sed illam iniuriam se passum. Idem Vlpianus in l. si quis seruam, §. Nam qui cum extraneo, ff. de Seruo corrupti, sic ait, nam qui cum extraneo agit, siue receperit, siue corruerit, agere potest: qui cum socio, sine alternatione, id est, si corruerit.

Porro de vi, & effectu coniunctionis disiunctiue tractant Canonici iuris interpretes, præsertim Abbas, & Felinus in cap. Inter ceteras, de rescriptis, Dynus, & Ioan. Andreas in ca. In alternatiuis de regulis iuris in 6.

Primo quæritur, Quæ sit vis, & quis effectus coniunctionis disiunctiue? Respondeo, eius proprietatem esse disungere actionem, obligationem, conditionem, vel solutionem. l. plerunque in teress, §. si res in dotem, ff. de iure dotium, vbi dicitur: si res in dotem data fuerint, quamuis æstimatæ, verum conuenierit, vt aut æstimatio, aut res præstetur; si quidem fuerit adiectum, verum mulier velit, ipsa eliget, verum malit patere res, an æstimationem. Verum si ita fuerit adiectum, verum maritus velit, ipse erit electio. Aut si nihil de electione adijciatur, electionem habebit maritus, verum malit res offerre, an pretium earum. Et in l. si quis ita stipulatus, ff. De verbor. oblig. dicitur. At si sic stipulatur: Dabis, si nauis venerit, aut Titius consul factus sit, sufficit vnum factum. Et contra dabis, si nauis non venerit, aut Titius consul factus non sit, non sufficit vnum factum esse. Idem habetur in l. Generaliter. C. De Institutionib.

& substitutionib. Et in l. Si ita quis stipulatur, ff. De verbo. oblig. dicitur: Si ita quis stipulatur: siue nauis ex Asia venerit, siue Titius consul factus fuerit, vtra prius conditio extiterit, stipulatio committitur.

In disiunctiuis igitur sufficit vnam partem esse veram, quando per affirmationem tota concipitur, vt ait Abbas ex sententia Dini, & Ioannis Andreæ. V. G. dabo tibi decem, si Titius venerit, vel si Caius obierit: obstrictus teneor si alterum euenerit. At quando disiunctiua per negationem enunciatur, nõ satis est, si alterum acciderit, sed necesse est, vt neutrum contingat, vt docet idem Abbas, in eodem cap. citato, inter ceteras, de rescriptis, num. 2. veluti si dixerò: Dabo tibi decem, si Titius non venerit, vel si Caius nõ decefferit, obligatus non sum, si vnum tantum acciderit: hoc est, vel si Caius non obierit, vel si Titius non venerit. Item, si dixi, Dabo tibi decem, si Titius non venerit, vel si Caius non obierit, & nequaquam Titius venit, neque Caius est mortuus, debeo dare, quia neutrum extitit. Quod si Titius venit, & Caius deceffit, obligatus non sum, quia nihil euenit ex his, quæ cupiebam, vt probat Abbas ex l. si quis ita stipulatus, ff. de verb. obligation. & l. qui dacepta, §. vtrum, ff. de reb. dub. & Barb. ibidem.

Dialectici, & Philosophi docent, totam disiunctiuam, quæ affirmat, esse veram, si altera pars est vera: totam esse falsam, si neutra pars sit vera. Ita vt ad veritatem vna pars vera sufficiat; sed ad falsitatem vtriusque partis falsitas requiratur. In l. Si ita stipulatus fuero, ff. De verb. oblig. dicitur: Si ita stipulatus fueris: Decem aut quinque dabis, debentur quinque. Quod si ita stipuleris: Dabis post annum, aut biennium, debentur post biennium. Vel dabis Calendis Ianuarijs, vel Februarijs; debentur Februarijs. In disiunctiuis igitur, vbi aut maior quantitas, aut minor promittitur, aut longius, aut breuius tempus constituitur, semper quod minus est, aut quod longius est tempus, sub obligationem cadit.

Secundo quæritur, In disiunctiuis, in quibus sufficit vnum impleri, & seruari, cum duo disiuncta mandantur, cuiusnam sit electio? Respondeo cum Cyno, & Bartholo, in l. qui, in que. C. de seru. fugitiuis, & in l. 2. ff. de ess. actorib. & cum Abbate in cap. Inter ceteras de rescriptis, num. 5. In poenis, aut verba referuntur ad Iudicem, vel ad reum: Si ad Iudicem, eius est electio, vt si dicatur, sic, aut aliter punietur: sic vel aliter condemnentur, videlicet in exilium mittatur, vel ad triremes. Sic etiam Glossa in cap. Sicus, de Iude, cap. Crapula, De vita, & honesta. Clerico, cap. Fraternalitas, distinct. 24. Si ad reum, eius est optio, vt si dicatur, aut centum soluar, aut ex oppido discedat. Si verò verba nec ad Iudicem, nec ad reum dirigantur, nimirum si statutum dicat: pœna sit manus amputatio, vel pedis abscissio: tunc secundum aliquos, in poenis corporalibus electio est Iudicis. l. i. §. Expilatores, ff. De ess. actoribus. In poenarijs, electio est rei, vt colligi videtur ex l. Plerunque, ff. De poenis. Sed Abbas generatim, ait tunc electionem esse Iudicis, ne reus minorem, & mitiorem semper poenam eligat. Sciendum est, si vna poena sit in alteram commutata, siue translata, tunc nõ esse electioni locum, vt si statutum sic poenam constituat, soluat decem; quod si intra quinque dies non soluerit, verberibus afficiatur, elapsis quinque diebus,

non est electio, nam pena pecuniaria est in corporalem permutata. Sic Abbas, & Felinus, locis citatis, Bartolum secuti. Consuetudine potest induci, ut electio pœnæ sit in vniuersum ipsius rei, nõ iudicis: nam quamuis de hoc Abbas dubitet, & potius accedat ad contrariam sententiam, meo tamen iudicio, consuetudo potest dare reo ius eligendi: nam consuetudo est, optima legum interpretis, ut alibi dixi in hoc eodem libro quinto.

Tertio queritur, Cuius sit electio in legatis cum disunctione relicti? Respondeo, cum Dyonisio in cap. In alternatiuis, De regulis iuris in sexto, & Bartolo in l. Lucio Titio, ff. de leg. 2. Aut verba referuntur ad legatarium, & eius est optio; ut si lego tibi fundum, vel vsum fructum, tu vendicare poteris, quod malueris: aut referuntur ad heredem, & eius est electio. Si verò nõ magis ad vnum, quam ad alium verba dirigantur, electio ad legatarium spectat. Nam in l. Lucio, ff. de legatis, 2. sic dicitur: *Lucio Titio fundum Seianum, vel vsum fructum fundi Seiani lego: potest Legatarius, vel fundum vendicare, vel vsum fructum: quod facere non potest is, cui tantum fundus legatus est. Sen sus legis est, cui legatus est fundus tantummodo, non potest vendicare vsum fructum sine proprietate fundi, vel proprietatem sine vsum fructum, quia vnum tantum legatum est: & ideo illud diuidere non potest.*

Quarto queritur, Cuius sit electio, debitoris ne, an creditoris, quando quis sub disunctione alteri obligatus? Respondeo, cum Glossa in ca. Inter ceteras, de Rescrip. & in c. In alternatiuis, De regulis iuris in 6. Electionem esse debitoris; & colligitur ex Insti. De hereditibus influen. §. penult. & l. penult. c. De condit. indebiti, & l. Eremque ff. de iure dot. §. penult. & l. Si ita, ff. de leg. 2. c. Deferente. De preben. In l. In eo quod, ff. De regul. iuris, dicitur: *In eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucri potiturus est, durior causa est petitoris. Obijcies, quod habetur Insti. De legatis, §. Si generaliter, ubi legitur, si generaliter seruus, vel alia res legetur: electio legatarij est, nisi aliud testator dixerit: Respondet Glossa in c. Inter ceteras, de Rescrip. ver. quodcumque ipsorum, debitoris esse electionem, nisi moram fecerit in eligendo: tunc enim electio ad creditorem pertinet. Ex quo fit, ut si debitor certo constituto tempore & loco creditori debitum offerat, & is nolit recipere, liberetur; ac proinde si pereat, aut alio modo alienet vnum, quod debitor elegit, non debet alterum, quod extat soluere, siquidem culpa est creditoris. Syluest. Alternatiua, q. 2. Si vero neuter in culpa sit, debitor debet disunctiuè alterum. V. G. Titius debet Caio, aut seruum Pamphilum, aut Stichum: perij Pamphilus, debet Stichum, qui superflus est. Syluest. loco praedicto, ex l. datio, §. Si emptor, ff. de action. empti, & vendi.*

Quinto queritur, An aliquando disunctiuam coniunctiuam pro copulatiua in iure sumatur? Respondeo, aliquando sumi. Nam in l. Ita saepe, ff. de verbor. significati. habetur; saepe ita comparatum est, ut disunctiuam pro coniuñctis accipiantur: ut cum dicitur: *quod dedi, aut donauit*, aut pro coniuñctis accipitur.

Sexto queritur, An cum plura sub disunctione ponuntur, sit inter illa ordo seruandus? Respondeo, aliquando ordinem poni inter distincta, ac

proinde seruari debere; ut colligitur ex l. Cum pater, §. penult. ff. De leg. 2. ut si testator constituat aliquid dari liberis, aut ijs deficientibus, consanguineis, aut affinibus, aut familiaribus: tunc enim ordo à testatore positus, est seruandus.

Septimo queritur, An particulae, sine, seu, ve, sint coniuñctioes disiuñctiuæ, an copulatiuæ? Quidam aiunt esse copulatiuas. Nam in l. Si quis ita legauerit, 2. ff. De auro, vel argenteo legatis dicitur: *Si quis ita legauerit: uxori meæ mundanæ, ornamenta, seu quæ eius causa parauit, do, lego, placet omnia deberi, nimirum mundanæ, & ornamenta, & omnia alia uxoris causa parata. Et subiungitur: sicuti cum ita legatur: Titio vina quæ in vrbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi hoc enim verbum, seu, ampliandi legati gratia positum est. Hæc ibi, Ex quo fit, ut Titio debeantur vina, quæ in vrbe, & quæ in portu sunt. Item, in l. Apud Pamphilum, ff. De auro, & argenteo legatis, dicitur: *Mulier ita legauerat: ornamenta, quæ mei causa parata sunt, erunt ve: iuxta communem omnium sententiam intelliguntur legata, tum quæ parata iam erant, tum quæ postea, quamuis non ea, quæ emptæ sunt post mortem eius. Cynus ait, in l. Cum quidam, ff. de verborum significati. has particulas copulatiuè sumi, ut si quis ita legauerit: lego Titio vestem meam, seu librum meum, tum vestem, tum librum legasse censetur: sed eas particulas disiuñctiuè sumi debere, constat, ex l. Si ita quis stipulatus fuerit, & l. Si ita quis stipulatus, ff. de verb. oblig. Bartholus verò in l. Si quis ita legauerit, 2. supra citata, docet in his, quæ ad fauorem, & gratiam spectant, has particulas coniungere, & copulare, ut in legatis, in alijs verò disiuñgere. Idem etiã Abbas existimat. Glossa verò sentit, has particulas pro coniuñctis poni, cum præcedit aliquid vniuersè dictum, ut si quis legauerit vina, quæ habet, vel pecunias, vel seruos, & deinde adiungit: vina quæ habeo in vrbe, seu in portu: aut seruos, qui mihi sunt Romæ, seu Neapoli, certè particula, sine, cum ex duabus, si, & ve, composita sit, duorum generum vim simul obtinet. Nam, si, continuatiua est, & ve, disiuñctiuæ; ac propterea aliquando coniuñctiuam, aliquando disiuñctiuam est: ut si quis dicat, sine rure sim, plango, sine in vrbe: sensus est, & rure, & in vrbe plango. Aliquando, sine, disiuñgit, ut cum dico, sine veneris, sine non veneris, proficiscar. At verò particula, seu, disiuñctiuam est, non copulatiua, qua iungimus ea, quorum alterum tantum, non vtrumque affirmamus: ut cum dico, hæc seu rectè, seu peruersè facta fuerint, fateor me fecisse. Similiter etiam particula, ve, disiuñctiuam est, ut cum dico, quæ in mari, terræque gi-gnuntur. Aliquando tamen est etiam coniuñctiuam, ut si quis ita legauerit, lego Titio libros, quos mei causa parauit, paraboue, donec moriar.**

Octauo queritur, Cuius sit electio, cū quis sub disunctione promittit alteri, aut vouet Deo, aut cum Confessarius in pœnam plura onera imponit pœnitenti? Respondeo electionem esse promittentis, vel vouentis, vel iurantis, vel pœnitentis: nam vniuersim electio est debitoris. In l. Si ita distrabatur, ff. De cotrah. emptione, dicitur: *Si ita distrabatur illa, aut illa res, vram elegerit venditor, hæc erit empti. Sic ibi: ergo si Titius vendiderit Caio in hunc modum: vendo tibi agrum Sempronianum, vel Cornelianum, aut seruum Pamphilum, vel Stichum, venditoris est electio.*

Nonò queritur, quid sit dicendum, si Titius ita testetur: Haeres meus reddat mille aureos Caio, si vnam ex meis tribus filiabus vxorem duxerit, An electio sit Caij, ita vt quam maluerit ducens, ius acquirat ad mille: Item si vna, vel etiam altera filia recuset ei nubere, cum tamen ipse velit eam vxorem ducere, & tertiam sibi in matrimonium iungere renuat, vtrum ius acquirat ad mille? Aiuunt quidam, haeredem debere mille Caio soluere, si vnam, quam ipse maluerit, velit in matrimonium ducere, & per ipsum non steterit, quo minus eam duxerit, eo quod in disunctis satis est si vnum sit factum: quemadmodum si Titius promittat Caio mille, si in Capitolium ascenderit, vel in montem Coelium, sufficit, si vnum fecerit, & electio est Caij, cui sunt mille promissa; ergo pari ratione Caij est eligere vnam ex tribus, quam maluerit, in vxorem: & cum vnam elegerit, & illa recuserit, nec per ipsum steterit, quo minus illam duceret, ius ad mille acquisisse censetur, nec propterea debet alteram ducere. sicut si idem Caius, vellet in Capitolium ascendere, sed ab ascensu prohiberetur, ius ad mille acquireret, etiam si in montem Coelium nollet ascendere, quoniam per ipsum non stetit, quin in Capitolium conscenderet. Alij verò sentiunt, Caium, si primam, aut secundam Titij filiam vxorem non duxerit, eo quod vtraque nuptias respuerit, debere tertiam exposcere, secus, ad mille, nullum ius acquirere: nam si antequam primam, vel secundam petijset, vtraque obijset, deberet tertiam postulare, vt sibi mille deberentur. Ergo etiam si vtraque, Caio petenti, nuptias recuserit, cogitur tertiam petere, vt sibi mille debeantur. Mihi tamen probabilior prima sententia videtur.

Cap. XXVIII.

De vi. potestate, & effectu coniunctionis copulatiuae.

Primo queritur, Quanam proprietate, & vis sit coniunctionis copulatiuae? Respondeo, quemadmodum in disunctis sufficit vnum esse factum, sic in coniunctis verumque esse factum oportet. At verò vt habetur in l. Sapè, ff. de verbo. significatiua, nonnunquam disuncta pro coniunctis, & coniuncta pro disunctis ponuntur.

Secundo queritur, Quandonam coniunctio copulatiua pro disiectiua ponatur? Respondeo: tunc poni, quando coniunguntur duo, vel plura, quae simul vera esse non possunt. Vt si testator dicat, Testamentum meum valeat iure testamenti, & iure codicilli: fieri enim non potest, vt valeat tanquam testamentum, & codicillus: nam in testamento requiritur necessario haeredis institutio, in codicillo verò nulla est institutio haeredis, ergo cum ait testator, vt testamentum valeat iure testamenti, & iure codicilli, perinde est ac si dicat, valeat tanquam testamentum, vel codicillus.

Alius, alia, aliud: dictio est similitum repetitiua. l. Quidam relegatus, ff. De rebus dubijs, Glossa in Authen. Qui semel, c. Quomodo, & quando Index, in verbo Aliud, Archidiaconus cap. vii. de Regularib. in 6. Aliquando tamè ea vox similia non repetit. l. Non solum, ff. De Procuratori. §. Quattuor, & ibidem Glossa verb. Creditores. Item,

in l. i. ff. De constituta pecunia, §. Debitum, Glossa in ca. Canonauensis d. 56. & alia Glossa in c. Sedes, de rescri. in verbo Maiores, ad finem, & Glossa in l. In casu, ff. De Minorib. verbo Competere, vnde in Authen. de Mandatis Principum, §. Oportet, collat. 3. dicitur: Nulla alia actio nisi officium Iudicij; & tamen officium Iudicij non est actio. In Authen. vt defuncti, seu funera eorum, collat. 5. in principio, sic est: Milites, & seruos alios plurimos: & tamen serui, milites esse non possunt. l. Super seruis, c. Qui militare possunt, vel non possunt lib. 12. Imò in sacris etiam literis nomen Alius aliquando non est similitum repetitiuum. Ducebatur, ait S. Lucas, alij duo ne quam cum eo, nisi dicas Euangelistam more vulgi locutum fuisse. ducebatur enim Christus ad cruciandum tanquam improbus, & nequam falsa opinione Iudeorum impiorum.

Modicum sine Minimum. Saepè in Iure tum civilis, tum Canonico ponitur. Legimus enim, de minimis non esse curandum, in l. Scio, ff. de Restitutio. in integrum, Modicum excessus non attenditur, l. Continuum, ff. De verbo. obligati. Paruum interuallum non obest, l. Duos, §. Duo, ff. de Duobus res. Modica res Simoniam non inducit. c. Esti, quæstiones, de Simonia, Glossa in cap. Statutum, §. Insuper, de Rescri. in 6. verb. Consoni, & in ca. Reuerat, de consecra. d. 2. in verb. Mortui, Ob rem modicam non datur actio. l. Si oleum, ff. De dolo malo, vnde si statuto caueatur, vt qui vulnerauerit alterum in publico foro, graui poena puniatur, ea poena non debet, qui leuiter percusserit. Solet item statuto præcipi, ne externus in vrbe, vel oppido domum possit acquirere: non impeditur quo minus acquirat domunculam paruum. Præterea statutum est, ne quis plus debito petat, alioqui puniatur. Si Titius plus æquo quid modicum petat, non est cur poenam in statuto positam luat. Sed queri posset, quanam res modica censetur? Arbitrio Iudicis saepe relinquitur, quid sit magnum, quid modicum: nam modicum tempus dicitur aliquando, quod est infra decem dies, immò ipsum quoque decem dierum tempus. l. Praescriptus, §. 1. ff. De constituta pecunia, & ibidem Glossa, & alia item Glossa in l. Si debitori, ff. De Iudicij: & tamen teste Glossa, in cap. Præterea, De ara, & quali. annus habetur interdum tanquam modicum tempus: nempe quia iuxta rerum, & negociorum conditionem, aliquando modicum censetur tempus vnius anni, aliquando tempus duorum mensium. l. 2. c. De secundis nuptijs. Quandoque tempus triginta dierum. l. ff. De itinere actusque priuato, illis verbis. Si modo annos, vel modico tempore res sit: id est, non minus quam triginta diebus. Sic ibi. Aliquando, vnius anni tempus, multum, vel magnum censetur. Abbas, c. Plerumque, de Rescrip.

Sciendum est, Minimum vel Modicum, aut magnum aliquid, in vtroque iure ad diuersa relatum ceteri. In c. Esti quæstiones, de Simonia, Pontifex respondet Archiepiscopo Strigoniensi: Cum in accipiendis, & dandis muneribus vna sint maxime attendenda, persona scilicet dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, vt à quo & cui, videlicet, an à paupere, diuitibus, & conuerso, an item à diuite locupletis datum fuerit: Aestimatio muneris, vt si magis aut parui pretij res data fuerit: Donationis tempus, an in tanta necessitate, an alio tempore conferatur. Si ergo prædictam Cardimalis, & fratris sui personam, & qualitatem personæ, non fuit magnum, ab eodem fratre suo vnum episcopus

Cardinali transmitti, quem etiam ioculatori non petenti vir
potens, & tam abundans foris donaret. Verum si temporis
necessario perpendimus, non alia intentione hoc constat
factum fuisse, quam vt Cardinali subueniret in articulo
necessitatis. Hæc ibi. Et Glossa in c. De Appellationibus.
de Appellat. verb. Minoris. Causa, inquit, minima dici po-
test duorum aureorum, quia ob eam causam non datur actio
de dolo. Si oleum, ad finem, & l. Id est. ff. De dolo malo. At
verò in c. ex tuc. De Simonia, sex solidorum donatio
Simoniam inducit, & cap. Plerique, & c. V. sura est, 14.
q. 3. V. sura est quidquid vltra sortem accipitur ex
mutuo. Et Instit. de rerum diuision. §. Gallinarum, actio
datur contra furantem gallinam. Et l. Inimere, ff. De
verbo, signific. ad conficiendum iter viginti milli-
um passuum, dies vnus integer datur: quod si fu-
per sit vnum milliare, quod mille passibus constat,
datur biduum, ita vt ad iter vnus milliarius, quod
superest conficiendum, dies integer detur.

Animaduertendum igitur est, quando cuncte
certum tempus, mensura, pondus, vel numerus
iure requiruntur ad aliquid faciendum: tunc et-
iam si modicum defit ex eo numero, mensura, vel
pondere, ratum non est, quod fit. Et hinc est, vt in
electionibus Magistratum, in quibus certus nu-
merus suffragiorum exigitur, si vel vnum suffra-
gium desideretur, minimè subsistat electio: Item,
testamentum, in quo vnus testis deest, irritum est,
& inane. Præterea, cum statuto cauetur, ne extra
territorium frumentum, vel vinum extrahatur,
pena constituta in extrahentes, ea pena debet-
ur, etiam si vnam tantum vini metretam, vel fru-
menti mensuram aliquis extraxerit. Cum testa-
tor itidem constituit, vt infra decem dies det hæ-
res decem mensuras vini, vel frumenti, alioqui
certam poenam soluturus, debet poenam hæres,
etiam si nouem dederit mensuras, non decem. Idem
iuris est, si lex præcipiat, vt quis faciat aliquid de-
cem diebus, non valet, quod facit, etiam si nouem
tantum diebus faciat. Item, si præceptum sit tibi,
vt decem nummos soluas, præceptum non obser-
uas, si nouem solueris, non decem. Statuto ceteri
solet, vt custodes vinearum, agrorum, & sylvarum
deferant ad Iudices omnes reos, certam poenam
lucuri, nisi id fecerint, in poenam incidunt, etiam si
vnum tantum reum omiserint. Hinc etiam est, vt
sacramenta rata non sint, si, dum conferuntur, v-
num tantum verbum, quod ad substantiam per-
tinet, omittatur: immò si vnus syllabæ omisso
sensum verborum mutauerit corruperitve, col-
larum sacramentum non valet, vt si sacerdos rō
dicat, hoc est corpus meum; sed hoc est cor meū,
quamuis vnā tantum syllabam prætermittat,
quia sensum omnino mutat; Christi corpus non
conficit.

Ex his perspicitur, verum esse, quod Theologi
docent, ob leuitatem, vel prauitatem materiæ,
veniale peccatum, non lethale committi; quale
est furtum vnus assis: quanquam Caietanus. 2. 2.
q. 10. ar. 4. & quidam alij contendunt, leue men-
daciū in sacra peccatorum confessione, vel in
publico iudicio prolatum, lethalem culpam cō-
tinere: & idem Caietan. 2. 2. quest. 89. ar. 7. quem
sequitur Couarru. libr. 1. var. resolut. cap. 1. num. 2. sen-
tiat, eum qui vorum rei minimè violat, vel non
seruat iusiurandum, quo rem exiguam promi-
sit, lethali ter peccare. Vera tamen est communis

cæterorum Theologorum opinio, in his venia-
lem, non lethalem contrahi culpam, vt in duo-
bus primis contra Caietanum defendunt Sot. de
ration. seg. & de reg. secretum. m. 2. quest. 7. concl. 2. Naua.
in cap. Fratres. de penia. dist. 5. numer. 20. Couarru. libr. 1.
variar. resolut. cap. 1. num. 2. & in duobus postremis ca-
sibus docet Sylu. Antoninum sequutus. iur. amen-
tum. 4. q. 1. ad finem, Nauar. in Man. cap. 12. nu. 12. n. 10. &
nu. 40. Sot. lib. de iust. 7. q. 2. ar. 1. & lib. 5. q. 1. a. 7. & q. 2.
a. 3. secus tamen est. cum quis sacram suorum pec-
catorum confessionem faciens, solum cōfiteatur,
se peccasse, quod vnum verbum otiosum dixerit,
& in hoc scienter mentitur: tunc enim peccatum
lethale committit, nō quia in re minima peccat,
sed quia scienter absolutionem à peccatis suscipit,
cum nullam sacramenti materiam præstet:
nam confiteatur peccatum, quod reuera non fecit;
& nullum aliud peccatum exprimit. Si quis itidē
leue mendaciū scienter iureiurando cōfirmet,
lethali se peccato cōmaculat, quia Deo magnam
iniuriam facit, qui eum in mendacij quamuis le-
uissimi testem accersit, & inuocat. Aliud verò est,
cum fidem non seruat de re minima datam: tunc
enim non mentitur, quia cum iurans promisit, in
animo reuera habuit, id facere, quod iure iuran-
do promisit. Sed fidelis non est, quia datam fidem
perstringit.

Tempus in iure communi duplex habetur, vt
ait Sylu. in verbo tempus, videlicet, continuum;
quod quidem absque vilo intervallo dierum ac-
cipitur, ita vt numerentur dies festi siue profesti,
siue presens sit, siue absens, reus vel actor, siue sit,
siue nō sit Iudicis copia. l. vlt. c. De prescriptione longi
temporis, & non continuū, & hoc Iurisperiti vti-
le vocant, quia in hoc dies festi non supputantur;
item quia nō habetur ratio dierum, in quibus le-
gitimum subsit impedimentum, vel iusta excusa-
tio absentis, vel morbi, vel alterius causæ. c. Ne
pro defestis, de elect. & Glossa in Clem. 1. De Resiun. in in-
tegrum.

Dubie est quæstio de qua agit Sylu. ar. 2. q. 2.
quando annus debeat intelligi completus, & ex-
actus: & contra, quando inchoatus, & incepsus.
Glossa in Clem. Generalem, de etate, & qualis. commu-
ni consensu comprobata docet, si Leges, vel Ca-
nones tempus statuant cum præpositione, in; &
Ablatiuo, verbi gratia, in anno decimo octauo,
solum requirunt annum inchoatum: Si verò Ge-
nitiuo vtantur, exempli causa, sit hic vel alius tri-
ginta annorum, annum completum postulant.
Præterea vt docet Bartho. in l. Si cuius. de lega. 1. cum
loquuntur per Accusatiuum, & præpositionem,
ad solum inchoatum annum intelligunt. l. Qui fili-
um, ff. ad Trebellianum. Si per accusatiuum cum præ-
positione, per, annum completum accipiunt. l.
Non putabam, & l. Si annos, ff. de conditionib. & demon-
stratio. Alias in odijs, & poenis Leges, & Canones,
annum completum deposcunt: in ijs verò, quæ ad
fauorem, & commodum pertinent, annum incepsus.

Esculenta, & poculenta, in Iure tum Ciuili, tum
Canonico intelliguntur munuscula ad esum, &
potum pertinentia. Iura grauius, & seuerè præ-
cipiunt, ne ij, qui Iudicum, vel Magistratum of-
ficio funguntur munera accipiant; solent enim
munera Iudicum animos excœcare, & corrumpere.

pere. Nihilominus Leges, & Canones non prohibent, Iudices esculenta, & poculenta gratis data accipere. In l. Plebiscito ff. de Officio Præfulis, sic est: Plebiscito continetur, ne quis Præsidum munus, donumve caperet, nisi esculentum poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur, & c. statutum, §. Insuper De Rescrip. in 6. habetur. Insuper ut gratis, & cum omni puritate Iudicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, nisi forsitan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus. Hæc ibi. Huiusmodi esculenta, & poculenta Xenia vocantur, & iure permittuntur, quia non videntur Iudicum animos mouere, eo quod res modicæ sine ad esum, & potum data. Quæres, quantum temporis spatium intelligant Iura, cum dicunt, ea modica esse, quæ intra proximos dies, vel paucos prodiguntur. Respondet Glossa in c. statutum, De Rescrip. in 6. in verbo Paucis, id Iudicis arbitrio relinqui: Et nihilominus, inquit, duo saltem dies non videntur exclusi. Vnde videtur Glossa triduum intelligere. Habenda etiam est ratio personarum, videlicet, Iudicis, accipientis, & dantis, & consuetudinis, loci, vel patriæ; & rei etiam esculentæ, vel poculentæ, quæ datur, & accipitur.

Cap. XXIX.

De totius Iuris Canonici diuisione.

IVS Canonicum, quod attinet ad libros, quibus scriptum continetur, in quattuor partes diuiditur, in Decretum videlicet, Decretales, Sextum, & Clementinas. Decretum, in tres Patres est diuisum: prima pars continet centum distinctiones: Secunda, triginta sex causas habet, quarum singulæ in quæstiones diuiduntur, & quælibet quæstio in capita, at verò Quæstio. 3. causæ trigessimæ tertiæ continet tractatum de poenitentia in 7. dist. per capita diuisum. Tertia Pars Decreti continet tractatum de consecratione in quinque distinctiones distributum.

Solet Decretum citari quatuor modis: Primò sic: *dist. in 1. 26. cap. Acutus*, ita ut Acutus sit principium capituli, quod in ea distinctione continetur. Secundo modo, sic: *17. quæst. 1. cap. Decima*. Tertio modo tractatus de Poenitentia allegatur sic: *De poenit. distinct. 2. c. Septies*. Quarto, Tractatus de Consecra. ita in medium produci solet: *De consec. dist. 1. cap. Vasa*.

Decretales, in quinque libros diuise sunt: in primo lib. agitur de munere, & officio Personarum Ecclesiasticarum; & propterea agitur de Summa Trinitate, & Fide Catholica, quam credere, profiteri, & docere debent Ecclesiastici viri.

De constitutionibus:
De Rescriptis.
De Consuetudine.
De Postulatione Prælatorum.
De Electione, & electi potestate.
De Translatione Episcopi, vel electi.
De Auctoritate, & vsu Pallij.
De renunciatione.
De supplenda negligentia Prælatorum.
De Temporibus ordinationum.
De scrutinio.

De ordinatis ab Episcopo, qui resignauit Episcopatum.
De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.
De sacra Vnctione.
De Sacramentis non iterandis.
De filijs Presbyterorum ordinandis, vel non.
De seruis non ordinandis, & eorum manumissione.
De obligatis ad ratiocinia, ordinandis, vel non.
De corpore vitiatis ordinandis vel non.
De Bigamis non ordinandis.
De Clericis peregrinis.
De Officio Archidiaconi.
De Officio Archipresbyteri.
De Officio Primicerij.
De Officio Sacristæ.
De Officio Custodis: De officio Vicarij.
De Officio, & Potestate Iudicis delegati.
De Officio Legati.
De Officio Iudicis ordinarij.
De Officio Iudicis.
De Maioritate, & Obedientia.
De Treuga, & Pace.
De Pactis.
De Transactionibus.
De postulando.
De Procuratoribus.
De Syndico.
De ijs, quæ vi, metusve causa fiunt.
De in integrum restitutione.
De alienatione iudicij mutandi causa facta.

LIBRO secundo agitur de iudicijs, & ijs, quæ ad iudicia pertinent: cuius Tituli sunt:

De Iudicijs.
De Foro competenti.
De Libelli oblatione.
De Mutuis obligationibus.
De Litis contestatione.
Ut lite nõ contestata non procedatur ad testium receptionem.
De Iuramento calumnizæ.
De Dilationibus.
De Ferijs.
De Ordine Cognitionum.
De Plus petitionibus.
De causa possessionis, & proprietatis.
De Restitutione spoliatorum.
De Dolo, & Contumacia.
De eo, qui mittitur in possessionem, causa rei seruandæ.
Ut lite pendente nihil innouetur.
De sequestratione possessionis, & fructuum.
De Confessis.
De Testibus, & Attestationibus.
De Testibus cogendis, vel non.
De Fide Instrumentorum.
De Præsumptionibus.
De Iureiurando.
De Exceptionibus.
De Præscriptionibus.
De sententia, & re iudicata.
De Appellationibus, recusationibus, & relationibus.
De Clericis peregrinantibus.
De Confirmatione vtili, vel inutili.

LIBRO tertio agitur de rebus, que ad Clericos, & Ecclesias pertineant: cuius Tituli sunt:

De Vita, & honestate Clericorum.
 De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.
 De Clericis coniugatis.
 De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Prebenda.
 De Præbendis, & Dignitatibus.
 De Clerico agrotante, vel debilitato.
 De Institutionibus.
 De Concessione Præbendæ.
 Ne sede vacante aliquid innovetur.
 De ijs quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.
 De ijs quæ fiunt à maiori parte Capituli.
 Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.
 De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.
 De Precarijs.
 De Commodato.
 De Deposito.
 De Emptione, & Venditione.
 De Locato, & Conducto.
 De Rerum permutatione.
 De Feudis.
 De Pignoribus, & alijs Cautionibus.
 De Fideiusforibus.
 De Solutionibus.
 De Donationibus.
 De Peculio Clericorum.
 De Testamentis, & vicinis voluntatibus.
 De Successionibus ab intestato.
 De Sepulturis.
 De Parochijs, & alienis Parochianis.
 De Decimis, Primitijs, & oblationibus.
 De Regularibus.
 De Transfentibus ad Religionem.
 De Conuersione Coniugatorum.
 De Conuersione Infidelium.
 De Voto, & Voti redemptione.
 De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.
 De Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ.
 De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.
 De Iure patronatus.
 De Censibus, Exactionibus, & procurationibus.
 De consecratione Ecclesiæ, vel altaris.
 De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Diuinis officijs.
 De Baptismo, & eius effectu.
 De Presbytero non baptizato.
 De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.
 De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.
 De Obseruatione ieiuniorum.
 De Purificatione post partum.
 De Ecclesijs ædificandis, vel reparandis.
 De Immunitate Ecclesiarum, Coemeteriorum, & rerum ad eas pertinentium.
 Ne Clerici, vel Monachi Secularibus negocijs se immisceant.

IN LIBRO quarto agitur de rebus, quæ ad laicos atinent: cuius Tituli sunt:

De Sponsalibus, & matrimonijs.
 De Desponsatione impuberum.
 De Claustrina desponsatione.
 De Sponsa duorum.
 De conditionibus appositis in desponsationibus, vel alijs contractibus.
 Qui Clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint.
 De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.
 De Coniugio Leproforum.
 De Coniugio Seruorum.
 Ne Natis ex libero ventre.
 De Cognatione spirituali.
 De Cognatione legali.
 De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ.
 De Consanguinitate, & affinitate.
 De Frigidis, & maleficijs, & impotentia coeundi.
 De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.
 Qui filij sint legitimi.
 Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.
 De Diuortijs.
 De Donationibus inter virum, & vxorem, & de dote post diuortium restituenda.
 De secundis nuptijs.

IN LIBRO quinto agitur de Delictis sine criminibus, & eorum penis: vnde eius Tituli sunt:

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationibus.
 De Calumniatoribus.
 De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.
 Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.
 De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
 De Iudicibus, Saracenis, & eorum seruis.
 De Hereticis, & Schismaticis, & ordinatis ab eis.
 De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.
 De ijs qui filios occiderunt.
 De Infantibus, & languidis expositis.
 De Homicidio voluntario vel Casuali.
 De Clericis pugnantibus in duello.
 De Sagittarijs.
 De Adulterijs.
 De Raptoribus, Incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum.
 De Furtis.
 De Vfuris.
 De Crimine falsi.
 De Sortilegis.
 De Collusione detegenda.
 De Delictis puerorum.
 De Clerico venatore.
 De Clerico percussore.
 De Maledicis.
 De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.
 De Clerico non ordinato, ministrante.
 De Clerico per saltum promoti.
 De eo, qui ordinem furtiuè suscepit.

De Excessibus Prælatorum, & subditorum.
De Noui operis Nunciacione.
De Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum.
De Purgatione Canonica.
De Purgatione vulgari.
De Iniurijs & damno dato.
De Pœnis.
De Pœnitentijs, & remissionibus.
De Sententia excommunicationis.
De Verborum significatione.
De Regulis Iuris.

Totum igitur Canonicum ius in Quinq; Libros Decretalium diuisum, ad quatuor capita potissimum reducitur, videlicet, Ad personas Clericorum, vel Laicorum: Ad res earundem personarum: Ad Iudicia, & actiones: Ad delicta & eorum pœnis. In 1. lib. agitur de personis Clericorum, & de Modis quibus eliguntur, transferuntur, vel ab officio amouentur.

In secundo libro, agitur de Actionibus, & Iudicijs Ecclesiasticis. In tertio libro de Rebus Clericorum, & Ecclesiarum; & proinde etiam de vita, & honestate Clericorum & de Sacramentis, quorum clerici sunt ministri. In quarto libro agitur de statu Laicorum; ac proinde de ijs, quæ ad Matrimonium spectant, & de ijs, quæ ipsum antecedunt, vel sequuntur, vel comitantur. In quinto libro agitur de Criminibus, & eorum pœnis. In his omnibus Ius Canonicum eo modo quo potuit, Iuris civilis seruauit ordinem, quod attinet ad Titulos librorum.

Allegantur Decretales hoc modo: *Et si Iudæos, De Iudæis*, hoc est in Decretali, quæ incipit. *Et si Iudæos*, titulo de Iudæis, vel sic, *extra, de Iudæis, et si Iudæos*, hoc est, extra Decretum, tit. de Iudæis in ca. quod incipit. *Et si Iudæos*.

Sextus liber Decretalium diuiditur etiã in quinque libros, & in eosdem Titulos, in quos libri Decretalium diuiduntur, sed pauciores. Nam Quinque libri Decretalium continent Titulos centum octoginta quinque: Sextus verò liber Decretalium habet Titulos septuaginta septem. Dicitur est sextus, quia editus post quinque libros Decretalium à Bonifacio VIII. ante quem Quinque libros Decretalium promulgauit Gregorius IX. Hic porrò liber Sextus allegatur sic: *cap. Si Iudæi. De sent. excomm. in 6.*

Clementinarum liber diuiditur, & ipse etiam in quinque libros, & in eosdem Titulos, sed pauciores distribuitur: nam solum continet titulos quinquaginta tres. Dicitur est liber Clementinæ, quia editus est auctoritate Clementis V.

Allegatur sic: *Clem. si furiosus, De Homicidio*, hoc est, in Clem. quæ incipit, si furiosus titulo. de homicidio.

Præter has quatuor partes Iuris Canonici, extat Liber qui cõtenet constitutiones à Ioanne 22. editas, quæ dicuntur Extrauagantes Ioannis 22. & quatuordecim Tit. habet vnde allegari solent hoc modo; *Extrauag. Execrabili. De Præben. inter Extrauagantes Ioannis 22.*

Extat etiam Liber Extrauagantium communium, hoc est, constitutionum, quæ à diuersis Pontificibus sunt editæ. Et diuiditur etiam is Liber Extrauagantium communium in quinque libros, eosdem titulos, sed paucissimos, continent.

Ita allegari solet. *Extrauag. Ambrosiose, De Reb. Eccl. que non alienant. inter communes.*

In totum Gratiani Decretum scripserunt, qui sequuntur Auctores:

Guido de Bayfio dictus vulgo Archidiaconus Bononiensis.

Aegidius de Bellamera.

Dominicus dictus, à S. Geminiano & ideo citari solet Geminianus.

Ioannes à Turrecremata, Cardinalis Sancti Sixti.

Ioannes Antonius à S. Gregorio, alio nomine, Præpositus Mediolanensis, & Cardinalis Alexandrinus.

Ludouicus Bologninus.

In quinque libros Decretalium.

Innocentius Quartus.

Henricus, aliàs Cardinalis Hostiensis.

Ioannes Andreæ, Bononiensis.

Henricus Boich Leonensis.

Aegidius Bellamera.

Baldus de Vbaldis, Perusinus.

Franciscus de Accolti, Aretinus.

Antonius de Butrio, Bononiensis.

Goffredus Tranensis.

Petrus de Ancharano, Bononiensis.

Franciscus de Zabarellis Patavinus, Cardinalis.

Nicolaus de Tudeschis, siue, Abbas Panormitanus.

Ioannes de Anania, Bononiensis.

Ioannes de Imola.

Fortunius Garzias Hispanus.

Andreas Barbatia, Siculus.

Philippus Decius Mediolanensis.

Felinus Sandeus, Canonicus Ferrariensis.

Augustinus Berouius Bononiensis.

In Sextum Decretalium.

Archidiaconus.

Ioannes Andreæ.

Ioannes Monachus.

Petrus de Ancharano.

Dominicus à Sancto Geminiano.

Guilielmus de Monte Lauduno.

Iacobus Fontanus.

Philippus Francus Perusinus.

Ludouicus Gomezus.

In Librum Clementinarum.

Bonifacius de Vitalinis.

Petrus de Ancharano.

Ioannes de Imola.

Abbas Panormitanus.

Francus de Zabarellis, Cardinalis.

Guilielmus à Monte Lauduno.

Andreas Barbatias.

Iacobus Fontanus.

Alij verò scripserunt in certos aliquos Iuris Canonici Titulos, si nempe subscripsi.

Didacus Couarr. Epitomen in totum quartum librum Decret.

Ioannes Antonius à Sancto Georgio, idem, qui præpositus Mediolanensis, in eundem librum.

Philippus Francus in Titulum de Appellationibus.

Ioannes

Ioannes Antonius Præpositus in eundem Titulum.

Antonius Burgos Hispanus in tit. de empt. & venditione.

Andreas Alciatus in Titulum de Præscriptionibus, & in Titulum De Iureiurando.

Didacus Couarruuias in c. Alma mater. De sent. excomm. in 6. & in Clem. Si furiosus, de Homicidio, & in Regulam, Peccatum, de regul. iuris. in 6. & in c. Quamuis. De pactis in 6. & in Regulam possessionis malæ fidei. de regulis iuris in 6. Marianus Sozinus senior in titulum de Iudicijs, & in tit. de Foro comp. & in tit. de libelli obla. & in alios quosdam tit. Petrus Paulus Parisius in tit. de probationibus. De Testibus. De Exceptionibus. De Præscriptionibus. Dynus Mugellanus in tit. de reg. iur. in 6. cum Additionib.

Ioannis Andree, Petri de Anchar. & Nicolai Boerij.

Paro Ius Canonicum, ego sic per libros, & titulos diuiderem: ut in primo li. de Personis ageretur, & tit. essent hi.

De Origine Iuris Canonici.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

De Libris, & Scripturis Canonici.

De Iure Diuino.

De Constitutionibus.

De Rescriptis.

De Mandatis Apostolicis.

De Statutis.

De Priuilegijs personarum.

De Consuetudine.

De Iure personarum.

De Summo Pontifice Romano.

De Cardinalibus S. Ecclesie Romanæ.

De Patriarchis.

De Primatibus.

De Archiepiscopis.

De Episcopis.

De Chorepiscopis.

De Abbate, & eius officio.

De officio Præpositi.

De officio Decani.

De officio Archidiaconi.

De officio Archipresbyteri.

De officio Primicerij.

De officio Thesaurarij.

De officio Personatus.

De officio Sacristæ.

De officio Prioris.

De officio Oeconomii.

De officio Vicarij.

De officio Iudicis ordinarij.

De officio Iudicis delegati.

De officio Legati.

De officio Nuncij Apostolici.

De officio Conseruatoris.

De Syndico, & eius officio.

De ijs qui habent dignitates.

De Canonici.

De Portionarijs, & Beneficiarijs.

De Commendatarijs.

De Parocho, & eius officio.

De Capellanis.

De Coadiutore.

De Clericis, qui sunt in sacris ordinibus constituti.

De Presbytero.

De Diacono.

De Subdiacono.

De Clericis in Minoribus Ordinibus constitutis.

De Acolyto.

De Lectore.

De Exorcista.

De Ostiario.

De Monachis.

De Sacerdotalibus.

De Canonicis Regularibus.

De Religiosis Mendicantibus.

De Religiosis Militibus.

De Procuratoribus.

De Laicis.

In secundo Libro.

Quomodo Clerici acquirant, conseruent, vel amittant Dignitatem, Officium, Ecclesiam vel quoduis aliud Ecclesiasticum Beneficium, cuius tituli essent.

De Electione, & Electi potestate.

De Postulatione Prælatorum.

De Præsentatione, & Iure patronatus.

De Nominatione.

De Institutione.

De Collatione.

De Iure ad Superiorem deuoluto.

De Confirmatione.

De Consecratione.

De Translatione Episcopi.

De Renunciatione.

De Vacatione Ecclesie.

De Auctoritate, & vsu pallij.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

De Vita, & honestate Clericorum.

De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

De Priuilegijs Clericorum.

De Temporibus Ordinationum.

De Scrutinio faciendo.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

De Horis Canonici.

De Clericis non residentibus.

De Clericis coniugatis.

De Clericis peregrinis.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

De Concilijs, & Conuentibus Episcoporum.

De Visitatione per Episcopum facienda.

In Tertio Libro.

De Iudicijs.

De Iurisdictione omnium Iudicum Ecclesiasticorum.

De Foro competenti.

De In ius vocando.

De Libelli oblatione.

De Mutuis petitionibus.

De Litis contestatione.

Vt Lite non contestata nõ procedatur ad testium receptionem.

De Iuramento calumniæ.

De Dilationibus.

De Ferijs.

De Ordine cognitionum.

De Plus petitionibus.

De Causa possessionis, & proprietatis.

De Restitutione spoliatorum.

De Dolo, & Contumacia.
 De Mittendo in possessionem.
 Ut lite pendente nihil innovetur.
 De Sequestratione possessionum, & fructuum.
 De Procurrationibus.
 De Confessis.
 De Probationibus.
 De Testibus.
 De Fide instrumentorum.
 De Præsumptionibus.
 De Præscriptionibus.
 De Appellationibus, & Recusationibus.
 De Iureiurando.
 De Sententiâ, & re iudicata.
 De Transactionibus.
 De Pactis.
 De ijs, quæ vi metusæ causa fiunt.
 De in integrum restitutione.
 De Compromissis.
 De Inducijs, & Pace.
 De Parendo, siue obediendo Iudici.
 De Citando reo.
 De ijs, quæ potest Collegium Canonicorum Se-
 de vacante.
 De ijs quæ fiunt à Prælati sine cōsensu Capituli.
 De ijs quæ potest Collegium Canonicorum.
 De Obligationibus.
 De Empto, & Vendito.
 De Locato, & Conducto.
 De Mutuo.
 De Commodato.
 De Rerum permutatione.
 De Deposito.
 De Contractu Societatis.
 De Censibus.
 De Cambijs.
 De Emphiteusi.
 De Feudo.
 De Pignore.
 De Fideiussoribus.
 De Solutionibus.
 De Donationibus.
 De Testamentis.
 De successione ab intestato.
In quarto Libro.
 De Rebus Ecclesiarum, & Clericorum : cuius Ti-
 tuli esse possent:
 De Præbendis, & Dignitatibus.
 De Beneficijs.
 De Pensionibus.
 De Peculio Clericorum.
 De Spolijs Clericorum.
 De Decimis.
 De Primitijs.
 De Canonica portione.
 De Quotidianis distributionibus.
 De Annatis.
 De Quindennijs.
 De Parochijs.
 De sepulturis.
 De Fundandis Ecclesijs, & dotandis.
 De eisdem erigendis.
 De ædificandis.
 De reparandis.
 De Consecrandis.
 De vnione Ecclesiarum.

De violatione Ecclesiarum.
 De Immunitate Ecclesiarum.
 De Rebus sacris, altaribus, vestibus, & vas.
 De alienandis rebus Ecclesiæ, vel non.
 De Cappellis Monachorum.
 De Exactionibus, & procurrationibus à Clericis
 petendis, vel non.
 De Sacramentis.
 De Baptismo.
 De Confirmatione.
 De Eucharistia.
 De Celebratione Missarum.
 De Pœnitentia.
 De Extrema Vnctione.
 De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.
 De Obseruatione ieiuniorum.
 De Ordine.
 De Matrimonio.
 De Sponsalibus.
 De Cognatione spirituali.
 De Cognatione Legali.
 De Consanguinitate.
 De Affinitate.
 De Impedimentis omnibus Matrimonij.

In quinto Libro.

De Criminibus, & eorum pœnis, cuius Tituli ef-
 sent, qui sequuntur.
 De Accusatione.
 De Inquisitione.
 De Denunciatione.
 De Calumniatoribus.
 De Simonia.
 De Iudæis, & Saracenis.
 De Hæreticis.
 De Schismaticis.
 De Apostatis.
 De Homicidio.
 De Adulterijs.
 De Furto.
 De Raptoribus.
 De Vsuris.
 De Crimine Falsi.
 De Maledicis.
 De Sortilegis.
 De Sacrilegis.
 De Clerico venatore.
 De Clerico percussore.
 De Iniurijs, & damno.
 De Censuris Ecclesiasticis.
 De Excommunicatione.
 De Suspensione.
 De Interdicto.
 De Cessatione à diuinis.
 De Pœnis.
 De Irregularitate.
 De Degradatione.
 De Purgatione Canonica.
 De Pœnitentijs.
 De Indulgentijs, & remissionibus.
 De Verborum significatione.
 De Regulis Iuris.

Cap. XXX.

De Iuris Civilis Diuisione.

Ivs Civile, quod ad eius libros pertinet, in qui-
 bus continetur, diuiditur in Tres Partes: qua-

rum Prima constat tribus Digestis, Vetere, Infortiatio, & Nouo. Hæc Pars continet quinquaginta libros Digestorum in tria volumina partitos. ita ut Digestum vetus contineat vigintitres libros, Infortiatio, quatuordecim Nouum quoddecim. Secunda Pars Iuris Ciuilis, dicitur Codex, continet nouem libros in quibus habentur Constitutiones, & Rescripta Imperatorum. nam Prima pars tribus Digestorum voluminibus contenta habet Responſa veterum Iuriconsultorum, quæ Imperatorum nutu, & voluntate, legis auctoritatem obtinuerunt. Tertia Pars dicitur volumen, quod quatuor partibus constat, Institutionibus nempe Iustiniani Imperatoris, tribus libris Codicis, videlicet decimo, vndecimo, & duodecimo, nam reliquos nouem continet Codex, & Authenticis constitutionibus eiusdem Iustiniani Imperatoris, & libro Feudorum.

Allegatur autem Ius Ciuile septem modis. Primo, si quis ex argentijs, §. i. ff. De edendo. & significatur, eam legem esse in aliquo, ex quinquaginta libris Digestorum, hoc est, in lege, quæ incipit: si quis ex argentijs. §. i. in titulo de edendo. Secundo modo: Minime. C. de Episc. audien. hoc est, in I. Cuius initium est, Minime, in Codice, titulo De Episcopali audientia. Tertio modo: C. de Agriculis, & Censibus. Cum scimus, lib. 11. & significatur, eam legem non esse in noue libris Codicis, sed in vno ex tribus libris, qui habentur in volumine, in quo Institutiones Iustiniani, & Authenticæ continentur. Quarto modo: Authent. statuimus. C. de Episc. & Cleric. hoc est, in lege, cuius initium est, statuimus, in Codice, titulo de Episcopis, & Clericis. Quinto: Authent. De Lenis. §. Sancimus, hoc est, in Authent. de Lenonibus. §. Sancimus. Sexto modo: In lib. Feud. de prohibita Feud. alie. c. vel l. Quoniam, hoc est: In capite, vel lege, quæ incipit, Quoniam in libro Feudorum, Titulo De prohibita feudi alienatione. Septimo, Instit. de re. diu. §. 11. ead, hoc est, in Institutionibus Iustiniani, Titulo De rerum diuisione, §. Item ea.

IOANNIS AZO-
RII LORCITANI, E SO-
CIBETATE IESV,
INSTITVTIO
NVM MORALIVM,
LIBER VI.
De lege Naturali, Diuina veteri,
& Noua.

CAPVT PRIMVM.

De Lege Naturali.

PRIMO queritur, Quidnam sit lex naturalis? quod est querere, An lex naturalis sit habitus mentis, an rationis actus? Respondeo cum S. Tho. 1. 2. q. 94. Gabr. 3. d. 37.

q. 1. 1. Richard. 3. dist. 37. art. 1. q. 1. Sor. lib. 1. de insti.

q. 4. art. 1. non esse habitum mentis, sed actum: quia est quedam rectæ rationis præscriptio, qua quid agendum, quid fugiendum, præscribitur, nõ qualitas ex actibus sæpius repetitis comparata. Sed sciendum est, apud Theologos legem naturalem aliquando dici naturale rectæ rationis lumen, quod semper quasi habitu ostendit, quæ sunt agenda, quæ fugienda, & est ipsa hominis ratio, qua bona, & mala perspicimus, & iudicamus: aliquando lex naturalis vocatur tota communitio eorum signorum, siue imaginum in mente impressarum, quibus etiam quasi habitu agenda, & cauenda discernimus, & sunt species, & imagines referentes res bonas, & malas, agendas, vel fugiendas: aliquando lex naturalis est ipsum rectæ rationis præscriptum, siue iustum. obijcies legem naturalem nec obliuione deleri, nec vetustate temporis extingui, nec per peccatum auferri, nec vnquam animo euelli; ergo huiusmodi lex nõ est actus. Respondeo, ideo legem naturæ nunquam aboleri, quia manent eius in mente semina, & principia: eiusmodi autem principia non tantum sunt simulachra, & imagines rerum agendarum, fugiendarumque, hæc enim licet post actus maneat in nostris mentibus impressa, at tamen vt primum natifumus, vna cum ipsa natura legem naturalem hausimus, & accepimus, quia sunt in nobis insita huiusmodi legis semina, nimirum ipsa mentis ratio, quæ sine vilo externi doctoris magisterio perspicit, quid sit faciendum, quid sit eligendum, quid cauendum, quid amplectendum & sequendum: & hoc est, naturale rectæ rationis lumen, quod semper manet, quamuis aliqua ex parte obſcuratur, vt dicam inferius.

Secundo queritur, An lex naturalis lege humana tolli, restringi, aut minui possit? Iuris ciuilis, & canonici interpretum videtur esse sententia, legem naturæ, iure humano scripto posse aliquando tolli, aut ex parte restringi, contrahi, atque diminui. Inde probant, quia legis naturalis est, nemini auferre quod suum est; at leges ciuiles Vſurpationis, quam præscriptionem appellant, adimunt vero Domino, quod suum est: & tamen ex leges iure canonico sunt approbate. Secundo, Iuris naturalis est, ne innocente perimamus; at legibus ciuilibus constitutum est, vt secundum allegata, & probata reus in iudicio condēnetur. Vnde fit, vt is, quæ iudex priuatim nouit esse innocentem, in iudicio tamen, quæ sunt allegata, & probata reum esse condēnetur, iuste non solui pecuniaria poena muldetur, sed etiã capite dānetur. Tertio, iure naturali parentes filijs alimēta debent, & legitimam bonorū portionem: Eodem iure naturali filij debent parentes alere, & tamē ius ciuile videm⁹ sepe priuare filios, aut parētes legitima hereditatis portione, & debitis alimētis. Quarto, iure naturali quisq; nat⁹ est liber, & tamē legib. humanis aliqui serui redduntur, c. de Redorib. 26. q. 1. Raptor foeminae fit seruus ipsius, vel parentū, nisi velit se redimere: c. Ad liberandū, c. 1. ita quorundā, de Inden. deferētes Saracenis arma, vel alia necessaria ad oppugnandos Christianos, sūt serui captiui. Quinto, t. lte S. Th. 2. 2. q. 10. 4. 10. Ecclesia habet ius & potestatem priuadi Paganos nondū ad fidem, & religionē Christi cōuertos omni imperio, iure & domino q̄ habent in eos, qui sacro baptismo

abluci